

TRAGTATUS DOGMATICJ

DE BAPTISMO
ET CONFIRMATIONE

EMMANUEL DORONZO, O.M.I.
S.T.D., Ph.D.

EX TYPOGRAPHY BRUCE
Milwaukee

Nihil obstat: Albert Kippes, O.M.I.
Imprimi potest: T. J. Kennedy, Praepositus provincialis
Nihil obstat: Paul I. Decker, Censor deputatus
Imprimatur: 4" Robertus E. Lucey, Archiepiscopus Sancti Antonii

April 16, 1945

Copyright, 1947
The Bruce Publishing Company
Printed in the U. S. A.

FRATRI MEO
MATTHAEO

Dedit aquae, quod dedit matri” (Leo M., Serm. 25).

SAMUELIS CARDINALIS STRITCH

EPISTULA INTRODUCTORY

die 14 augusti 1946.

Reverende Pater,

Quod in eisdem fidei veritatibus explicandis excutiendisque, duce Magisterio Ecclesiae, alii atque alii scribere instituant, eo modo ut quae tum a veteribus tum a recentioribus doctoribus scripta sunt, veluti in synthesim ordinentur et observationibus opportunis constringantur, praeclara est industria virorum doctorum et laus ingeniorum. Et tu, Reverende Pater, Tractatum de Baptismo et Confirmatione, mox typis edendum, laudabiliter omnino scripsisti in quo te quam optime studium profundum ac diuturnum peregissem fulgenter clarescit. Qui nova inveniendi causa hunc tractatum perlegat, paucis perlectis paginis eundem deponet. Sed qui doctrinam saeculorum in hac materia quaerat, ibidem optime ordinatam inveniet. Nec dicatur opus inutile et redundans eo quod nil novi in eo traditur, quia maximi est momenti ex multis fontibus doctrinam necnon sententias optimorum colligare ac in synthesim ordinare ut ad manum omnibus praesto sit. Iis in quaestionibus in quibus doctores etiam praeclarissimi in unam sententiam non conveniunt, opiniones perlucide proposuisti et admirabili animi humilitate quam tuam fecisti argumentis fulcitur. Laudabile opus et perutile igitur complevisti in fructum tibi lectoribusque tuis uberrimum. Placet nobis opus tuum commendare non solum tironibus in Sacris Scientiis ediscendis sed et praesertim doctis illis quibus est officium tradere in scholis sacram doctrinam.

Tibi omnia fausta a Deo adprecans,
addictissimus in Domino,

Samuel Card. Stritch,
Archiepiscopus Chicagiensis.

R. P. Emmanuel Doronzo, O.M.I.

ORDO PARTIUM

DE BAPTISMO

INTRODUCTIO

1-18

CAPUT I. DE INSTITUTIONE BAPTISMI

- Art. 1. Utrum Baptismus sit verum sacramentum N.L.
a Christo Domino institutum. 19-27
- Art. 2. Utrum Christus Baptismum instituerit cum ipse
in Jordane baptizatus est. 27-36

CAPUT II. DE MATERIA ET FORMA BAPTISMI

- Art. 3. Utrum aqua vera et naturalis sit propria materia
Baptismi. 37-45
- Art. 4. Utrum materia proxima Baptismi sit ipse usus
aquae seu ablutio. 46-49
- Art. 5. Utrum quaelibet ablutio sit valida materia
Baptismi. 49-60
- Art. 6. Utrum forma valida Baptismi sint verba explicite
exprimentia distinctum mysterium Trinitatis,
actum abluendi et subjectum ablutionis. 60-77

CAPUT III. DE EFFECTU ET PROPRIETATIBUS BAPTISMI

- Art. 7. Utrum effectus Baptismi sit character christiani
et gratia regenerativa seu incorporatio ad
Christum et Ecclesiam. 78-95
- Art. 8. Utrum sacramentum Baptismi sit unum seu
initerabile. 95-104
- Art. 9. Utrum sacramentum Baptismi sit de necessitate
medii ad salutem in re vel in voto, secluso
privilegio martyrii. 104-134

*CAPUT IV. DE SUBJECTO ET MINISTRO
BAPTISMI*

- | | | | |
|--------|-----|--|---------|
| Ar t . | 10. | Utrum parvuli valide, fructuose et convenienter baptizentur. | 136-146 |
| Ar t . | 11. | Utrum parvuli in maternis uteris positi sint capaces validae susceptionis Baptismi. | 146-152 |
| Ar t . | 12. | Utrum parvuli infidelium possint invitis parentibus baptizari. | 152-160 |
| Ar t . | 13. | Utrum minister validi Baptismi sit quilibet homo, legitimus vero per se solus ordinatus. | 160-176 |
| Ar t . | 14. | Utrum plures possint esse simul ministri ejusdem Baptismi. | 177-180 |

CAPUT V. DE CAEREMONIIS ET SACRAMENTALIBUS BAPTISMI

- | | | | |
|--------|-----|---|---------|
| Ar t . | 15. | Utrum convenienter assignentur caeremoniae et sacramentalia Baptismi. | 181-187 |
|--------|-----|---|---------|

*CAPUT VI. DE SUPPLETIVIS BAPTISMI SEU
DE TRIPLICI BAPTISMO FLUMINIS,
FLAMINIS ET SANGUINIS*

- | | | | |
|--------|-----|---|---------|
| Ar t . | 16. | Utrum actus caritatis seu perfectae contritionis cum voto Baptismi valeat Baptismum ipsum supplere quoad principalem ejus effectum. | 188-207 |
| Ar t . | 17. | Utrum martyrium, cum voto Baptismi in adultis, valeat ex opere operato et abundantiori modo Baptismum ipsum supplere quoad principalem ejus effectum. | 207-230 |
| Ar t . | 18. | Utrum recte fiat distinctio trium baptismatum fluminis, flaminis et sanguinis. | 230-237 |

*CAPUT VII. DE PRAEPARATORIIS BAPTISMI
I.E. DE BAPTISMO JOANNIS ET
CIRCUMCISIONE*

- | | | | |
|--------|-----|---|---------|
| Ar t . | 19. | Utrum baptismus Joannis fuerit “quoddam sacramentale disponens ad Baptismum Christi” non vero proprie dictum sacramentum. | 238-248 |
|--------|-----|---|---------|

- Art. 20. Utrum Circumcisio fuerit “praeparatoria ad Baptismum, et praefigurativa ipsius”, praecipue in ratione primi sacramenti antiquae legis. 248-254

DE CONFIRMATIONE

- INTRODUCTIO 255-264
- Art. 1. Utrum Confirmatio sit verum sacramentum N.L. a Baptismo distinctum. 264-276
- Art. 2. Utrum materia proxima Confirmationis sit chrismatio, seu unctio chrismatis in forma crucis facta per impositionem manus ministri in fronte confirmandi. 277-301
- Art. 3. Utrum materia remota Confirmationis sit chrisma seu oleum olivarum balsamo permixtum et ab episcopo benedictum. 301-319
- Art. 4. Utrum forma Confirmationis consistat in verbis “Signo te signo crucis et confirmo te chrismatis salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti” aut in aliis aequivalentibus. 319-337
- Art. 5. Utrum effectus Confirmationis sit “gratia perfectae aetatis spiritualis vitae” et character militiae Christi. 337-353
- Art. 6. Utrum sacramentum Confirmationis sit absolute initerabile. 353-363
- Art. 7. Utrum sacramentum Confirmationis sit necessarium ad sâlutem non stricte sed moraliter. 363-371
- Art. 8. Utrum subjectum Confirmationis sit omnis et solus homo baptizatus. 372-376
- Art. 9. Utrum ordinarius minister Confirmationis sit episcopus, extraordinarius vero presbyter. 377-401
- Art. 10. Utrum convenienter assignentur caeremoniae et sacramentalia Confirmationis. 401-407

DE BAPTISMO

INTRODUCTIO

Inter novae legis sacramenta *primum ac potissimum* est Baptismus, ordine non dignitatis sed naturae et necessitatis. Est enim “lavacrum regenerationis” (Tit. 3, 5), seu “vitae spiritualis ianua” (Cone. Flor., Denz. 696), “christianae religionis . . . ianua” (Rituale Rom., t. 2, c. 1, n. 1), “Sacramentorum ianua ac fundamentum” (Codex J.C., c. 737).

Quomodolibet quippe Baptismus consideretur, sive ex parte *sacramenti tantum*, sive ex parte *rei et sacramenti* seu characteris, sive ex parte *rei tantum* seu gratiae regenerativae, ianua est ac fundamentum: fundamentum aliorum sacramentorum, ianua Ecclesiae, initium vitae gratiae.

Ipsius tanta est *virtus et excellentia* ut merito a *Leone M.* fecunditati uteri B. Virginis comparetur: “*Dedit aquae, quod dedit matri; virtus enim Altissimi . . . quae fecit ut Maria pareret Salvatorem, eadem fecit ut regeneret unda credentem*”.¹

Virtus igitur hujus sacramenti considerari potest ut extensio quaedam fecunditatis B. Virginis; eadem quippe virtus Altissimi. quae per Virginis obumbrationem Caput Corporis mystici *Christum semel peperit*, per sacramentalem regenerationem *Ecclesiam continuo parit*, mystica membra Christo capiti incorporando.

Hujus sacramentalis generationis et incorporationis *multiplices effectus* enucleat *Chrysostomus* in sua homilia ad Neophytos:

“Ecce libertatis serenitate perfruuntur qui tenebantur paulo ante captivi, et cives Ecclesiae sunt qui fuerunt in peregrinationis errore, et justitiae in sorte versantur qui fuerunt in confusione peccati. Non enim tantum sunt liberi, sed et *sancti*: non tantum sancti, sed et *justi*: non

¹Serm. 25, V in Nativ. Domini, M.L. 54, 211; cf. Serm. 24 in Nativ. Domini, c. 3 cit. in superiori tractatu, p. 151; *Augustinum*, Serm. 135, n. 1, in Appendice, M.L., 39, 2012.1

solum justi, sed et *filii*: non solum filii, sed et *haeredes*: non solum haeredes, sed et *fratres Christi*: nec tantum fratres Christi, sed et *cohaeredes*: non solum cohaeredes, sed et *membra*: non tantum membra, sed et *templum*: non tantum templum, sed et *organa Spiritus*. *Vides quot sunt Baptismatis largitates*: et nonnulli deputant coelestem gratiam in peccatorum tantum remissione consistere: nos autem honores *computavimus decem*. Hac de causa etiam infantes baptizamus: cum non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, haereditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint” (apud *Augustinum*, C. Julian. 1, 6, 21, M.L. 44, 654).

I. OBJECTUM TRACTATUS.

Definitio Nominalis.

In ipsa *Scriptura*, praecipue in epistolis paulinis, *VARIA NOMINA* Baptismo tribuuntur: *baptismus* (cf. infra), *lavacrum aquae* (Eph. 5, 26), *lavacrum regenerationis* (λουτρό? παλιγγυσία ; Tit. 3, 5), absolutio peccatorum (Act. 22, 16), vitae novitas (Rom. 6, 4), sanctificatio (1 Cor. 6, 11), sepultura hominis cum Christo (Rom. 6, 4), *circumcisio non manufacta* (Coi. 2, 4), illuminatio (Hebr. 6, 4).

Patres eadem nomina resumunt, ornant, multiplicant, juxta varios Baptismi aspectus et effectus.²

Attenta *materia remota* Baptismus vocatur: sacramentum aquae, fons sacer, aqua genitalis. Attenta *materia proxima* dicitur: baptismus, tinctio, lavacrum (λουτρόν). Attenta *forma et primo effectu seu caractere* vocatur: signaculum (σφραγι), sacramentum Trinitatis, signaculum Trinitatis, sigillum Christi, sigillum fidei. Attento *principali effectu gratiae* dicitur: regeneratio (παλιγγενεσία), illuminatio (φωτισμό, φωτισρα), diluvium vel naufragium peccatorum, circumcisio. Attenta *passione Christi et futura gloria*, una cum gratia significatis, vocatur: sacramentum passionis Christi, fons aeternitatis, immortalitatis vestimentum. Attentis *caeremoniis* dicitur: impositio manuum, unctio, vestimentum candidum.

Inter haec omnia, *quatuor* frequentius apud Patres recurrunt veluti *propria nomina* hujus sacramenti, i.e. apud *Latinos*, praecipue *Tertullianum*, *tinctio*, quae idem sonat ac ablutio (unde *Isidorus*, Etym. 6, 19, 43 ait: “Baptismus Graece, Latine tinctio interpretatur”); apud *Graecos* φωτισμόν vel φώτισμα (illuminatio) et παλιγγενεσία (regeneratio); apud *utrosque* vero *BAPTISMUS VEL BAPTISMA* βαπτησμο vel³

² Cf. v.g. *Gregorium Naz.*, Orat, in sancta lumina (M.G. 36, 353) et *Clementem Alex.*, Paedag. 1, 6 (M.G. 8, 281).

βάπτισμα, quae vox ex Scriptura derivata et in primitiva Ecclesia universaliter adhibita, paulatim in utraque Ecclesia usum fere exclusivum obtinuit ad hoc sacramentum designandum.

De multiplici hujus vocis significatione breviter dicendum:

Nomen baptismi vel baptismatis, translatio vocis graecae βα-τισμή[^] vel βάπτισμα quae derivatur a verbo graeco βαπτίζω (iterum mergo) forma frequentativa verbi βάπτω (immergo, intingo), significat immersionem, tinctionem, aspersionem, lotionem, purificationem per aquam, uno verbo *ablutionem in genere*.

In *N.T.*³ verbum βάπτω raro invenitur (Luc. 16, 24; Joan. 13, 26; Apoc. 19, 13), verbum vero βαπτίζω frequentissime occurrit tum in evangeliiis tum in actibus tum in epistolis. Nomen βάπτισμα frequens est; nomen vero βαπτισμός rarissimum (Mare. 7, 4; Hebr. 6, 2; 9, 10), e converso in versione *Vulgata* ordinarie habetur *baptismus*, raro autem *baptisma* (Mare. 7, 4. 8; Eph. 4, 5; Hebr. 6, 2; 9, 10; 1 Petr. 3, 21). Nomen personale βαπτιστή[?] (baptista) occurrit in Matth. 3, 1; 11.11 sq.; Mare. 6, 25; 8, 28; Luc. 7, 33; 9, 19.

In usu *SCRIPTURAE VEL PATRUM* baptismus *dupliciter* accipitur, proprie et metaphorice.

In sensu proprio *quadupliciter* sumitur: *primo*, pro *ablutione* vel immersione communi et *projana*, ut in 4 Reg. 5, 14 ubi dicitur Naaman syrum se lavasse (ἐβαπτισαι-το) in Jordane et in Judith 12,7 ubi dicitur quod Judith “baptizabat se in fonte aquae”; *secundo*, pro *ablutione legali* qua frequenter Judaei utebantur, quo sensu in Mare. 7, 4 sq. commemorantur “baptismata calicum, et urceorum” et Hebr. 9, 10 dicitur hostias et munera Hebraeorum fuisse “solummodo in cibis, et in potibus, et variis baptismatibus”; *tertio*, pro illa peculiari sacra ablutione in signum poenitentiae quae fuit *baptismus Joannis* de quo ipse Baptista ait: “Misit me baptizare in aqua” (Joan. 1,33); *quarto*, pro *primo sacramento N.L.* de quo ibidem dicitur: “Hic est qui baptizat in Spiritu sancto.”

In sensu etiam *metaphorico* baptismus *quadupliciter* accipitur: *primo*, pro magna *afflictione* quae veluti unda animum invadit, quo sensu Christus de sua passione ait: “Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur?” (Luc. 12, 50); *secundo*, pro magna *gratiarum effusione*, quo sensu Christus promisit: “Baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies” (Act. 1, 5); *tertio*, pro *martyrio* quod est veluti proprii sanguinis ablutio, quo sensu Christus interrogavit filios Zebedaei: “Potestis bibere calicem quem

* Cf. D'Alès, De Bapt. et Confirm., Prooemium.

ego bibo? aut baptismo quo ego baptizor baptizari?” (Mare. 10, 38); *quarto*, pro *baptismo Moysis*, de quo in 1 Cor. 10, 2: “Omnes in Moyse baptizati sunt, in nube et in mari”; deducta enim metaphora ex ipso sacramento Baptismi Apostolus vocat baptismum transitum Hebraeorum per mare rubrum et iter in deserto sub nube, quatenus haec eos liberavit ex inimicis et incorporavit Deo et Moysi sicut sacramentum Baptismi liberat a peccato et incorporat Christo.

Apud *Patres* aliae etiam acceptiones metaphoricæ recurrunt, in quibus metaphora deducitur ex ipso sacramento Baptismi et praecipue ex ejus effectu. Ita *gratia sanctificans* vocatur baptismus eo quod eundem effectum producat; *poenitentia* vocatur secundus baptismus vel baptismus laboriosus; *diluvium* vocatur baptismus mundi (cf. *Tertullianum*, De bapt. 8; *Damasc.*, De fide orth. 4, 9) quia mundum purgavit a peccatoribus; *ablutiones judaicae* dicuntur baptismata quia purificationem et sanctitatem legalem conferebant; *ignis inferni* dicitur baptismus quia suo modo inducit purgationem seu expiationem peccati, quo sensu quidam accipiunt verba Matth. 3, 11 “Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni”;⁴ *martyrium* vocatur *baptismus sanguinis* non tam ob similitudinem sanguinis instar aquae tingentis hominem quam ob suam efficacitatem qua valet sacramentum supplere.

THEOLOGI quasdam alias metaphoricæ acceptiones addiderunt. Ita *professio religiosa* dicta est secundus baptismus, utpote perfecta abrenuntiatio Satanae et mundi; praecipue vero *actus contritionis* justificantis ante Baptismum dictus est *baptismus flaminis*, unde completa est celebris trita distinctio *Baptismi fluminis, flaminis et sanguinis*, de qua sermo erit in art. 18.

Definitio Realis.

Juxta ea quae de definitione sacramenti in genere dicta sunt in superiori tractatu (p. 68-75 et 103-105) et ea quae de essentia et effectu hujus sacramenti infra discutientur, Baptismus sic definiri potest:

DEFINITIO METAPHYSICA: *Sacramentum spiritualis regenerationis.*

In qua definitione sacramentum est *genus proximum* (genus autem remotum est signum), spiritualis vero regeneratio est *differentia specifica*.

Definitio aequivalens sed minus stricta (in qua nempe assumitur genus intermedium, i.e. signum, pro genere proximo quod est sacramentum): Signum rei sacrae inquantum est regenerans homines.

⁴ Cf. De sacr. in gen., art 9, p. 156.

Descriptio: Sacramentum causativum spiritualis regenerationis, vel, Signum practicum gratiae regenerantis, vel, Signum et causa gratiae regenerantis.

DEFINITIO PHYSICA: Ablutio aquae sub explicita invocatione SS. Trinitatis, significans spiritualem regenerationem.

In qua definitione ablutio aquae est *materia*, explicita invocatio Trinitatis est *forma*, relatio vero signi spiritualis regenerationis est *ultima forma* totius artefacti.

Descriptio: Compositum artefactum ex ablutione aquae et explicita invocatione Trinitatis, convenientibus ut materia et forma in unum subjectum relationis signi gratiae regenerantis ab eodem subjecto causatae.

CATECHISMUS CONC. TRID. utramque definitionem, collatis duabus expressionibus S. Pauli (Tit. 3, 5, cf. Joan. 3, 5; Eph. 5, 26) sic concinne et eleganter exprimit: “*Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*” (p. 2, c. 2, q. 5).

II. PRINCIPIA TRACTATUS.

1. Scriptura.

A. SACRAMENTUM BAPTISMI IN NOVO TESTAMENTO.

Praecipui et fundamentales textus de Baptismo sunt tres: *Matth. 28, 19, Marc. 16, 16, Joan. 3, 5* (cf. infra), in quibus ipse Christus exhibet institutionem, necessitatem, materiam, formam, effectus hujus sacramenti.

Praecipua facta quae ad Baptismum referuntur sunt:

Praedictio Joannis Baptistae de excellentiori quodam baptismo a Christo conferendo: *Matth. 3, 11 sq., Marc. 1, 7 sq., Lue. 3, 16 sq., Joan. 1, 29 sqq.*

Baptismus ipsius Christi in Jordane, in quo habetur institutio vel saltem initium quoddam sacramenti Baptismi: *Matth. 3, 13 sqq., Marc. 1, 9 sqq., Lue. 3, 21 sq., Joan. 1, 32 sqq.*

Colloquium Christi cum Nicodemo de necessitate et effectu Baptismi: *Joan. 3, 1-21.*

Administratio Baptismi a discipulis durante vita publica Christi: *Joan. 3, 22-26, 4, 1 sq.*

Solemne et universale mandatum docendi et baptizandi latum a Christo post resurrectionem: *Matth. 28, 19, Marc. 16, 15 sq.*

Ministerium Apostolorum Baptismum applicantium ubique post

Pentecosten: *Act.* 2, 37 *sqq.*, 8, 12 *sqq.*, 8, 32 *sqq.*, 9, 10 *sqq.*, 10, 44 *sqq.*, 16, 12 *sqq.*, 18, 24.

Doctrina Apostolorum de indole hujus sacramenti (cf. infra).

Doctrina de Baptismo:

Institutio et necessitas:

Matth. 28, 19: “Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.”

Marc. 16, 16: “Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.”

Joan. 3, 5: “Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.”

Materia remota seu aqua:

Joan. 3, 5 supra cit.

Act. 8, 36 *sq.*: “Et dum irent per viam, venerunt ad quamdam aquam; et ait eunuchus: Ecce aqua; quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens, ait: Credo Filium Dei esse Jesum Christum.”

Act. 10, 47: “Tunc respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi qui Spiritum sanctum acceperunt sicut et nos?”

Eph. 5, 26: “Ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae”.

Hebr. 10, 22: “Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda”.

Materia proxima seu ablutio:

Act. 8, 36 supra cit.

Rom. 6, 4: “Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem [en allusio ad immersionem seu ablutionem], ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus.”

Eph. 5, 26 supra cit.

Tit. 3, 5: “Lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti”.

Hebr. 10, 22 supra cit.

Forma seu invocatio SS. Trinitatis:

Matth. 28, 19 supra cit.

Nota. De baptismo in nomine Jesu Christi cf. *Act.* 2, 38; 8, 12. 16; 10, 48; 19, 5; 22, 16; *Rom.* 6, 3; *1 Cor.* 1, 13; 6, 11; *Gal.* 3, 27.

Effectus:

Effectus spiritualis in genere, seu Baptismus in Spiritu S.:

Matth. 3, 11: “Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni.”

Marc. 1, 8: “Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto.”

Luc. 3, 16: “Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni”.

Joan. 1, 33: “Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: ... hic est qui baptizat in Spiritu sancto.”

Act. 1, 5: “Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.”

Act. 19, 2 sq.: “Dixitque ad eos: Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus sanctus est, audivimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Joannis baptismate.”

1 Cor. 6, 11: “Et haec quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.”

1 Cor. 12, 13: “In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus ... et omnes in uno Spiritu potati sumus.”

Regeneratio:

Joan. 3, 5 supra cit.

Tit. 3, 5 supra cit.

Rom. 6, 3-6: “An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus; hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruat corpus peccati, et ultra non serviamus peccato.”

Coi. 2, 11-13: “In quo [i.e. Christo] et circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi; consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis. Et vos cum mortui essetis in delictis, et praepotio carnis vestrae, convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta”.

Incorporatio Christi:

Rom. 6, 3-6 supra cit.

1 Cor. 12, 13 supra cit.

Gal. 3, 27: “Quicumque enim in Christo baptizati estis. Christum induistis.”

Coi. 2, 11-13 supra cit.

Aggregatio Ecclesiae:

Joan. 3, 5 supra cit.

Act. 2, 41: “Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt; et appositae sunt in die illa animae circiter tria millia.”

1 Cor. 12, 13 supra cit.

Sanctificatio:

1 Cor. 6,11 supra cit. *Eph. 5, 26* supra cit.

Remissio peccatorum et justificatio:

Act. 2, 38: “Petrus vero ad illos: Poenitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum”.

Act. 22, 16: “Exurge, et baptizare, et ablue peccata tua, invocato nomine ipsius.”

1 Cor. 6,11 supra cit. *Col. 2,11-13* supra cit.

1 Petr. 3, 21: “Quod et vos nunc similis formae salvos facit baptismus, non carnis depositio sordium, sed conscientiae bonae interrogatio in Deum”.

Dispositiones, i.e. fides et poenitentia:

Matth. 28, 19 supra cit.; *Marc. 16, 16* supra cit.; *Act. 2, 38. 41; 8, 36 sq.; 10, 47; 22, 16* supra cit.

Act. 8, 12: “Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres.”

Act. 18, 8: “Multi Corinthiorum audientes credebant, et baptizabantur.”

Eph. 4, 5: “Unus Dominus, una fides, unum baptismus.”

B. PROPHECIAE BAPTISMI IN ANTIQUO TESTAMENTO.

Plures *Patres et theologi* interpretantur ut prophetias Baptismi plures textus A. T. in quibus sermo est de fontibus vel aquis in spirituales potationem aut purificationem; ita praecipue *4 Reg. 2, 21; Psal. 23, 1-3; Psal. 50, 7; Isai. 1, 25; 12, 3; 44, 3; 52, 1. 2. 3. 15; 55, 1; Ezech. 16, 5. 8. 9. 10; 36, 25-27; 47, 1-12; Midi. 7, 19; Zach. 13, 1; 14, 8.*

Ipsa *Liturgia* quibusdam ex his textibus utitur, ut *Ezech. 47, 1 sqq.* in Benedictione ad populum ante Missam dominicalem tempore paschali (Vidi aquam) et *Ezech. 36, 25* in Introito Missae feriae 4 in quarta hebdomada quadragesimae et Vigiliae Pentecostes.

Quidam moderni dicunt in praefatis textibus non agi de sensu prophetico, sed *Patres et Ecclesiam* eis uti in *sensu accommodato*. Attamen *Catechismus Cone. Trid., p. 2, c. 2, q. 9*, ait: “De praedictionibus . . . dubitare nemo potest, quin aquae illae, ad quas tam liberaliter Isaias

profeta [55, 1] omnes sitiennes invitat, vel quas e templo egredientes Ezechiel [47, 1] in spiritu vidit; tum praeterea fons ille, quem domui David et habitantibus Ierusalem paratum in ablutionem peccatoris et menstruatae, Zacharias [13, 1] praenunciavit, ad salutarem baptismi aquam indicandam atque exprimendam pertineant.”

Knabenbauer de textu Ezech. 36, 25-27 ait:

“Manifestum est quam praeclare hoc oraculo id exprimitur quod ad hominis iustificationem in novo foedere Deus instituit. In aqua illa v. 25 facile cernis adumbrari aquam baptismalem, hic habes spiritum Domini qui se animis communicat eosque innovat, ad novam vitam transfert. Iam quid est hoc aliud nisi vaticinium de regeneratione ex aqua et Spiritu sancto? Pariter declaratur duplex illud quod in iustificatione homini obtingit: remissio peccatorum (v. 25) et infusio gratiae (v. 26. 27) quam infusionem hic habemus expressam in spiritu Domini posito in cordibus, per quem cor nostrum efficitur novum, efficitur obediens et facile cedens monitionibus divinis. Unde haud obscure in corde novo novoque spiritu cernere possumus donum gratiae creatae, ut theologi loquuntur, in spiritu Dei autem ipsam inhabitationem Spiritus sancti, quae donum gratiae creatae consequitur et ultima perfectione absolvit.

“Attende itaque, quam apte congruat oraculum iis veritatibus quas explicite in novo foedere didicimus. Et si hunc locum perpenderit et cum eo contuleris Ps. 50, 21, etiam videbis quam vere et iuste Christus reprehenderit Nicodemum, qui de regeneratione ex spiritu Dei nihil plane invenerit in sacris litteris: tu es magister in Israel et haec ignoras (Joan. 3, 10)? Non opus erit monere interpretes catholicos hic baptismi aquam et Spiritus s. infusionem cerni delineatam.”⁵

Allusio ad has prophetias invenitur in verbis Christi ad *Samaritanam* (Joan. 4, 13) et ad *Judaeos* (Joan. 7, 37-39) de aqua spirituali et in reprehensione *Nicodemi*: “Tu es magister in Israel, et haec ignoras?” {*Joan. 3, 10*; cf. *Knabenbauer* nuper cit. et tract. De sacr. in genere, art. 9, p. 156 sq.).

C. TYPI ET FIGURAE BAPTISMI IN UTROQUE TESTAMENTO.

Ex multis Baptismi typis qui a Patribus® referuntur et explicantur, quidam, ut diluvium et transitus maris rubri, ab ipsis auctoribus inspiratis adducuntur. Quidam autem pertinent ad N.T., major vero

⁵Comm, in Ezech. (v. 27), Parisiis, 1890, p. 372.

“De locis Patrum in quibus praecipui Baptismi typi explicantur confer *Diet. Thiol. Cath.*, art. Baptême, col. 196-200.

pars ad A.T.; quidam referunt solam similitudinem quoad effectum Baptismi, ut Circumcisio et remedium naturae, generatim vero referunt etiam similitudinem quoad materiam seu aquam; quidam sunt sacramenta, ut remedium naturae et Circumcisio, quidam sunt facta naturalia, ut typi qui habentur in creatione mundi, major vero pars sunt facta miraculosa.

Praecipui typi sunt remedium naturae et Circumcisio eo quod fuerint sacramenta et quidem ad eundem effectum ablationis originalis peccati ordinata, quae est praecipua ratio consideranda in Baptismo. Sequitur *baptismus Joannis* qui istis aliquatenus accedit quoad similitudinem efficacitatis et simul superat omnes typos quoad similitudinem ritus seu materiae proximae. Sequuntur dein *ceteri typi* juxta expressiorem modum quo effectum vel ritum Baptismi significant; hi autem qua parte important elementum aquae praecellunt secundum quid ipsa sacramenta remedii naturae et Circumcisionis. Ad rem S. *Thomas*: “Protectio columnae nubis et transitus maris Rubri fuerunt quaedam figurae nostri baptismi, quo renascimur ex aqua significata per mare Rubrum, et Spiritu sancto significato per columnam nubis; non tamen per haec fiebat aliqua professio fidei, sicut per circumcisionem, et ideo praedicta duo erant tantum figurae, et non sacramenta. Circumcisio autem erat etiam sacramentum praeparatorium ad baptismum; minus tamen expresse figurans baptismum, quantum ad exteriora, quam praedicta. Et ideo Apostolus potius fecit mentionem de praedictis quam de circumcisione” (c. 70, a. 1, ad 2).

Sit verbum de singulis typis:

Remedium naturae erat quoddam signum protestativum fidei in futurum Redemptorem vi cujus peccatum originale parvulis remittebatur; ac ita Baptismum praefigurabat tum in ratione signi, etsi indeterminati, tum in ratione effectus.

Circumcisio erat similiter signum protestativum fidei, in ritu sensibili determinatum, quo fiebat aggregatio populo Dei et peccatum originale remittebatur. Unde Baptismum expressius figurabat tum quoad duplicem ejus effectum, tum quoad externum ritum, utpote determinatum. Determinatio tamen ritus Circumcisionis, quatenus specificè erat carnis abscissio, non figurabat ritum ablutionis Baptismi sed bene ejus effectum, i.e. interiorem ablutionem. “Nam sicut per circumcisionem auferebatur quaedam carnalis pellicula, ita per baptismum homo expoliatur a carnali conversatione” (q. 70, a. 1, ad 1). De Circumcisione sermo erit in art. 20.

Baptismus Joannis excellentissime Baptismum Christianum figuravit quantum ad ritum externae ablutionis; minus directe vero quantum

ad effectum, tum quia gratiam non conferebat tum praecipue quia “erat quasi quaedam protestatio et professio poenitentiae” (In 4 Sent., dist. 2, q. 2, a. 2, ad 1), unde sic potius erat typus sacramenti Poenitentiae. De natura et vi hujus baptismi erit art. 19.

Duo praestantissimi typi Baptismi nobis proponuntur ab ipsis auctoribus inspiratis, nempe *diluvium* una cum arca Noe et *transitus viaris rubri* una cum nube Hebraeos comitante in deserto.

Juxta S. Petrum (1 Ep., 3, 7P-27), sicut per aquam in arca familia Noe salutem invenit ita nos per aquam Baptismi. “In qua [i.e. in arca Noe], inquit, pauci, id est octo animae salvae factae sunt per aquam. Quod et vos nunc similis formae salvos facit baptisma”. Juxta *Patres* diluvium fuit typus Baptismi etiam lavando crimina mundi.

S. Paulus (7 Cor. 10, 7-77) transitum maris rubri et commorationem sub nube vocat baptismum ac innuit ea fuisse typum nostri Baptismi, ex parte eorum effectus seu liberationis ab Aegyptiis et incorporationis ad populum Dei et ad Moysen ejus ducem. “Patres nostri, inquit, omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt; et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube et in mari . . . Haec autem in figura facta sunt nostri”. *Patres* ita hunc typum illustrant: unda maris rubri est figura aquae Baptismi rubrae de sanguine Christi: columna nubis est figura Spiritus S. cujus virtute salus confertur; Moyses est figura Christi capitis populi christiani; Aegyptii sunt figura peccatorum quae Baptismate destruuntur (cf. q. 90, a. 1, ad 2).

Alii typi quos Patres afferunt sunt: *lotio Naaman* syri in Jordane quae ipsum a lepra liberavit (4 Reg. 5, 14); *aqua miraculose fluens de petra*, jubente Moyse (Exod. 17, 1 sqq.; cf. 1 Cor. 10, 4); *cflormatio corporis hominis ex limo* seu ex aqua et terra (Gen. 2, 7; Tob. 8, 8); *praesentia Spiritus Dei super aquas* in ipsa creatione mundi (Gen. 1, 2). Ex *N.T.* hi praesertim typi adducuntur: *sanatio caeci nati* per sputum, lutum et aquam natatoriae Siloe (Joan. 9, 6 sq.); *sanatio surdi et muti* per sputum (Mare. 7, 33-35); *probatica piscina* (Joan. 5, 2); *aqua ex latere Christi fluens* (Joan. 19, 34) una cum sanguine (qui est typus Eucharistiae).

Afferuntur etiam minus frequenter *alii typi minoris momenti*, uti aquae in quibus pisces producuntur in die creationis (Gen. 1, 20); flumen inundans paradysum terrestrem; conversio aquae amarae in dulcem (Exod. 15, 23 sqq.); *serpens aeneus* (Num. 21, 9); transitus Jordanis duce Josue; variae *ablutiones Judaeis praescriptae* (Lev. 14; Num. 19); purificatio leprosi a lege praescripta; labrum aeneum (Exod. 30, 18); ferrum securis ab Eliseo ex aqua eductum (4 Reg. 6, 5); aqua

in vinum conversa in nuptiis Canae; aqua salutaris de qua Christus locutus est cum Samaritana; *piscationes cvangelicae*; verba Christi “Faciam vos fieri piscatores hominum” (Marc. 1, 17); mare vitreum quod Joannes (z\poc. 4, 6) vidit in conspectu sedentis.

Generatim Patres inveniunt typum Baptismi in omnibus fere locis Scripturae ubi agitur de aliquo prodigio a Deo patrato in aqua; imo *Cyprianus* in Epist. 63, n. 8 asserit: “Quotiescumque aqua sola in Scripturis sanctis nominatur, baptisma praedicatur” (M.L. 4, 390).

Ad hos Baptismi typos alludit *Liturgia* in benedictione aquae lustralis (cf. Rituale Rom.), in benedictione Fontis in Sabbato Sancto (cf. Missale Rom.) et in benedictione aquae cum sale, cineribus et vino in consecratione Ecclesiae (cf. Pontificale Rom.).

2. Patres et Theologi.

Apud *PATRES* uberrime exponitur materia de Baptismo. Cum enim hoc sit praecipuum ac specificum sacramentum Christianae initiationis, facile eis occasio et necessitas offerebatur de ipso disserendi; unde *primi Patres* fere exclusive de Baptismo una cum altero sacramento Christianae initiationis agunt. *Inde autem a Tertulliano*, qui primus peculiarem librum de Baptismo conscripsit, integros tractatus et extensas orationes de eodem ediderunt. Uberius autem scripserunt *latini Patres*, praecipue *Augustinus*, propter exhortas in Occidente controversias de Rebaptismate et Reordinationibus.

In his Patrum scriptis fere omnes quaestiones agitantur, i.e. de materia, forma, institutione, necessitate, ministro et effectibus hujus sacramenti, ut constabit ex Parte Affirm, subsequentium articulorum et jam luculenter constitit ex variis articulis tractatus De sacr. in gen., in quibus fere omnia testimonia allata ex Patribus referuntur immediate ad sacramenta Baptismi et Eucharistiae, quippe quae in evolutione et determinatione doctrinae de sacramentis in genere, veluti forma et exemplar extitere.

Praecipua Patrum opera de Baptismo sunt:

Tertullianus, De baptismo (M.L. 1, 1197 sqq.).

Cyprianus, Ep. 1 ad Donatum (M.L. 4, 193 sqq.); Ep. de rebaptismate i.e. 70-76 (M.L. 4, 421 sqq.; 3, 1149 sqq.; cf. tract, de sacr. in gen., art. 39).

Anonymus De rebaptismate, inter apocrypha Cypriani (M.L. 3, 1225 sqq.).

Ambrosius, De mysteriis (M.L. 16, 389 sqq.).

Anonymus De sacramentis, inter apocrypha Ambrosii (M.L. 16, 417 sqq.).

Maximus Taurinensis, tract. 1-3 (M.L. 55, 771 sqq.).

Padanus, De baptismo (M.L. 13, 1089 sqq.).

Optatus Milevitanus, De schismate Donatistarum (M.L. 11, 883 sqq.).

Augustinus, De catechizandis rudibus; De symbolo ad catechumenos (M.L. 40, 309 sqq.; 627 sqq.); De baptismo contra Donatistas (M.L. 43, 107 sqq.). De aliis scriptis contra Donatistas confer tract, de sacr. in gen., art. 39.

Cyrillus Hier, Catecheses (M.G. 33, 369 sqq.).

Basilius, Homilia 13 ad sanctum baptisma (M.G. 31, 423 sqq.); Ad Amphiloichium epist. 188 et 199 (M.G. 32, 715 sqq.); De Spiritu S. (M.G. 32, 128 sqq.).

Gregorius Naz., Oratio 39 in sancta lumina et Oratio 40 de baptismo (M.G. 36, 360 sqq.).

Gregorius Nyss., Oratio catechetica magna (M.G. 45, 9 sqq.); De infantibus qui praemature abripiuntur; Contra differentes baptismum; In baptismum Christi (M.G. 46, 161 sqq. 415 sqq. 580 sqq.).

Chrysostomus, Ad illuminandos catecheses (M.G. 49, 223 sqq.).

THEOLOGII saec. 12 Patrum doctrinam de Baptismo colligunt sub

' Bibliographia theologorum. Praeter generalia opera de sacramentis, tum speculativa, tum positiva (Renaudot, Marlène, Chardon, Juénin, Merlin, Duchesne, Batiffol, Villien), citata in tractatu De sacr. in gen., p. 15 sq., conferantur:

Grelser, De baptismo et confirmatione, Ingolstadt, 1595.

Viceconies (Visconti), Observationes ecclesiasticae de antiquis baptismi ritibus et caeremoniis, Mediolani, 1615.

Nicolai, De baptismi antiquo usu ab Ecclesia comprobato, scilicet de Judaeis aut quibuscumque infidelibus ad baptismum suscipiendum non cogendis, Parisiis, 1668.

J. Hardouin, De baptismo quaestio triplex, Parisiis, 1687.

Pontanus, Dissertatio de ritu mersionis in sacro baptismo, Trêves, 1705.

G. Gualdo, Baptisma puerorum in uteris existentium, 1710.

Duguet, Dissertations théolog. et dogmat. sur les exorcismes et autres cérémonies du baptême, Paris, 1727.

A. G. Orsi, De baptismo in solius Jesu nomine nunquam consecrato, Mediolani, 1733.

Joachim, Dissertatio de donis baptismalibus, Halle, 1736.

C. I. Ansaldi, De baptimate in Spiritu S. et igni, Mediolani, 1752.

Acamus, Epistola de paedobaptismo solemnii in Ecclesia latina et graeca, Romae, 1755.

J. Kleiner, Orthodoxa de necessitate baptismi doctrina, Heidelberg, 1765.

I. L. Bianchi, De remedio aeternae salutis pro parvulis in utero clausis, Veneriis, 1768.

J. C. Trombelli, Tractatus de sacramentis, De baptismo, etc., Bononiae, 1769.

Zimmermann, De baptismi origine ejusque usu hodierno, 1815.

Kcnrick, A treatise on Baptism, 1843.

Hofling, Das Sakrament der Taufe, 2 voll., Erlangen, 1846, 1848.

Pozzy, Le baptême des enfants en face de l'histoire et de la Bible, Paris, 1856.

Risi, De baptismo parvulorum in primitiva Ecclesia, Romae, 1870.

J. Corblet, Histoire dogmatique, liturgique et archéologique du sacrament de baptême, 2 voll., Paris, 1881 sq.

J. Marquardt, S. Cyrillus Hieros. baptismi, chrismaris, Eucharistiae mysteriorum interpres, Leipzig, 1882.

J. Ernst, Die Lchrc des Liber de rebaptimate von der Taufe, in Zeitschr. fur Kath. Theol., 1900, p. 425 sqq.

L. E. Bourgeois, Le baptême romain au IV siècle, Aix, 1902.

V. Ermoni, Le baptême dans l'église primitive, Paris, 1904; L'histoire du baptême depuis l'édit de Milan (313) jusqu'au concile in Trullo (692), in Revue des questions historiques, 1898, t. 64, p. 313-324.

forma tractatus; satis fuse eam exponit *Petrus Lombardus* qui in *Sent.*, l. 4, dist. 1-6 tangit fere omnes quaestiones de essentia, ministro, subjecto, effectu et caeremoniis Baptismi, de baptismo Joannis, de circumcisione, de remedio naturae. Saec. 13 S. *THOMAS* hanc eandem divisionem sequitur ac ita tractatum evolvit et perficit (q. 66-71) ut nihil fere posterioribus theologis addendum reliquerit.

Nec ceterum magnae inter theologos fuerunt *controversiae* de hac materia prout distinguitur a materia de sacramentis in genere. Quoad quaestionem *de existentia* disputatum est utrum Christus Baptismum instituerit ante vel post passionem. Quoad quaestionem *de essentia* memoratur singularis opinio *Hugonis a S. Victore* reponentis materiam proximam Baptismi in ipsa aqua potiusquam in ejus usu. Majoris momenti fuit dissensus aliquorum theologorum *quoad jormam*; quidam enim pauci dixerunt non requiri expressionem actus baptizandi, alii vero gravioris auctoritatis, ut *Hugo a S. Victore, Petrus Lombardus, Cajetanus*, docuerunt valere Baptismum in nomine Christi collatum. Quoad quaestionem *de subjecto* quidam in medio aevo asseruerunt parvulis non conferri totaliter Baptismi effectus nisi postquam usum rationis adepti fuerint; alii posteriores, ut *Cajetanus*, absolutam et universalem necessitatem Baptismi impetiti sunt quatenus docuerunt parvulos absque eo salvari posse in fide aliorum.

3. Documenta Ecclesiae.

In *Symbolo Nicaeno-Constant.* essentia hujus sacramenti breviter proponitur: "Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum" (Denz. 86). Fidem "in unum poenitentiae baptismum" (Denz. 14) confitetur *Symbolum Epiphanii*, Catechumenis in Oriente propositum.

H. Koch, Die Tauflehre des Liber de rebaptismate, Braunsberg, 1907.

B. Stakmcicr, La dottrina di Tertulliano sui battesimo e sulla cresima, in Riv. storico-critica delle scienze teol., 1908, p. 281 sqq.

Fr. X. J. Dolger, Der Exorcismus im altchristlichen Taufritual, Paderborn, 1909; Sphragis, cine altchristliche Taufbezeichnung, Paderborn, 1911.

IV. Hellmanns, Wertschätzung des Martyriums als ein Rechtfertigungsmittel in der altchristlichen Kirche, Breslau, 1912.

J. Belser, Das Zeugnis des viernten Evangelisten für die Taufe, Eucharistie und Gcistessendung, Freiburg, 1912.

F. Gillmarm, Taufe "im Namen Jesu" oder "im Namen Christi?", Mainz, 1913.

JF. Koch, Die Taufe in N.T., Münster, 1921.

A. M. Lépicier, Tractatus De Baptismo et Confirmatione, Parisiis, 1923.

A. D'Alès, De Baptismo et Confirmatione, Parisiis, 1927.

Boulangier, Le Baptême, La Confirmation, Paris, 1930.

F. Cuttaz, Les effets du Baptême, Juvisy, 1933.

Dictionnaire de Théologie Catholique, art. Baptême {*Bellamy, Bareille, Bour, Ermoni, Ruch, Morel, Mangenot*}, col. 167-378.

Dictionnaire Apologétique de la Foi Catholique, art. Initiation chrétienne {*D'Alès*}, col. 789 sqq.

Dictionnaire de la Bible, art. Baptême {*Vacant*}, col. 1433 sqq.

Dictionnaire d'Archéologie chrétienne et de Liturgie, art. Baptême {*De Puniet*}, col. 251 sqq.

Plura habentur *antiqua documenta* Ecclesiae *damnantia Rebaptismum*, quae recitavimus in tract. De sacr. in gen., art. 39.

CONC. FLORENTINUM in *Decr. pro Armenis* apte et concinne hujus sacramenti indolem, effectum, materiam, formam, ministrum et subjectum proponit (Denz. 696).

CONC. TRIDENTINUM in *sess. 7, can. 1 de sacramentis in gen.*, definit Baptismum inter cetera sacramenta esse verum sacramentum N.L. a Christo institutum. Ibidem in *can. 1-14 de Baptismo* damnat singillatim varios Protestantium errores de hoc sacramento.

Docet nempe: *excellentiam* Baptismi Christi relate ad *baptismum Joannis* (*can. 7*); *aquam* naturalem esse necessariam materiam (*can. 2*); *necessitatem* Baptismi (*can. 5*); *validitatem et initerabilitatem* Baptismi haereticorum et infidelium Christianorum (*can. 4. 77*); *effectum* Baptismi non esse remissionem peccatorum *juturorum* (*can. 10*), esse *gratiam amissibilem* (*can. 6*), esse obligationem *observandi totam legem* Christi et Ecclesiae (*can. 7. 8. 9*); *validitatem et utilitatem Baptismi parvulorum* (*can. 12. 13. 14*).

In *can. 3 generaliter* statuit: "Si quis dixerit, in Ecclesia Romana (quae omnium ecclesiarum mater est et magistra) non esse veram de baptismi sacramento doctrinam: A.S." (Denz. 859). Iisdem fere verbis *contra Albigenses*, Novatorum praecursores, definierat generaliter de omnibus sacramentis *Cone. Viennense* a. 1184 (Denz. 402).

4. Errantes.

SCHISMA FICI

"Pleraque ex his, quae a theologis graeco-russis de sacramento baptismi communiter traduntur, a doctrina catholica non abhorrent . . . Non desunt tamen apud»theologos illos sententiae particulares de quibusdam quaestionibus, quas referre operae pretium est. Insuper elementum polemicum non parvum in hoc capite occurrit.

"Ab ineunte enim schismate ad nostra usque tempora, polemistae antilatini baptismum Occidentalium non semel criminati sunt, et ex ipsis quidam eo usque devenerunt, ut catholicos cujuscumque ritus rebaptizandos esse pronuntiaverint. Primus omnium Michael Caerularius contra Latinorum baptismum quaedam efflavit, illos videlicet reprehendens quod 'unam tantum immersionem peragerent, et baptizandorum

‡ *Bibliographia*. Praeter opera generalia quae citavimus in superiori tractatu ex *M. Jugie*, *Theologia Orientalium*, t. 3 de sacramentis, ad calcem Praenotaminum, notentur opera peculiariora de Baptismo ab eodem relata ibidem in decursu c. 2 de Baptismo.

Inter catholicos notandi sunt praecipue ipse *Jugie*, ibidem, *Th. Spâcil*, *Doctrina theologiae Orientis separati de sacramento baptismi*, Romae, 1926, et *A. Stacrck*, *Der Taufritus der griechisch-russischen Kirche*, Freiburg i. B., 1903.

ora sale implerent' [Epist. ad Petrum]. In opusculo *Contra Francos*, carpitur salivae unctio necnon usus Confirmationem seorsim a baptismo conferendi; quae omnia per saeculorum decursum a polemistis identidem repetita sunt, necdum oblivioni penitus tradita.

"Aliud crimen adinvenit Simeon Thessalonicensis in differentia utriusque formae, graecae et latinae; quod item hodierni polemistae silentio minime praetereunt . . .

"Praecipuum vero litigationis caput, inde a saeculo xiv, existit de materia proxima baptismi. Cum enim hoc tempore usus trinae immersionis in Ecclesia latina penitus fere obsoleverit et trinae infusioni cesserit, primum quidem de liceitate, mox vero de validitate baptismi per infusionem collati acriter disputare inceperunt theologi dissidentes; de quo capite in varias abierunt sententias; neque hactenus inter ipsos viget de hac quaestione firma ac plena consensio.

"Porro huic quaestioni alia mox inserta est: illa scilicet quae est de validitate baptismi a ministris haereticis collati; circa quam diversas iterum opiniones protulerunt iidem theologi, contrariaque decreta temporum decursu promulgarunt ecclesiasticae auctoritates, litis solutionem a novo quodam concilio oecumenico adhuc expectantes."⁰

*PROTESTANTES.*¹⁰

**M. Jugie*, *Theologia Orientalium*, t. 3, c. 2, Parisiis, 1930, p. 62 sq.

¹⁰*Bibliographia*. Praeter fontes et opera generalia de sacramentis, citata in tractatu De sacr. in gen. (p. 23), conferantur sequentes particulares tractatus:

Barber, *Treatise of Baptism or dipping*, London, 1641.

Vossius, *De baptismo*, 1648.

R. Barclay, *Theologiae verae christianae apologia*, Amsterdam, 1676.

Garner, *The primitive Baptism considered*, London, 1701.

Mathies, *Baptismatis expositio biblica, historica, dogmatica*, Berolini, 1731.

Watch, *Historia paedobaptismi quatuor priorum saeculorum*, lenae, 1739.

W. Hoffmann, *Taufe und Wiedertaufe*, 1846.

C. P. Caspars, *Alte u. neue Quellen zur Geschichte d. Taufsymbols und der Glaubensregel*, Christiania, 1849.

R. Clement, *Etude biblique sur le baptême*, Lausanne, 1851.

Lenoir, *Essai biblique, historique et dogmatique sur le baptême des enfants*, Paris, 1856.

G. D. Armstrong, *The doctrine of Baptism*, New York, 1857.

Ph. Wolff, *Le baptême, l'alliance et la famille*, Paris, 1860.

A. Duchemin et L. Monod, *Le baptême et la liberté chrétienne*, Paris, 1875.

D. B. Ford, *Studies on the Baptismal Question*, New York, 1879.

A. Weber, *Le saint baptême*, Paris, 1880.

Al. Duchemin, *L'institution du baptême*, Lyon, 1883.

A. Freybe, *Die heilige Taufe und der Taufschatz im deutschen Glauben and Recht*, Gütersloh, 1899.

E. Bunke, *Der Lchrstreit über die Kindertaufe innrhalb der lutherischen Kirche*, Cassel, 1900.

H. Cabanis, *L'évolution de l'idée du baptême depuis Jean-Baptiste jusqu'à saint Paul*, Cahors, 1900.

Wall, *History of infant baptism*, London, 1900.

Confession de foi et principes ecclésiastiques des Églises évangéliques dites baptistes, Paris, 1895.

H. J. Holtzmann, *Lehrbuch der neutestamentlichen Théologie*, 2 voll., Leipzig, 1897.

C. Werner, *Le baptisme*, Montauban, 1896.

Ut apparet ex ipsis canonibus tridentinis, Novatores plures errores elocent de Baptismo, qui logice descendunt ex ipsorum doctrina de sacramento in genere. 1. Negant Baptismum esse sacramentum in sensu catholico seu ritum gratiae collativum. 2. Reiciunt proinde ejus efficacitatem ex opere operato, sed simul e regione exaggerant ejus efficacitatem ex opere operantis, cum doceant per Baptismum hominem liberari ab omni lege et ab omni peccato etiam futuro gratiamque inamissibiliter accipere. 3. Negant necessitatem formae et invocationis SS. Trinitatis. 4. Quidam, ut ipse *Lutherus*, putant valere Baptismum in quolibet liquore collatum. 5. Communiter absolutam necessitatem Baptismi saltem quoad parvulos negant vel in dubium revocant. 6. *Lutherani* defendunt quemlibet esse legitimum Baptismi ministrum, dum e regione plures *Calvinistae* negant validitatem Baptismi collati a laico.

Anglicani autem satis fideliter generalem doctrinam traditionalem de Baptismo servarunt, salvis quibusdam infiltrationibus doctrinae Novatorum.¹¹

III. DIVISIO TRACTATUS.

5. *THOMAS* hanc materiam dividit in 6 quaestiones: de essentia et proprietatibus Baptismi (q. 66); de ministro (q. 67); de subjecto (q. 68); de effectu (q. 69); de circumcissione (q. 70); de caeremoniis (q. 71).

Omissis tum iis quae pertinent ad Moralistas, Juristas et Liturgistas, tum iis quae sunt communia aliis sacramentis, tum iis quae etsi propria Baptismi obiter tamen in superiori tractatu De sacr. in gen. expendi oportuit, tractatum in 7 dividimus capita:

De existentia		CAP. I. DE INSTITUTIONE
	intrinseca	CAP. II. DE MATERIA ET
De essentia		FORMA
seu causa	finali	CAP. III. DE EFFECTU ET
		PROPRIETATIBUS
	extrinseca	
	efficienti et dispositiva	CAP. IV. DE MINISTRO ET
		SUBJECTO

II. Cremer, Taufe, Wiedergeburt und Kindertaufe in Kraft des heiligen Geistes, Gutersloh, 1901.

D. Stone, Holy Baptism, 1901.

Pusey, Scriptural views of holy Baptism.

Seeberg, Die Taufe im N.T., 1905.

Rcndtorff, Die Taufe im Urchristentum, 1905.

Ilcitmiiller, Taufe and Abendmahl im Urchristentum, 1911.

Inter catholicos cf. *Moehler*, *Schanz*, *Trésal* (cit. in tractatu De sacr. in gen., p. 23), *II. Frericks*, Die Taufe im heutigen Protestantismus Deutschlands, Münster, 1925; *Dictionnaire de Théologie Catholique*, art. Réforme; art. Baptême, col. 328 sqq.

¹¹ De eorum doctrina cf. *Diet. Thiol. Cath.*, art. Baptême, col. 328-330.

De accidentibus	CAP. V. DE CAEREMONIIS
De habentibus relationem ad Baptismum	CAP. VI. DE TRIBUS BAPTIS- MATIBUS: FLUMI- NIS, FLAMINIS ET SANGUINIS
	CAP. VII. DE FIGURIS ET PRAEAMBULIS, I.E. CIRCUMCISIONE ET BAPTISMO JOANNIS

CAPUT I

DE INSTITUTIONE BAPTISMI

Agitur *de EXISTENTIA* Baptismi et consequenter de ejus indole sacramentali, utrumque enim involvitur in quaestione de institutione seu existentia sacramenti Baptismi (art. 1); cui quaestioni theologi addere solent secundariam quaestionem *de TEMPORE INSTITUTIONIS* (art. 2).

ART. 1. Utrum Baptismus Sit Verum Sacramentum N.L. A Christo Domino Institutum.

STATUS QUAESTIONIS

S. *Thomas* et antiquiores theologi, statuta necessitate sacramentorum in genere et convenientia septenarii numeri sacramentorum N.L., quaestionem de existentia singulorum sacramentorum omittunt, tum quia haec non pertinet directe ad theologiam sed ad praesupposita principia fidei, tum quia ante Protestantismum nulla haeresis eam specialiter impugnavit.

Moderni tamen generatim hanc quaestionem praemittunt in limine tractatus, tum ex studio theologiae positivae et ad complementum dictorum in superiori tractatu circa numerum sacramentorum (art. 41), tum ex necessitate repellendi impugnationem sive Rationalistarum negantium existentiam Baptismi sive Protestantium negantium ipsius indolem sacramentalem.

Dictum est autem in superiori tractatu sacramentum esse signum collativum gratiae. Unde in praesenti quaestione de existentia Baptismi *tria involvuntur*: 1. *an Christus Baptismum instituerit*; 2. *ut ritum sensibilem*; 3. *ut collativum gratiae*.

PARS NEGATIVA

Nullus qui aliquod sacramentum admittit, negare ausus est existentiam Baptismi qui una cum Eucharistia in fontibus revelationis clarissime manifestatur. Unde omnes veteres Protestantes haec duo sacramenta confessi sunt, neque ipsi Sociniani et Quakeri ea prorsus

reiecerunt sed in sensu metaphorico et spirituali explicarunt. Soli hodierni Protestantes liberales, Modernistae et critici Rationalistae, explicitis verbis omnia sacramenta abiecerunt. Attamen, cum juxta doctrinam catholicam sacramentum intelligatur ritus sensibilis gratiae collativus, etiam veteres Protestantes inter impugnatores existentiae hujus sacramenti adnumerandi sunt, eo quod negent ipsum esse ritum sensibilem vel saltem ritum collativum gratiae.

Inde tres errores pro negativa proponuntur:

1. NON IPSE CHRISTUS SED ECCLESIA BAPTISMUM INSTITUIT.

Ita *Modernistae ac Protestantes liberales*, qui docent Baptismum sicut cetera sacramenta esse fructum evolutionis conscientiae Christianae, et *critici Rationalistae*, qui fingunt Ecclesiam (vel etiam ipsum Christum, quod hic ad essentiam erroris non multum refert) Baptismum aliaque sacramenta derivasse ex ritibus Judaeorum vel Gentilium.

Hos errores longius exposuimus in art. 28 superioris tractatus. Hic tantum notentur duae *propositiones Modernistarum* de Baptismo, damnatae in Decreto “Lamentabili”:

Prop. 42 “Communitas Christiana necessitatem baptismi induxit, adoptans illum tanquam ritum necessarium eique professionis Christianae obligationes annectens” (Denz. 2042).

Prop. 43 “Usus conferendi baptismum infantibus evolutio fuit disciplinaris, quae una ex causis exstitit, ut sacramentum resolveretur in duo, in baptismum et poenitentiam” (Denz. 2043).

2. CHRISTUS INSTITUIT BAPTISMUM NON UT SENSIBILEM RITUM SED UT QUID SPIRITUALE.

Juxta *Socinianos* Christus instituit quidem ritum ablutionis sed solum ad tempus et quasi indulgens carnalibus judaeis et paganis qui indigebant aliquo signo materialiter sibi testificante amicitiam Dei; hoc autem postmodum cessare debuit adeoque illegitime in Ecclesia servatur vel necessarium reputatur.¹

Quakeri vero sicut omnem cultum externum reiciunt ita a fortiori negant legitimitatem et possibilitatem alicujus ritus sensibilis in ipso vitae spiritualis initio. Baptismus, inquiunt, est juxta Scripturam baptismus tantum Spiritus, i.e. sola spiritualis regeneratio quae consistit in interna devotione et mortificatione. Sic docet v.g. *R. Barclay* in suo opere “Theologiae vere Christianae apologia”,² quod magna apud Quakeros gaudet auctoritate.

¹ Cf. *Moehler*, *Symbolique* (trad. Lâchât), 2 cd., t. 2, c. 5, §90.

² Th. 12, c. 3-5, Amsterdam, 1676; cf. *Moehler*, o. c., t. 2, p. 241.

3. CHRISTUS INSTITUIT BAPTISMUM UT RITUM QUIDEM SENSIBILEM NON TAMEN GRATIAE EFFICACEM.

Ita *Lutherani et Calvinistae*, qui proinde, licet verbotenus admittant Christum instituisse sacramentum Baptismi, reapse idipsum negant, cum sacramentum sit signum gratiae efficax, ut in superiori tractatu ex Scriptura et Traditione probavimus.

Notandum est *Calvinum*, licet admittat Christum instituisse Baptismum in vera aqua, tamen non semel inculcare aquam in textibus Scripturae ubi agitur de Baptismo intelligendam esse metaphorice; timere enim videtur ne, admissio sensu proprio vocis aquae, hujus etiam efficacitatem in gratiam admittere cogatur. Logice autem Sociniani et Quakeri, exegesim Calvini applicantes, simpliciter ex ea deduxerunt ipsam Baptismi aquam intelligendam esse metaphorice et spiritualiter.

PARS AFFIRMATIVA

Nota Theologica.

De fide definita.

Documenta Ecclesiae.

Ex documentis Cone. Flor., et Trid. citatis in Introd. tractatus huc faciunt praecipue: *Cone. Trid.*, sess. 7, *can. 1 de sacr. in gen.* (cf. ibidem), *can. 3 de Bapt.* (cf. ibid.), *can. 1 de Bapt.*: “Si quis dixerit. *baptismum Ioannis* habuisse eandem vim cum baptismo Christi: A.S.” (Denz. 857), et *can. 2 de Bapt.* ubi *authentica interpretatio textus Joan. 3, 5* proponitur: “Si quis dixerit, aquam veram et naturalem non esse de necessitate baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Iesu Christi: ‘*Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto*’ [Io 3, 5] ad metaphoram aliquam detorserit: A.S.” (Denz. 858).

CONCLUSIO

Christus Ipse Baptismum Instituit Ut Verum Et Proprium Sacramentum, Seu Ut Ritum Sensibilem Collativum Gratiae.

Probatum.

Res ex solis fontibus revelationis decidenda est. In argumento autem *Traditionis* frustra immoraremur tum quia contra hoc non insistunt adversarii, tum quia de hoc sacramento Patres valde explicite et copiose locuti sunt ut patet ex elencho operum in Introductione tractatus relatorum, tum quia in seqq. articulis eorum doctrina de ritu et effectu hujus sacramenti referetur. Vis autem argumenti *Scripturae* facile apparet conferenti textus allatos in Intr. tract.; unde est quod plures etiam moderni theologi hanc quaestionem omittant.

Attamen, cum plures adversarii vim quorundam fundamentalium textuum Scripturae impugnent, utile erit hoc argumentum breviter instituere.

Imprimis, *plura quae in A.T. praecesserunt*, scilicet Circumcisio, variae ablutiones rituales, facta quaedam miraculosa uti salvatio Noe in diluvio per arcam et Hebraeorum per mare rubrum et nubem, necnon quaedam verba prophetica de aquis salutaribus (cf. Introd. tract, ubi de Scriptura), praecipue si attendantur sub luce novi testamenti, mentem nostram connaturaliter dirigunt ad facilius affirmandam et intelligendam institutionem alicujus sacramenti Christianae initiationis et salutis in elemento aquae.

Dein administratio alicujus baptismi aquae in salutem *per Joannem B.* et istius *praedictio* de novo quodam ac distincto Baptismo salutis a Christo instituendo, fortius inculcant institutionem Baptismi christiani qualiter ab Ecclesia praedicatur.

Verba denique ipsius Christi instituentis, praecipue si conferantur cum praxi et doctrina Apostolorum, omnes notas hujus Baptismi clare manifestant.

Textus Synopticorum.

MATTII, 28, 19: "Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti." MARC. 16, 16: "Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur."

His verbis Christus fert necessarium, perpetuum et universale praeceptum conferendi ac suscipiendi aliquid quod Baptismum vocat. Atqui Christus Baptismum accipit tum pro ritu ablutivo in aqua, i. e. proprie non vero qualitercumque metaphorice, tum pro ritu collativo gratiae. Ergo his verbis praecepit (ac ideo instituit, non refert quando) Baptismum ut verum et proprium sacramentum.

Minor probatur:

1. Ex ipsis *verbis Christi* in Joan. 3, 5 "Nisi quis . . ." In his enim Christus loquitur de eodem objecto ac in Synopticis et de ritu sensibili gratiae collativo; hoc ultimum quod est praecipue probandum et ex quo primum quodammodo pendet, ostendetur infra.

2. Ex modo quo *Apostoli* immediate interpretantur et exequuntur mandatum Christi. Ex Actibus enim et Epistolis apparet eos, necessitatem et universalitatem Baptismi praedicantes, hunc in ritu ablutionis contulisse, inculcantes ejusdem efficacitatem in collationem gratiae et remissionem peccatorum. Cf. Act. 2, 38; 22, 16; Rom. 6, 3-6; Eph. 5, 26; Tit. 3, 5; 1 Petr. 3, 21 aliosque textus cit. in Introd, tract.

3. Ex consensu totius *Traditionis* quae inde a fine saec. 1 ita verba Christi interpretatur.

Textus quarti evangelii.

JOAN. 3, 5: "Arnen, anien dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei."

In his verbis, si in *sensu proprio* accipiantur, agitur de Baptismo ut sacramento proprie dicto, cujus necessitas Christus directe proclamat. Atqui ea verba in sensu proprio sunt accipienda. Ergo Christus praecepit, ac ideo instituit, sacramentum Baptismi.

Ad majorem. Nam illa verba exhibent imprimis sensibile elementum aquae; inculcant deinde ejus efficacitatem, quae proponitur tum per particulam causalem *ex*, tum per particulam conjunctivam *et*, qua uniuntur et aequiparantur aqua et Spiritus Sanctus qui procul dubio ut vera causa habetur; exhibent demum efficacitatem in gratiam, quia manifesto in eis non agitur de corporali sed de spirituali regeneratione quae est secundum gratiam seu in Spiritu S. cui omnia opera gratiae attribuuntur.

Minor patet:

1. Ut supra, ex modo quo *Apostoli* immediate interpretantur et exequentur hoc Christi mandatum; praedicant enim et applicant spiritualem regenerationem in vera aqua.

2. Ut supra, ex consensu *Traditionis*.

3. *Ex ipso textu.* Nam imprimis sensus proprius a priori praesumendus est nisi adsit contraria ratio sensum metaphoricum exigens. Praeterea, hic ipsa littera positive sensui metaphorico repugnat. Si enim vox aquae esset metaphorica tantum explicatio actionis regenerativae Spiritus S., postponi deberet non vero praeponi ipsi Spiritui S.: deberet etiam praecedi a particula quadam comparativa: tandem, ut metaphora sit recta, loco verbi "renatus" poni deberet aliud verbum virtuti aquae respondens, puta "mundatus" vel "ablutus". Unde metaphora ita fere sonare deberet: "Nisi quis *ablutus* fuerit ex Spiritu S. *tamquam* ex aqua etc."

RESPONSIO

Obj. 1. *TEXTUS MATTII. 28, 19* quoad verba "baptizantes eos in nomine P. et F. et Sp. S." non potest Christo adscribi. sed posterius interpolatus est ad commendandam ex auctoritate Christi consuetudinem quae invaluerat in primitiva Ecclesia baptizandi cum invocatione Trinitatis. Etenim:

a. *Eusebius Caes.* in *Demonstratione evangelica*, 1, 4. 6 et 3, 6 sq. haec sola verba refert "Docentes eos omnia, quaecumque mandavi

vobis” et “Docete omnes gentes in nomine meo”. Quod signum est in Codicibus Caesariensibus verbum baptizandi et formulam trinitariam non extitisse (Ita multi critici).³

b. Nihil simile invenitur in aliis evangeliiis. Textus enim *Marc. 16, 16*, in quo ponitur praeceptum baptizandi absque formula trinitaria, est et ipse interpolatus; textus vero *Joan. 3, 5*, in quo nec verbum baptizandi nec formula trinitaria invenitur, non refertur ad Baptismum (Ita quidam critici).

c. In Actibus et Epistolis agitur de Baptismo “*in nomine Jesu Christi*”, nunquam vero fit mentio formulae trinitariae. (Ita multi critici).

d. *Christus* in nullo alio loco mentionem facit de proprio Baptismo aquae, sed nomen Baptismi adhibet in sensu metaphorico vel spirituali (cf. *Luc. 12, 50*; *Act. 1, 5*; *Marc. 10, 38*).

e. Existencia mandati baptizandi omnes gentes repugnat verbis Apostoli (1 *Cor. 1, 14* sqq.) se non esse missum ad baptizandum sed evangelizandum, necnon verbis Christi (*Matth. 15, 24*) et dissensionibus Apostolorum circa extensionem evangelii ad Gentiles (*Act. 15*; *Gal. 2, 11* sqq.).

Respondetur. Authenticitatem textus *Matth. 28, 19* testantur tum omnes codices et versiones, tum tota Patrum traditio inde a *Didache*, 7, 1.3. Propter quod *Commissio Biblica* hoc commentum rationalisticum respuit in Resp. 10 junii 1911.

a. *Eusebius Caes.* ipse non semel integrum textum refert (cf. *De eccles. theologia*, 3, 5; *Contra Marcellum*, 1, 1; *Epist. ad populum Caesariensem*, apud Socraten, *Hist. Eccl.* 1, 8). Ex ipso autem contextu apparet quare hic Doctor in objectis locis citet tantum praeceptum docendi.

b. Textum *Marc. 16, 16* esse authenticum testantur codices, versiones et Patres (cf. *Justinum*, 1 *Ap. 45*; *Irenaeum*, *Adv. Haer.* 3, 10); unde *Responsum Commissionis Biblicae* 26 junii 1912 negationem rationalisticam reicit. Textus *Joan. 3, 5* referri ad Baptismum plerique inter ipsos criticos admittunt; caeterum Joanni evangelium suum scribenti post epistolas S. Pauli, nota procul dubio erat doctrina

³ Hoc argumentum urget praecipue *F. Cottybeare* in *The eusebian form of the text Matth. 28, 19* (in *Zeitschrift für die Neutestamentliche Wissenschaft*, t. 2, p. 275-288 [1901]). Eum impugnarunt: *E. Riggensbach* (lutheranus), *Der trinitarische Taufbefehl, nach seiner ursprünglichen Textgestalt und seiner Authentic untersucht*, Gütersloh, 1903; *F. H. Chase* (anglicanus), *The Lord's command to baptise*, in *Journal of Theological Studies* (Oxford), t. 6, 1905, p. 481-521; t. 8, 1907, p. 161-184; *J. Lebreton* *Les origines du dogme de la Trinité*, note E, p. 489, Paris, 1910; *B. H. Cuneo*, *The Lord's command to baptise*, Catholic University of America, Washington, 1923. Cf. *A. D'Alès*, *De Baptismo et Confirmatione*, thés. 3, Paris, 1927, p. 51 sq.

paulina de spirituali regeneratione per Baptismum aquae, ac evidens parallelismus observatur inter Joan. 3, 5 et Tit. 3, 5.

c. Ut dicetur infra in art. 6 (resp. ad obj., p. 67 sqq.), verba “*in nomine Jesu Christi*” non referuntur ad formam baptismalem sed indicant Baptismum applicari ex mandato et in fide Christi. Absentia autem formulae trinitariae in aliis textibus nullatenus officit veritati textus Matthaei; caeterum in Act. 19, 2 sq. et 1 Cor. 6, 11 insinuatur usus formulae trinitariae. Praeterea in Matth. 3, 16 sq., Marc. 1, 10 sq., Luc. 3, 22 (cf. Joan. 1, 32 sq.) formula trinitaria praenuntiatur per apparitionem trium personarum Trinitatis in baptismo Christi.

d. *Christus* loquitur de Baptismo aquae in praefatis textibus Mare, et Joan. Praeterea ipse cognovit baptismum aquae a Joanne administratum cui etiam se subiecit. Item ipse baptizavit vel saltem ad baptizandum discipulos misit (Joan. 3, 22; 4, 2). Quod autem quandoque in sensu metaphorico vocem baptismi accipiat nihil officit sed tantum aptitudinem hujus vocis ad varias metaphoricis acceptiones ostendit (cf. Intr. tract.).

e. Sensus *Apostoli* est praeter officium baptizandi quod generaliter incumbere et per Apostolorum coadjutores facile expleri poterat, sibi peculiariter officium praedicandi obtigisse et reservasse; caeterum et ipse legitur non semel baptizasse. Reservatio autem ministerii *Christi* ad Judaeos et disceptationes *Apostolorum* de evangelizatione Gentium, respiciunt oeconomiam rationem evangelizationis quae erat post Judaeos ad alias gentes paulatim et juxta circumstantias extendenda.

Obj. 2. *TEXTUS JOAN. 3, 5* intelligi debet metaphorice sicut textus parallelus *Matth. 3, 11*: “Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni”.

Resp. Cf. tract, de sacr. in gen., art. 9, resp. ad obj. 2., p. 156 sq.

Obj. 3. Lectio graeca *JOAN. 3, 5* habet “ex aqua et spiritu” non vero “ex aqua et Spiritu sancto” sicut vertit Vulgata. Atqui vox “spiritus” est generalis et ambigua. Ergo nequit inde erui efficacia Baptismi in gratiam.

Resp. Etiam si vox “spiritus” non accipiatur personaliter pro Spiritu S., manet vis verborum propter particulam causalem relatam ad ipsam aquam et propter impossibilitatem ea metaphorice explicandi.

“[Caeterum verbum] *πνεῦμα*?, quamvis per se sit ambiguum, tamen in contextu habet determinatam significationem; nam nasci vel regenerari ex Spiritu numquam habet alium sensum nisi regenerari ex Spiritu

Sancto (cf. Tit 3, 5. Gal 4, 5 6. Rom 8, 9). Ergo recte Vulgata vertit: 'nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto'. Qui natus est ex Spiritu Sancto, dicitur spiritualis (πνευ/ζατικόν) i.e. talis, qui virtute Spiritus Sancti aliam omnino vitam agit, atque agere posset virtute proprii spiritus (Rom 7, 18 sqq; 8, 26. Gal 5, 16 sq. 1 Cor 2, 14 sq). Quare baptismus Christi conferri dicitur in Spiritu Sancto (Mc 1, 8. Mt 3, 11. Lc 3, 12 16. Io 1, 26 33. Act 19, 2 sqq). Ergo sensus verborum Christi est: Ut quis recipiatur in regnum meum, debet per aquam ut causam instrumentalem et per Spiritum Sanctum ut causam principalem regenerari ad vitam supernaturalem gratiae.”¹

Obj. 4. *Jo. Baptista* ait de Baptismo Christi: “Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto” (*Marc. 1,8*). Ergo Baptismus Christi intelligendus est metaphoricè et spiritualiter.

Resp.5 Baptista non loquitur directe et exclusive de Baptismo Christi quod est sacramentum, sed generaliter de spirituali effusione Spiritus S., quae tanquam propria temporis messianici et operis Messiae in prophetis promissa erat. Haec autem effusio Spiritus S., cum se habeat ad animam ad modum quo ablutio aquae se habet ad corpus, pluries in Scriptura vocatur baptismus in Spiritu S. vel etiam in Spiritu S. et igne (cf. Matth. 3, 11; Luc. 3, 16; Joan. 1, 33; Act. 1, 5; 2, 4; 11, 15).

Obj. 5. *S. Petrus, 1 Ep. 3, 21*, intelligit Baptismum ut quid tantum spirituale. *S. Paulus, Hebr. 9, 10*, connumerat baptismum sensibilem inter caeremonias et observantias evacuatas per adventum Christi. Item in epp. ad Tit. 3, 5 sq. et Rom. 6, 4 non nisi metaphoricè et spiritualiter Baptismum intelligit.

Rcsp. Apostolos Baptismum aquae docuisse et applicasse patet ex locis Actuum supra relatis. In ipsis etiam epistolis ad eundem Baptismum explicitam allusionem habent (cf. 1 Petr. 3, 20 sqq.; 1 Cor. 10, 2. 6. 11; Eph. 5, 26). In objectis igitur locis ipsi loquuntur de Baptismo quoad spirituales ejus effectum, ac sola despiciunt lavacra eo effectum destituta.

Obj. 6. Apud Judaeos varia baptismata seu rituales ablutiones in usu erant; item Joannes specialem baptismum publice inauguravit cui et ipse Christus se subiecit. Inde connaturale fuit Christum sacras Judaeorum ablutiones et maxime baptismum Joannis adoptasse.

**Pesch*, Praei. Dogm., t. 6, prop. 36, n. 349, Friburgi Br., 1914, p. 162.

* Cf. *Knabenbauer*, In Marc. 1, 8.

Resp. Christum non adoptasse *jormaliter* ablutiones judaicas patet ex eo quod Ipse venerit abrogare legalia; neque baptismum Joannis adoptasse ipse Praecursor testatur, suum baptismum distinguens a Christi Baptismo eoque inferiorem declarans (Matth. 3, 11; Marc. 1, 8; Luc. 3, 16; Joan. 1, 33; cf. Act. 1, 5; 19, 2 sq.).

Quod vero Christus *materialiter* ea baptismata adoptaverit, elevans nempe ablutionem ad dignitatem sacramenti N.L., nihil officit institutioni Baptismi per Christum. "Materia [enim] . . . in . . . sacramentis praeexistit a natura, ut aqua; vel ab aliqua arte, ut panis; sed quod talis materia ad sacramentum assumatur, institutione indiget hoc determinante. Sed forma sacramenti et virtus ipsius totaliter est ex institutione Christi, ex cujus passione procedit virtus sacramentorum" (c. 84, a. 7).

ART. 2. Utrum Christus Baptismum Instituerit Cum Ipse In Jordane Baptizatus Est (q. 66, a. 2).

STATUS QUAESTIONIS

Est quaestio *de TEMPORE INSTITUTIONIS* Baptismi, cui accedit altera quaestio *de TEMPORE OBLIGATIONIS* seu de momento quo inceperit obligatio Baptismi suscipiendi.

Prior quaestio satis olim controvertebatur inter theologos, unde fusius exponi solet apud antiquiores theologos etiam posttridentinos. S. *Thomas* ei specialem articulum consecrat. Jam autem apud *Patres* duplex videtur fuisse sententia, altera communior, affirmans Baptismum fuisse institutum ante passionem in ipso baptismo Christi in Jordane, altera docens id fuisse post passionem in mandato Christi ad Apostolos (Mattii. 28, 19). *Petrus Lombardus* jam enumerat tres sententias theologorum, duabus nempe supradictis addens opinionem eorum qui volunt Baptismum fuisse institutum in colloquio Christi cum Nicodemo (Joan. 3, 5). Saeculo tandem 13-14 apparet cum *Bonaventura et Scoto* quarta et ultima sententia, quae docet Baptismum institutum esse ante passionem circa tempus quo Apostoli ad baptizandum missi dicuntur (Joan. 3, 22-26; 4, 1 sq.).

Antequam de unaquaque sententia fusius dicatur, notes *haec apud omnes pro certis haberi*: Christum non instituisse B. antequam Ipse in Jordane baptizaretur cum nondum ministerium publicum inceperit; in baptismo Christi in Jordane ipsum sacramentum saltem designari, praeparari, imo quodammodo veluti inchoative et quoad materiam

consecrari; in colloquio cum Nicodemo saltem necessitas et effectus B. praenuntiari; in mandato Apostolorum necessitas B. suscipiendi fortius inculcari et saltem in actu primo imponi.

PRIMA SENTENTIA docet Christum B. instituisse cum Ipse *in Jordane* baptizatus est. Tunc enim contactu suae carnis sanctificatricis vim sanctificandi aquis communicavit; tunc etiam ipsa forma B. in Trinitatis apparitione expressa est. Luc. 3, 21 sq.: “Factum est autem, quum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato et orante, apertum est coelum, et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, et vox de coelo facta est: Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi” (cf. Matth. 3, 16 sq.; Marc. 1, 10 sq.).

Ita *Hugo a S. Victore*, *Petrus Lombardus* (4 Sent., dist. 3, n. 6 sq.), 5. *Thomas* et *communius* theologi tam antiqui quam moderni.

Pro hac sententia adducuntur plures *Patrum textus* in quibus asseritur tunc aquam baptismalem vim sanctificandi obtinuisse cum Christus in aquam Jordanis descendit. Ita *Gregorius Naz.* (Orat. 39, 14 sq.; Orat. 38, 16), *Chrysostomus* (In Matth., hom. 12, 3 infra citand.; In Joan., hom. 26, 1), *Ambrosius* (In Luc., 2, 83; Serm. 18 et 21), *Augustinus* (Serm. 135, n. 4 et 136, n. 1 sq. in Appendice), *Hieronymus* (Adv. Luciferianos, 6; In Isai. 4, 11), *Beda* (In Luc., 1).

Eandem sententiam suam facit *Catechismus Cone. Trid.* (p. 2, c. 2, q. 20) citans testimonia Nazianzeni et Augustini, eique suffragatur *Ecclesia* in Officio festi Epiphaniae (Ant. ad Laudes et 2 Vesp.).

SECUNDA SENTENTIA docet Christum B. instituisse *in colloquio cum Nicodemo* illis verbis: “Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei” (Joan. 3, 5). Ita *quidam antiquiores* quos reticito nomine memorat *Petrus Lombardus*; inter hos forte recensendus est S. *Bernardus* (Epist. 77, 1, 5, ad Hugonem a S. Victore).

Eandem sententiam expresse defendit *Estius* provocans ad auctoritatem Bernardi et sequentem *rationem* adducens: “Id . . . satis confirmat textus evangelicus, Dominus enim statim postea veluti procedens ad executionem institutionis factae, discipulos misit ad baptizandum. Ideoque non improbabile est etiam discipulos illi colloquio Nicodemi cum Christo interfuisse, ut qui ad baptizandum statim mittendi erant, baptismi institutionem a Domino prius audirent”.0

TERTIA SENTENTIA docet Christum B. instituisse ante passionem, non tamen in Jordane nec in colloquio cum Nicodemo sed alio tempore, puta *circa tempus quo primo discipulos misit ad baptizandum* (Joan. 3, 22-26; 4, 1 sq.), exactius autem tempus determinari non*

* In 4 Sent., dist. 3, § 11, Parisiis, 1696, t. 3, p. 43.

posse. Ita *Bonaventura, Scotus* (In 4 Sent., dist. 3, q. 4) *Biel, Coninck, Suarez, Wirceburgenses* et quidam inter modernos, ut *Pesch* et *EJnig*.

Ratio quam quidam adducunt est quia ex una parte tenendum est B. institutum esse ante passionem (ut infra probabitur) et ex alia parte improbable est Christum illum instituisse in Jordane, ubi non personam legislatoris sed poenitentis gerebat, nec in colloquio cum Nicodemo, in quo private non publice ut legislator locutus est.

QUARTA SENTENTIA docet Christum B. instituisse *post passionem cum ante Ascensionem tulit solemne mandatum*: “Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti” (Matth. 28, 19). Ita *Alex. Halensis, Albertus M., Cano* (De locis, l. 8, c. 5) et inter modernos *Schanz*.¹

Rationes praecipuae quas adducunt sunt: 1. Baptismus efficaciam et significationem habet ex passione Christi, unde non potuit ante passionem institui; propterea Patres notanter dicunt sacramenta fluxisse ex latere Christi crucifixi, praecipue Baptismum et Eucharistiam figurata in sanguine et aqua fluentibus ex divino Corde. 2. Sacramenta efficaciam habent ex mandato et voluntate Christi; hoc autem mandatum latum est post passionem. 3. Cum Baptismus sit sacramentum necessitatis, si ante passionem institutus esset, ejus susceptio obligasset ante mortem Christi; Vetus autem Testamentum (eiusque Circumcisio) non nisi in morte Christi “consummatum est”. 4. Si Christus B. instituisset ante passionem, Apostoli baptizassent in formula Trinitatis; inverisimile autem videtur ante passionem palam divulgatum esse mysterium Trinitatis, imo contraria indicia habentur tum in Matth. 16, 20, ubi Christus prohibet Apostolos divulgare se esse Filium Dei, tum in Matth. 28, 19, ubi emphatice mandat ejusdem mysterii divulgationem.

Provocant praeterea ad *auctoritatem Leonis M.* (Epist. 16, 3), *Optati Milev.* (Cont. Parmen. 5) et praecipue *Tertulliani* qui ait: “Tinguebant discipuli ejus, ut ministri, ut Joannes ante praecursor, eodem baptismo Joannis, ne qui alio putet, quia nec exstat alius nisi postea Christi, qui tunc utique a discentibus dari non poterat, utpote nondum adimpleta gloria Domini, nec instructa efficacia lavacri per passionem et resurrectionem: quia nec mors nostra dissolvi posset nisi Domini passione (Rom. vi), nec vita restitui sine resurrectione ipsius” (De bapt. 11, M.L. 1, 1321).

¹Die Lehre von den heiligen Sakramenten der katholischen Kirche, Freiburg i. B. 1893, p. 210-215.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Christus Baptismum Instituit Cum Ipse Baptismum Joannis in Jordane Suscepit.

Probatur 1.

Cum sacramentum sit signum efficax gratiae “tunc videtur aliquod sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi suum effectum. Hanc autem virtutem accepit baptismus, quando Christus est baptizatus. Unde tunc vere baptismus institutus fuit quantum ad ipsum sacramentum” (in corp.).

Minor patet ex communissima doctrina apud *Patres* (etiam apud eos qui citantur pro aliis sententiis) aquas accepisse vim sanctificativam cum Christus descendit in undam Jordanis. Cujus doctrinae medulla sic apte resumitur in verbis 5. *Thomae*: “Propter infinitam virtutem Christi ... ex contactu carnis suae vis regenerativa pervenit non solum ad illas aquas quae Christum tetigerunt, sed ad omnes ubique terrarum per omnia futura saecula” (c. 78, a. 5).

Sint duo notiora Patrum testimonia:

Augustinus, Serm. 135, n. 4: “Ex quo Salvator in aqua se mersit, ex eo omnium gurgitum tractus cunctorumque fontium venas mysterio baptismatis consecravit: ut ubi quisque in nomine Domini baptizari voluerit, non tam illum mundi aqua diluat, quam Christi unda purificet” (in Appendice, M.L. 39, 2012). *Serm. 136, n. 2*: “Attactu membra tinguntur, et fluentia ditantur: vitalem gratiam non corpus ex flumine, sed flumen mutuatur ex corpore. Descendere in se fontem suum felix unda miratur, sub uno momento remedia aeterna concipiens, et nova Deum regenerationis fecunditate parturiens; quod acceperat, hoc reddens; et quod non habebat, accipiens” (in Appendice, M.L. 39, 2014).

Ambrosius, In Luc., l. 2, n. 83: “Baptizatus est ergo Dominus non mundari volens, sed mundare aquas; ut ablutae per carnem Christi, quae peccatum non cognovit, baptismatis jus haberent” (M.L. 15, 1665).

Advertas quam apte ab Ambrosio dicatur “*baptismatis jus haberent*”; non enim fingimus ex tactu corporis Christi aquas Jordanis in se aliquam virtutem physicam accepisse, sed aquas in genere tunc, efficacitate voluntatis Christi, esse *ordinatas ad sanctificandum* seu esse elevatas ad dignitatem materiae sacramentalis; quam voluntatem Christus solemniter significare voluit suo ipso baptismo et concomitante apparitione SS. Trinitatis.

Dices. Christus, cum baptizatus est a Joanne, voluntatem instituendi Baptismi sacramentum non manifestavit. Improbabile etiam videtur Christum Baptismum Christianum instituisse dum utebatur baptismo Joannis, quod erat caeremonia quaedam judaica, et dum potius habitum poenitentis quam personam legislatoris gerebat.

Resp. Ex solemnitate et circumstantiis apparitionis Trinitatis in momento ablutionis Christi, sufficienter ac veluti exercite intentio instituentis manifestatur, postmodum Apostolis clarius explicanda.

Apte autem et “pulchre . . . in ipso usu umbratilis purificationis dedicatus est verus baptismus, quemadmodum etiam in ultima coena a celebratione veteris paschatis initium sumpsit institutio paschatis novi et aeterni testamenti, ut hic quoque dicere nobis liceat: Vetustatem novitas, umbram fugat veritas, noctem lux eliminat. Insuper, cum a Christo derivet omnis virtus sanctificativa sacramentorum, nulla esse potuit aptior circumstantia in qua reciperent aquae designationem ad emundandas animas, quam cum Christus, personaliter in aquam descendere dignatus est, quasi unus de numero peccatorum quos baptizabat Ioannes *baptismo poenitentiae*; quippe, ut Damascenus dicit, humiliationes et passiones eius nobis fuerunt salutare.”⁸

Ad rem *Chrysostomus, In Matth., hom. 12, 3*: “Ideo Iudaicum quidem baptisma abrogatur, nostrum autem exordium habet: atque idipsum quod in paschate, in baptismo quoque contigit. Nam cum utrumque Pascha celebraverit, unum abrogavit, alteri vero principium dedit; et hic rursus cum Iudaicum baptisma implevit, tunc et Ecclesiae baptismatis ianuas aperuit: sicut tunc in una mensa, sic nunc in uno flumine, et umbram delineans, et veritatem addens”.

Probatur 2. *EX EXCLUSIONE ALIARUM SENTENTIARUM EARUMQUE RATIONUM SOLUTIONE.*

Contra secundam sententiam. Omnino improbabile videtur in colloquio mere privato Christum legislatorem supremum sacramentum instituisse ac tam universalem legem promulgasse. In eo igitur colloquio nihil aliud habetur quam dignissima praenuntiatio illius universalis necessitatis quae post resurrectionem in mandato Apostolorum solemniter imposita est (Matth. 28, 19), eo modo quo in Joan. 6 praenuntiatur turbis necessitas sacramenti Eucharistiae nondum instituti.

Ratio autem ab *Estio* adducta non probat. Potuit enim Christus mittere Apostolos ad applicandum Baptismum institutum in Jordane vel alio tempore ante eorum missionem.

Contra tertiam sententiam valet ipsa ejus incertitudo quoad tempus

* *Billot, De sacr., t. 1, De Bapt., th. 23, §2, Romae, 1914, p. 232.*

institutionis et solutio rationum quas adducit (cf. supra, *Dices*) ad excludendam institutionem in Jordane.

Contra quartani et praecipuam sententiam sic arguitur:

1. *Ex rationibus convenientiae.* Sicut Circumcisio instituta est ante caetera sacramenta et ritus A.T., ante ipsum Agnum Paschalem, ita Baptismus qui Circumcisioni successit debuit institui ante caetera sacramenta N.T., etiam ante Eucharistiam, adeoque ante passionem. *Item*, cum susceptio Baptismi sit natura et tempore prior susceptione aliorum sacramentorum congruit etiam ut Baptismus fuerit primus secundum institutionem. *Similiter*, convenit ut Apostoli fuerint baptizati antequam Eucharistiam suscipere in ultima coena (cf. *Augustinum*, Ep. 44, 5, 10).

2. *Ex textu Joan. 3, 22-26; 4, 1 sq.*, in quo inducuntur Apostoli baptizantes ante passionem. Quamvis enim quidam *Patres*, ut *Tertullianus* (De bapt. 11 supra cit.), *Anonymus De rebaptismate* (n. 2), *Chrysostomus* (In Joan., hom. 29, 1) et plures *theologi et exegetae*, ut *Rupertus* (In Joan., 3), *Cano* (De locis, 8, 5), *Estius*, *Schanz*, *Knabenbauer* (In Joan. 3, 22), *Lagrange* (L'évangile selon saint Jean), doceant hunc baptismum fuisse ipsum baptismum Joannis, tamen cum *Augustino* (Ep. 44, 5, 10; Ep. 265, 5; De bapt. c. Donat. 5, 9 sq.; In Joan., tract. 5, 18 cit. in tract. De sacr. in gen., p. 485), *Petro Lombardo*, *S. Thoma* (hic ad 2 mox citand.), *aliisque communiter theologis* (praecipue defensoribus tertiae sententiae) et *quibusdam exegetis*, ut *Calmes* (L'évangile de saint Jean), probabilius docetur hunc ritum fuisse ipsum sacramentum Baptismi.

Etenim :

1. A priori id legitime supponitur nisi contrarium probetur. 2. Juxta Evangelia (Matth. 3, 11; Mare. 1,8; Joan. 1, 33), Joannes opponit absque ulla temporis distinctione suum baptismum in aqua Baptismo Christi in Spiritu S.; unde etiam baptismus Christi, ante passionem administratus, erat baptismus in Spiritu S. seu sacramentum. 3. Christus immediate ante missionem Apostolorum ad baptizandum non de alio baptismo cum Nicodemo locutus est quam de ipso sacramento. 4. Si baptismus ille non fuisset sacramentum, baptizati in eo debuissent postmodum rebaptizari, sicut ii qui susceperant baptismum Joannis (Act. 19, 2-5), cujus tamen reiterationis nullum indicium in Scriptura invenitur (cf. *Augustinum*, In Joan., tract. 5, η. 18 citat, in tract. De sacr. in gen., p. 485). 5. Admissa diversitate Baptismi Apostolorum a Joannis baptismo, aptius explicatur quare discipuli Joannis invidiam conceperint (Joan. 3, 25 sq.) et quare Christus interrogaverit Judaeos

de baptismo Joannis tamquam de re praeterita (Matth. 21, 25; Mare. 11, 30; Luc. 20, 4).

3. *Tres rationes ab adversariis adductae non probant:*

Ad primani enim dicendum quod si ea ratio valeret neganda esset etiam institutio Eucharistiae ante passionem. Ceterum “etiam ante passionem Christi baptismus habebat efficaciam a Christi passione, inquantum eam praefigurabat, aliter tamen quam sacramenta veteris legis: nam illa erant figurae tantum; baptismus autem ab ipso Christo virtutem habebat justificandi, per cuius virtutem ipsa etiam passio salutifera fuit” (ad 1).

Admitti tamen debet per passionem Christi Baptismum, sicut etiam Eucharistiam, pleniorum efficaciam et significationem accepisse, propter quod a Patribus haec sacramenta dicuntur fluxisse ex latere Crucifixi; post passionem enim facta sunt commemoratio passionis Christi et signum sepulturae et resurrectionis ejus; post passionem etiam Baptismus aperuit regnum caelorum et ad omnes homines ut unicum medium salutis extensum est (in corp.).

Ad secundani rationem respondetur sacramenta efficaciam habere ex mandato seu ex voluntate Christi instituentis non vero directe et per se ex mandato Christi obligantis ad eorum susceptionem; aliud est enim institutio et aliud necessitas sacramenti.

Ad tertiani rationem similiter respondetur quod potuit Christus instituere sacramentum ante passionem quin ahhuc imponeret obligationem illud suscipiendi. Id ceterum conveniens fuit; nam “homines non debebant multiplicibus figuris arctari per Christum, qui venerat sua veritate figuras impletas auferre. Et ideo ante passionem suam baptismum institutum non posuit sub praecepto, sed voluit ad ejus exercitium homines assuefieri, et praecipue in populo Judaeorum, apud quem omnia facta figuralia erant, ut Augustinus dicit. Post passionem vero et resurrectionem non solum Judaeis, sed etiam gentilibus sub praecepto necessitatem baptismi imposuit, dicens: *Euntes docete omnes gentes*” (ad 2; cf. ad 3).

Ad quartani rationem respondetur quod potuit Baptismus ab Apostolis administrari absque explicita forma Trinitatis; cum enim essentia sacramenti desumatur ex re significata et effecta, non repugnat Christum eundem effectum regenerationis prius significasse et contulisse sub una formula, apta quidem sed minus expressa, post resurrectionem vero sub altera formula expressiori, immutata tamen Baptismi essentia. Ceterum, ex simplici applicatione Baptismi, etiam in forma explicita Trinitatis (cf. *Petrum Lombardum*, l. c.) absque praedicatione hujus mysterii, et ex moderata sacramenti administratione (tantum enim in quarto evangelio et circa initium ministerii Christi Apos-

toli baptizantes inducuntur) non poterat sequi proprie dicta divulgatio mysterii.

Conclusio 2. Necessitas Baptismi Suscipiendi Incepit Post Passionem Christi.

Probat.

“Necessitas utendi hoc sacramento indicta fuit hominibus post passionem et resurrectionem, tum quia in passione Christi terminata sunt figuralia sacramenta, quibus succedit baptismus, et alia sacramenta novae legis; tum etiam quia per baptismum configuratur homo passioni et resurrectioni Christi, inquantum moritur peccato et incipit novam justitiae vitam. Et ideo oportuit Christum prius pati et resurgere, quam hominibus indiceretur necessitas se configurandi morti et resurrectioni ejus” (*in corp.*).

NOTA 1. *QUOAD ACCURATIOREM DETERMINATIONEM TEMPORIS* quo lex Baptismi obligare ceperit dividuntur theologi, *quibusdam* docentibus id fuisse statim post mortem et resurrectionem Christi, *aliis*, ut *Soto* et *Vasquez*, ante Ascensionem cum Christus mandatum tulit (Matth. 28, 19), *aliis*, ut *Scoto*, *Suarez* et *Estio*, post Ascensionem seu tempore sufficientis promulgationis legis quae incepit in die Pentecostes.

Triplex haec sententia in unam componi potest, attendendo ad propriam indolem legis ejusque promulgationis. Cum enim Christus moriens exclamavit “Consummatum est”, legem antiquam abrogavit ac eo ipso *implicite ac remote* novam legem introduxit, cum consummatio et corruptio illius esset essentialiter ordinata ad generationem istius; cum vero ante Ascensionem universale mandatum tulit, legem novam *in actu primo* promulgavit; tandem in die Pentecostes solemnem promulgationem *in actu secundo* per missionem Spiritus S. manifestavit, saltem modo communi quoad genus humanum et in particulari quoad populum ibi praesentem.

Quoad aliam autem quaestionem utrum promulgatio novae legis (ideoque abrogatio utriusque legis mosaicae et naturae) et necessitas Baptismum suscipiendi (ideoque abrogatio Circumcisionis et remedii naturae) factae sint inde ab initio pro omnibus et singulis populis vel secus, iterum dividuntur theologi.

Quidam pauci, ut *Bernardus* (Epist. 77, 2, 6 ad Hugonem), *Perrone* (De Bapt., c. 5, n. 136), *E. Dublanchy* (De axiomate: extra Ecclesiam nulla salus), *Hurter* (De Bapt., th. 317), docent promulgationem novae legis pedetemptim per saecula progrediente evangelizatione factam esse et adhuc fieri apud singulos populos, apud quos proinde

viguit status legis naturae et remedium naturae nec susceptio Baptismi fuit unicum medium salutis.

Alii, ut *Hugo a S. Victore* (De sacram. 2, 6, 4), volunt promulgationem non esse factam pro omnibus et singulis populis inde ab initio sed post aliquod tempus, moraliter aestimandum, necessarium ad evangelii diffusionem, ita ut jam a pluribus saeculis absoluta sit, quin exactius tempus determinari possit.

Communior sententia rationabilius docet promulgationem pro omnibus et singulis hominibus contigisse saltem inde a die Pentecostes, ita ut jam amplius antiqua oeconomia pro nullo populo in vigore maneret et sacramentum Baptismi omnibus esset de necessitate medii ad salutem. Nec est inconueniens si dicatur cum quibusdam⁹ tempus promulgationis incoepisse die Pentecostes et completum esse post aliquod breve tempus, moraliter aestimandum, necessarium ad hoc ut notitia legis ad totum orbem sufficienter pervenire posset.

Haec sententia magis congruit *verbis Christi* de necessitate Baptismi (Joan. 3, 5), frequentissimis *Patrum testimoniis* de absoluta et universali Baptismi necessitate, definitioni *Cone. Trid.*, sess. 6, cap. 4. et doctrinae *S. Thomae* (hic a. 2, in corp.; In 4 Sent., dist. 3, q. 1, a. 5, q. 3).

Nec valet obicere inde sequi difficiliorem redditam esse viam salutis populis ad quos evangelium non statim pervenit. *Nam* adulti possunt justificari per actum contritionis in quo votum Baptismi includitur; quoad parvulos autem dici potest remedium naturae ita in desuetudinem apud varias gentes abiisse ut per illius abrogationem nullum detrimentum illis obvenisse.

Item non valet opponere legem tunc promulgari cum ad notitiam pervenit. *Nam* promulgatio legis, etiam in actu secundo, tantum importat actum externum qui eo modo sit imperii legislatoris manifestativus ut hoc *possit* ab omnibus cognosci, quamvis de facto a multis, variis de causis, actu non cognoscatur, ut patet etiam de promulgatione legum civilium.¹⁰ In die autem Pentecostes sufficienter et solemniter lex nova in orbe terrarum resonuit.

Notetur etiam quaedam minoris momenti quaestio, quae fuit ratio celebris *controversiae inter Hieronymum et Augustinum*, de modo abrogationis legis et rituum mosaicorum. *Hieronymus* enim (In Gal. 2, 2 sqq.; Epist. 112) distinguens duplex tempus, i.e. ante passionem et post passionem Christi, docebat legalia ante passionem fuisse opera viva seu obligatoria, post passionem vero non solum mortua seu non

*V.g. *Suarez*, De legibus, l. 10, c. 4 sqq.; *De Augustinis*, De Bapt., a. 5, Scholion.

⁹Cf. *Suarez*, l. c.

obligatoria sed etiam mortifera seu illicita. *Augustinus* vero (Epist. 82 et 40) distinguens triplex tempus, i.e. ante passionem, immediate post passionem ante completam divulgationem evangelii et post completam hujus divulgationem seu post destructionem templi Jerusalem, docebat legalia in priori fuisse opera viva, in secundo mortua, i.e. non obligatoria sed non mortifera seu non illicita, in tertio mortua et mortifera. Quae sententia magis concordare videtur cum his quae narrantur de Paulo in Act. 16, 3 et 21, 27.n

NOTA 2. Ex dictis sequitur quod si Baptismus consideretur non solum quoad essentiam sed etiam quoad alios ejus aspectus, i.e. usum, divulgationem, necessitatem et pleniorum effectum, merito dici potest ipsum non nisi *post passionem Christi completam institutionem obtinuisse*. Et in hoc sensu intelligi possunt testimonia illorum Patrum qui pro aliis sententiis citantur.

Unde S. *Thomas*, dum in Summa, attendens ad ipsam essentiam Baptismi, hujus sacramenti institutionem in baptismo Christi in Jordane reponit, in Commento *super Sent.*, I. 4, dist. 3, q. 1, a. 5, q. 2, alios quoque aspectus considerans, ait: “Multiplex fuit baptismi institutio. Fuit enim primo institutus quantum ad *materiam* in baptismo Christi. Tunc enim vim regenerativam aquis contulit. Et aliquo modo fuit *forma* figurata per praesentiam trium personarum in signo visibili . . . Et similiter *fructus* baptismi ibi praefiguratus est, quia caeli aperti sunt super eum. Sed *necessitas* eius fuit declarata Joan, iii, v . . . Sed *usus* fuit inchoatus, quando misit discipulos ad praedicandum et baptizandum, ut patet Matth. 10. Sed *efficaciam* habuit ex passione Christi quantum ad ultimum effectum, qui est aperitio ianuae. Sed *divulgatio* eius quantum ad omnes nationes praecepta fuit Matth. ult., 19, ubi dixit: Euntes docete omnes gentes etc.” (cf. q. 73 a. 5, ad 4).¹²

¹¹ Cf. *Billoi*, De sacr. in gen., Nota ad calcem th. 4.

¹² Cf. *Alex. Halenacm*, 4 p., q. 12, m. 3, a. 1; *Albertum Mi*, In 4 Sent., dist. 3, a. 3; *Bonaventuram*, In 4 Sent., dist. 3, p. 2, a. 1, q. 1.

CAPUT II

DE MATERIA ET FORMA BAPTISMI

Est quaestio de *ESSENTIA* hujus sacramenti, et quidem de essentia *PHYSICA* seu de materia et forma; estque praecipua pars tractatus sub aspectu polemico propter *controversiam Schismaticorum* de materia proxima Baptismi.

Agitur autem de *materia remota* seu aqua (art. 3), de *materia proxima* seu ablutione (art. 4 et 5), de *jorma* (art. 6).

ART. 3. Utrum Aqua Vera Et Naturalis Sit Propria Materia Baptismi (a. 3. 4).

STATUS QUAESTIONIS

In proximo art. statuatur aquam esse materiam tantum *remotam*; hic solummodo quaeritur utrum aqua sit quomodolibet materia hujus sacramenti ad exclusionem alterius elementi, puta olei, vini, sanguinis.

Dicimus cum *Cone. Trid.* (Denz. 858), *Cone. Flor.* (Denz. 696), *Rituali Romano* (t. 2, c. 1, n. 4) et *Codice J.C.* (can. 737) “*aquam veram et naturalem*”; veram, i.e. chemice talem; naturalem, i.e. quae juxta communem usum et aestimationem dicitur aqua, ad exclusionem illius quae etsi sit chemice vera aqua tamen pro tali non habeatur, ut enim dictum est in superiori tractatu (art. 31, p. 420), materia et forma sacramenti est moraliter seu sacramentaliter accipienda.

Quomodo autem in particulari salvetur et corrumpatur indoles aquae sacramentaliter requisitae, determinate exponitur a *Moralistis*. Sufficiat hic verba S. *Thomae* afferre in quibus clare statuitur regula ad discernendam talis aquae aptitudinem:

“Aqua suam puritatem et simplicitatem potest amittere dupliciter: uno modo *per mixtionem* alterius corporis; alio modo *per alterationem*. Utrumque autem horum contingit fieri dupliciter, scilicet *per artem* et *per naturam*. Ars autem deficit ab operatione naturae, quia natura dat formam substantialem, quod ars facere non potest; sed omnes formae artificiales sunt accidentales, nisi forte apponendo proprium agens ad propriam materiam, sicut ignem combustibili; per quem modum a quibusdam quaedam animalia per putrefactionem generantur.

“Quaecumque igitur transmutatio circa aquam facta est *per artem*, sive commiscendo, sive alterando, non transmutatur species aquae. Unde in tali aqua potest fieri baptismus; nisi forte aqua admisceatur per artem in tam parva quantitate alicui corpori, quod compositum magis sit aliud quam aqua, sicut lutum magis est terra quam aqua, et vinum lymphatum magis est vinum quam aqua.

“Sed transmutatio, quae fit *a natura*, quandoque quidem speciem aquae solvit; et hoc fit quando aqua efficitur per naturam de substantia alicujus corporis mixti, sicut aqua conversa in liquorem uvae est vinum, unde non habet speciem aquae; aliquando autem fit per naturam transmutatio aquae sine solutione speciei; et hoc tam per alterationem, sicut patet de aqua calefacta a sole, quam etiam per mixtionem. sicut patet de aqua fluminis turbida ex permixtione terrestrium partium.

“Sic ergo dicendum est quod in qualibet aqua qualitercumque transmutata, *dummodo non solvatur species aquae*, potest fieri baptismus; si vero solvatur species aquae, non potest fieri baptismus” (a. 4).

PARS NEGATIVA

1. *QUIDAM*, ut *Sociniani et Quakeri*, de quibus dictum est in art. 1, totum ritum Baptismi simpliciter suppresserunt, illum metaphorice ac spiritualiter explicantes.

2. *ALII* inter antiquos haereticos, principio Gnosticorum et Manichaeorum de materiae pravitate inquinati, aquam a Baptismi administratione respuerunt vel saltem non necessariam dixerunt. Ita *Gnostici* (cf. Irenaeum, Adv. Haer. 1, 21, 4; Epiph., Haer. 34), *Quintilliani* (contra quos agit Tertullianus, De bapt. 1), *Archontici* (cf. Teodoretum, Haer. fab. 1, 10, 11), *Manichaei* (cf. Augustin., Haer. 46), *Sclicuciani* et *Hermiani* (cf. Augustin., Haer. 59).

3. *ALII* aquae substituerunt vel commiscuerunt aliud elementum. Non semel accidit ut ob aquae defectum Baptismus administraretur in oleo, vino, saliva, cervisia, arena, aëre. *Quidam Gnostici* utebantur aqua oleo commixta (cf. Irenaeum et Epiphanium, ll. cc.).

Apud antiquas sectas frequens fuit *usus ignis*,¹ ea quandoque expressa intentione ut inde adimpleretur illud Matth. 3, 11 “Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni” (cf. Clemen. Alex., Eclogae ex Scrip, prophet. 25). Anonymus De rebaptismate (n. 16 sq.) refert *discipulos Simonis Magi* produxisse flammam igneam super aquam dum baptizarent; *quidam Gnostici* adustionem super aures baptizatorum efficiebant (cf. Clemen. Alex., l. c.; Auctorem Philosophoumenorum, 7,

¹ Cf. *Diet. Thiol. Cath.*, art. Baptême par le feu, col. 35S sqq.

32); saec. 12 *Cathari* baptizabant in loco ardentibus tantum facibus illuminato.

Nec defuit similis error apud Protestantos et Schismaticos.

Lutherus in Sermonibus convivialibus ("Tischreden") docuit, quamvis haesitanter, omne elementum ab abluendum aptum, puta lac vel cervisiam, esse materiam validam Baptismi (cf. Von der heiligen Taufe, Opera, t. 22, p. 848).

Theologus schismaticus *Mcsoloras* scribit: "Adstante necessitate omni fidei laico, et ipsi etiam mulieri, permittitur baptismum conferre non solum in aqua, vel *in oleo lampadis* imaginum, vel *infusione arenae* in desertis locis, sed etiam *in aere* per elevationem pueri in formam crucis; immo absque ullo materiali elemento, *per simplicent invocationem gratiae divinae.*"²

PARS AFFIRMATIVA

Nota Theologica.

De fide definita.

Documenta Ecclesiae.

Innocentius III a. 1206 in *epist. ad Thoriam Arch. Nidrosiensem* (Drontheim in Norvegia) declarat aquam esse necessariam ad administrationem Baptismi atque invalidum dicit baptismum parvulorum "quos, in articulo mortis constitutos, propter aquae penuriam et absentiam sacerdotis, aliquorum simplicitas in caput ac pectus ac inter scapulas pro baptismo salivae conspersione linivit" (Denz. 412).

Cone. Later. IV a. 1215 in *cap. 1 contra Albigenses* docet: "Sacramentum . . . baptismi (quod ad Dei invocationem et individuae Trinitatis, videlicet Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, consecratur in aqua) tam parvulis, quam adultis in forma Ecclesiae a quocumque rite collatum proficit ad salutem" (Denz. 430).

Gregorius IX a. 1241 in *epist. ad Sigurdum Arch. Nidrosiensem* rescribit: "Cum, sicut ex tua relatione didicimus, nonnunquam propter aquae penuriam infantes terrae tuae contingat in cerevisia baptizari: tibi tenore praesentium respondemus, quod cum secundum doctrinam evangelicam oporteat ex aqua et Spiritu Sancto renasci, non debent reputari rite baptizati, qui in cerevisia baptizantur" (Denz. 447).

Cone. Florentinum, DCCR. pro Armenis: "Materia huius sacramenti est aqua vera et naturalis" (Denz. 696).

Cone. Tridentinum, sess. 7, can. 2 de Bapt. citat, in art. 1 (Denz. 858).

² Apud *Jugic, Theologia Orientalium*, t. 3, c. 2, a. 2, n. 1, Parisiis, 1930, p. 68 sq.

Cf. *Catech. Cone. Trid.*, p. 2, c. 2, q. 11; *Rituale Rom.*, t. 2, c. 1, n. 4; *Codicem J. C.*, can. 737, § 1.

CONCLUSIO

Aqua Vera Et Naturalis Est Materia Baptismi.

Probatur 1. *EX SCRIPTURA.*

Aqua vera et naturalis ut necessaria materia Baptismi exhibetur in factis quae ut *figurae* hujus sacramenti in Scripturis citantur, i.e. transitu maris rubri et diluvio (1 Cor. 10, 1-11; 1 Petr. 3, 19-21; cf. Introd, tract.), in ipsa institutione Baptismi in *ttnda Jordanis* (cf. art. 2), in *verbis Christi ad Nicodemum* (Joan. 3, 5) quae, ut dictum est in art. 1, interpretationem metaphoricam non patiuntur, in *praxi Apostolorum* (cf. Act. 8, 36 sq.; 10, 47 citat, in Introd, tract.), in *doctrina S. Pauli*, Eph. 5, 26: “Mundans lavacro aquae in verbo vitae” (cf. Hebr. 10, 22; Tit. 3, 5).

Probatur 2. *EX PATRIBUS.*

Necessitatem aquae in Baptismo diserte docent ac contra supradictos haereticos defendunt. Ita nominatim *Tertullianus*, qui opus suum De baptismo contra Quintilium ejusque asseclas hac exclamatione et definitione aperit: “Felix *sacramentum aquae!*” et *Augustinus*, qui verba Apostoli (Eph. 5,26) nervose commentans, ait: “Mundans eam. Unde? *Lavacro aquae in verbo.* Quid est baptismus Christi? Lavacrum aquae in verbo. *Tolle aquam, non est baptismus:* tolle verbum, non est baptismus” {*In Joan.*, tract. 15, 4, 4, M.L. 35, 1512).

Propterea aquam dicunt *virtute divina repletam* et transformatam, undam vitalem, aquam genitalem, veluti matricem et uterum Christianorum (cf. tract. De sacr. in gen., art. 9; hic art. 2, Conci. 1, Prob. 1).

Talis institutionis *multiplicem convenientiam* exponunt, quam cum S. Thoma mox referemus (cf. Tertullianum, De bapt. 3. 9; Cyrill. Hier., Catech. 3; Chrysostomum, In Joan., hom. 24; Hieronymum, Ep. 83; Ambrosium, In Luc., l. 10, n. 48).

Quamlibet aquam veram et naturalem habent pro materia valida Baptismi.

Sint quaedam ex antiquioribus testimoniis:

DIDACHE seu Doctrina duodecim Apostolorum, 7, 1-3: “De baptismo autem, sic baptizate: haec omnia postquam antea dixistis, *baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* in aqua viva. Sin autem non habes aquam vivam, in alia aqua baptiza; si non potes in frigida, in calida. Sin autem neutram habes, effunde in caput ter aquam *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*” (ed. Funk, 1, 16).

HERMAS, Sim. 9, 16, 3sq.: “Priusquam . . . homo nomen filii Dei portaverit, mortuus est; cum autem acceperit sigillum, deponit mortalitatem et resumit vitam.

Sigillum ergo est aqua; in aquam igitur descendunt mortui et ascendunt vivi” (ed. Funk, 1, 608).

JUSTINUS, Apol. 1, 61: “Deinde eo ducuntur a nobis ubi aqua est, et eodem regenerationis modo regenerantur, quo et ipsi sumus regenerati. Nam in nomine Parentis universorum ac Domini Dei, ac salvatoris nostri Iesu Christi, et Spiritus Sancti, lavacrum in aqua tunc suscipiunt. . . . Hanc autem huius rei rationem ab apostolis accepimus” (M.G. 6, 420).

TERTULLIANUS, De bapt. 1: “Felix sacramentum aquae nostrae qua abluti delictis pristinae caecitatis, in vitam aeternam liberamur . . . nos pisciculi secundum Ἰησοῦν nostrum Iesum Christum in aqua nascimur, nec aliter quam in aqua permanendo salvi sumus. Ita Quintilia monstrosissima, cui nec integre quidem docendi jus erat optime norat pisciculos necare, de aqua auferens” (M.L. 1, 1305–1308).

Ibid. 4: “Quod . . . generi attributum est, etiam in specie redundat. Ideoque nulla distinctio est, mari quis an stagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur nec quidquam refert inter eos quos Joannes in Jordane, et quos Petrus in Tiberi tinxit. Nisi et ille spado, quem Philippus inter vias fortuita aqua tinxit, plus salutis aut minus retulit. Igitur omnes aquae de pristina originis praerogativa sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo. Supervenit enim statim spiritus de coelis, et aquis superest, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatae vim sanctificandi combibunt” (M.L. 1, 1311 sq.).

Ibid. 5: “Sed enim nationes extraneae ab omni intellectu spiritualium potestatem eadem efficacia idolis suis subministrant, sed, viduis aquis, sibi mentiuntur. Nam et sacris quibusdam per lavacrum initiantur, Isidis alicujus, aut Mithrae, ipsos etiam deos suos lavationibus efferunt. Caeterum villas, domos, templa totasque urbes aspergine circumlatae aquae expiant passim, certe ludis Apollinaribus et Eleusiniis tinguntur. Idque se in regenerationem et impunitatem perjuriorum suorum agere praesumunt. Item penes veteres quisquis se homicidio infecerat, purgatrice aqua se expiabat. Igitur si de sola natura aquis, quod propria materia sit abluendi in auspicia emundationis, blandiuntur, quanto id verius aquae praestabunt per Dei auctoritatem, a quo omnis natura earum constituta est? Si religione aquam medicari putant, quae potior religio, quam Dei vivi? quo agnito, hic quoque studium diaboli recognoscimus res Dei aemulantis, cum et ipse baptismum in suis exercet. Quid simile? Immundus emundat, perditor liberat, damnatus absolvit. Suam videlicet operam destruet, diluens delicta quae inspirat ipse.” (M.L. 1, 1312 sq.).

NOTA 1. *CHRISTUS PISCIS, ΙΧΘΥΣ.*

“Cum descriptione Baptismi saepe coniungitur mentio Christi ut piscis, ex traditione antiqua. Tertullianus, B., 1: ‘Nos pisciculi secundum Ἰησοῦν nostrum Iesum Christum in aqua nascimur.’ Symbolismus videtur ex fundo communi religionum antiquarum petitus: nam inde a Babylone ad Carthaginem et ab Aegypto superiore ad Danubium, piscis est ut symbolum vitae: quo symbolo Christus repraesentatus est tanquam vitae auctor in Baptismo et in Eucharistia. Postea vero compositum est acrostichion: ’φ/σοῦ?] X[p«oroç] Θ[«η>] Y[ioc] Σ[ωπ/ρ],

“Inter monumenta vetustissima huc spectantia, nominanda est inscriptio Abercii Hieropolitani (saec. II), v. 13-16, et inscriptio Pectorii Augustodunensis (circa 300?), cf. DA., art. *Epigraphic* (L. Jalabert), coi. 1445-8; *Or. Sib.*, 8, 216-249, ap. Euseb.; *Constantini Oratio*

ad Sanctorum coetum, 18, P.G., 20, 1288 B-1289 A. (34 versus hexametri; in fine σταυρό?).

“Cf. J. B. de Rossi, *De Christianis monumentis Ixβvv exhibentibus*, in *Spicilegio Solesm.*, 3, p. 544-577, Paris, 1855; H. Marucchi, *Eléments d'archéologie chrétienne*, t. 1, 281-299, Paris, 1900; ac praesertim F. J. Doelger, IXΘY2, *Das Fischsymbol in frühchristlicher Zeit*, 1.1, Rom., 1910; t. 2 et 3, Münster, 1922.”³

NOTA 2. DE BENEDICTIONE AQUAE BAPTISMALIS JUXTA DOCTRINAM PATRUMJ

Ex *antiqua consuetudine Ecclesiae* quam testatur jam *Cyprianus* (Epist. 70, 1) et firmata est ut lex ecclesiastica in *Rituali Romano* (t. 2, c. 1, n. 5) ac in *Codice J.C.* (can. 757, § 1), in Baptismo necessario requiritur aqua peculiariter ad hoc benedicta. Haec tamen benedictio non habetur ut essentialis et ad valorem sacramenti requisita, sed est quoddam sacramentale additum ab Ecclesia et ad liceitatem necessarium in solemni tantum Baptismo.

Ex modo tamen loquendi SS. Patrum oritur quaedam *difficultas*; quibusdam enim visum est Patres putasse eam benedictionem *conjerre aquae suam virtutem* salutarem, quemadmodum forma consecrationis confert speciebus eucharisticis, ac ideo ipsam *esse necessariam et essentialem* ad valorem Baptismi (cf. Tertull., *De bapt.* 4; Cyprian., Ep. 70, 1; Cyrill. Hier., *Catech.* 3, 12; Greg. Nyss., *In baptismum Christi*; Basil., *De Spiritu S.*, 27, 66; Ambros., *De mysteriis*, 3, 4, 20; Augustin., *De bapt.* 6, 25, 47).

Respondetur:

1. Patres non docent aquam antecedenter ad usum ablutionis sub forma Trinitatis suscipere in se aliquam *virtutem*, sive ipso tempore institutionis Baptismi sive tempore benedictionis aquae ab Ecclesia. Ita *Ambrosius* in textu citato in art. praec. ait tantum quod ex baptismo Christi aquis datum est ut “baptismatis *jus haberent*”; et eodem sensu accipienda sunt verba *Augustini* ibidem citata.

Cyrillus Hier., *Catech.* 3, 3 ait: “Ne huic lavacro tamquam nudae et simplici aquae attende, sed ad gratiam Sancti Spiritus, quae una cum aqua datur, specta . . . Aqua simplex Spiritus Sancti et Christi et Patris invocationem percipiens, vim sanctitatis acquirit” (M.G. 33, 430).

2. Patres non habere benedictionem aquae ut necessariam et essen-

* A. D'AUs, *De Bapt. et Conf.*, thes. 2, Scholion 1, Parisiis, 1927, p. 37.

³ Cf. D'Alès, I. c., Scholion 2; *Pesch*, *De Bapt.*, prop. 37, pars 2; *Diet. Thiol. Cath.*, art. Baptême, col. 181 sq.; *Suarez*, *Disp.* 30, sect. 2, n. 4.

tialem sequitur *tum ex* praecedenti ratione; *tum* ex eo quod quandoque hanc benedictionem referant ad ecclesiasticam consuetudinem, sicut alia sacramentalia quae fiunt in Baptismo, i.e. signum crucis, benedictionem olei, trinam immersionem, professionem fidei, etc. (cf. Basiliuni, De Spiritu S., 27, 66; Tertull., De corona, 3 sq. citat, in p. 555 superioris tractatus), *tum* ex eo quod saepe dicant Christum suo baptismo omnem aquam sanctificasse seu ad effectum spiritualem ordinasse (cf. Ambros. et August, nuper memoratos); *tum* ex usu Ecclesiae primitivae baptizandi in mari et fluminibus; *tum* ex baptismo clinicorum in quo quaelibet aqua adhibebatur; *tum* ex eo quod baptismus haereticorum ut validus agnoscebatur ubi de recta applicatione formulae trinitariae constaret quin de aquae benedictione ullatenus inquireretur.

Ad rectam intelligentiam quarumdam Patrum locutionum *notandum est* Patres indolem et effectus sacramentorum non exhibere, uti nos facimus in scientia theologica, modo abstracto et distincto sed potius *concrete et realisticè*, considerando nempe ad modum unius quidquid de facto in sacramento occurrit, quin semper distinguerent varia elementa ac inter ea distribuerent varias Baptismi proprietates, uti necessitatem, efficacitatem, praesentiam Spiritus S.

Proinde sicut in Eucharistia considerant materiam panis et vini, formam consecrationis, virtutem Christi et effectum, ita in Baptismo considerant aquam ipsam, ejus benedictionem, virtutem Spiritus S. et usum aquae cum formula trinitaria. Unde quandoque comparant benedictionem aquae baptismalis cum forma consecrationis eucharisticae. bene tamen scientes hanc, secus ac illam, esse essentialem, necessariam et ab ipso Christo institutam; quandoque etiam dicunt ex benedictione aquae fieri ut haec consequatur praesentiam Spiritus S. cujus virtute aqua operatur, quin tamen determinent, quod aliunde supponunt, aquam tunc virtutem Spiritus S. directe et actu participare cum applicatur sub forma Trinitatis.

Caeterum *sensus intimus* quod videtur generaliter subesse similibus Patrum sententiis est iste: elementa materialia non concurrere ad sacramentalem efficacitatem nisi prout sunt symbola fidei seu prout assumuntur ex applicatione Ecclesiae ad usum sacramentalem. cujus applicationis indicia sunt omnia quae ab Ecclesia fiunt circa talem materiam, i.e. preces, benedictiones, signum crucis, etc. Tria enim ad efficaciam sacramentalem simul concurrunt: *fides, ritus et virtus Spiritus S.*; fides autem Ecclesiae, quae cum ritu et virtute Spiritus S. influit in sacramentis, manifestatur etiam in variis sacramentalibus quae praeparant et comitantur ipsius sacramenti essentiam. Unde benedictio aquae dupliciter dici potest efficax et necessaria ad effectum Baptismi,

primo *ex parte objecti*, in quantum continet invocationem praesentiae Spiritus S., ex cuius virtute postmodum adveniente forma trinitaria aqua sanctificat, secundo *ex parte ritus*, quatenus consideratur ad modum unius, ut unicus totalis ritus, cum subséquente ablutione in forma trinitaria.

Ad rem faciunt haec verba *Ambrosii, De mysteriis, 4, 20*: “Ideoque legisti quod tres testes in baptismo unum sunt, aqua, sanguis et Spiritus [cf. 1 Joan. 5, 8]; quia, si in unum horum detrahas, non stat baptismatis sacramentum. Quid est enim aqua sine cruce Christi? [i.e. sine fide in passione Christi quae per signum crucis et aquae benedictionem, inter alia signa, manifestatur; cf. ibidem, 3, 14]. Elementum commune, sine ullo sacramenti effectum. Nec iterum sine aqua regenerationis mysterium est . . . Credit autem etiam catechumenus in crucem Domini Iesu, qua et ipse signatur; sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritualis gratiae munus haurire” (M.L. 16, 394).

Probatur 3. *EX RATIONE CONVENIENTIAE.*

Convenientia institutionis aquae ut materiae hujus sacramenti multipliciter ostenditur cum S. *Thoma* (et cum *Patribus* supra citat., *Catechismo Cone. Trid.*, 2 p., c. 2, q. 10, *Missali Romano* in Benedictione fontis in Sabbato Sancto, *Pontificali Romano* in Benedictione aquae cum sale, cineribus et vino adhibitae in consecratione Ecclesiae) *ex parte essentiae* Baptismi prout est sacramentum regenerationis, *ex parte principalium Baptismi effectuum* qui sunt spiritualis ablutio, extinctio concupiscentiae et spiritualis fidei illuminatio, *ex parte significationis* Baptismi quae est mysterium passionis Christi et *ex parte necessitatis* Baptismi quae est absoluta et universalis.

“Ex institutione divina, inquit S. *THOMAS*, aqua est propria materia baptismi; et hoc convenienter.

“*Primo* quidem quantum ad *ipsam rationem baptismi*, qui est regeneratio in spiritualem vitam, quod maxime congruit aquae. Unde et semina, ex quibus generantur omnia vivencia, scilicet plantae et animalia, humida sunt, et ad aquam pertinent. Propter quod quidam philosophi posuerunt aquam omnium rerum principium, sicut dicitur [Met. 1. 1, c. 3 et lib. de sensu, c. 4].

“*Secundo* quantum ad *effectus baptismi*, quibus competunt aquae proprietates, quae sua humiditate lavat; ex quo conveniens est ad significandam et causandam ablutionem peccatorum; sua frigiditate etiam temperat superfluitatem caloris, et ex hoc competit ad mitigandam concupiscentiam fomitis; sua diaphaneitate est luminis susceptiva, unde competit baptismi, in quantum est fidei sacramentum.

“*Tertio* quia convenit ad *repraesentandum mysteria Christi*, quibus justificamur. Ut enim dicit Chrysostomus super illud Joan, iii: *Nisi quis renatus fuerit*, etc., ‘sicut in quodam sepulcro, in aqua submergentibus nobis capita, vetus homo sepelitur, et submersus deorsum occultatur, et deinde novus rursus ascendit.’

“*Quarto* quia ratione suae communitatis et abundantiae est conveniens materia *necessitati hujus sacramenti*; potest enim ubique de facili haberi” (a. 3).

RESPONSIO

Praecipuae difficultates quae afferuntur a supra dictis haereticis vertunt circa falsam interpretationem *textus Scripturae, nominatim Joan. 3, 5*; quibus responsum est in art. 1. Manent igitur solvendae quaedam exceptiones *contra argumentum ex ratione convenientiae*.

Obj. Unus ex Baptismi effectibus est *illuminatio*, hic autem competit non aquae sed igni, qui proinde aptior esset materia Baptismi. Alius effectus est *ablutio peccatorum*, ablutio autem etiam per aliud liquidum fieri potest, ut per oleum et vinum, non ergo sola aqua est apta materia Baptismi. Praeterea sacramenta *fluxerunt ex latere Christi* crucifixi, ut aiunt Patres, seu significata sunt per id quod fluxit ex latere Christi, cum igitur non solum aqua sed etiam sanguis inde fluxerit, etiam in sanguine Baptismus conferri potest.

Resp. 1. “Illuminatio pertinet ad ignem active. Ille autem qui baptizatur non efficitur illuminans, sed illuminatus per fidem, *quae est ex auditu*, ut dicitur Rom. cap. x. Et ideo magis competit aqua baptismo quam ignis. Quod autem dicitur: *Baptizabit vos in Spiritu sancto et igni*, potest per ignem, ut Hieronymus dicit, intelligi Spiritus sanctus, qui super discipulos in igneis linguis apparuit, ut dicitur Act. ii. Vel per ignem potest intelligi tribulatio, ut Chrysostomus dicit super Matth., quia ‘tribulatio peccata purgat, et concupiscentiam diminuit.’ Vel quia, ut Hilarius dicit, ‘baptizatis in Spiritu sancto reliquum est consummari igne iudicii’ ” (a. 3, ad 7).

2. “Vinum et oleum non communiter assumuntur ad usum ablu-tionis, sicut aqua; nec etiam ita perfecte abluunt, quia ex eorum ablu-tione remanet aliqua infectio quantum ad odorem, quod non contingit de aqua. Illa etiam non ita communiter et abundanter habentur, sicut aqua” (a. 3, ad 2).

3. “Ex latere Christi fluxit aqua ad abluendum, sanguis autem ad redimendum. Et ideo sanguis competit sacramento Eucharistiae, aqua autem sacramento baptismi, qui tamen habet vim ablutivam ex virtute sanguinis Christi” (a. 3, ad 3).

ART. 4. Utrum Materia Proxima Baptismi Sit Ipse Usus Aquae Seu Ablutio (a. 1).

STATUS QUAESTIONIS

In art. praec. statutum est aquam esse quomodolibet materiam Baptismi; jam quaeritur utrum aqua sit tantum *MATERIA REMOTA*, usus vero aquae, puta ablutio, sit *MATERIA PROXIMA* seu id quod immediate et formaliter unitur verbis formae baptismalis ad componendum signum sacramentale.

Dupliciter autem quis posset asserere aquam esse directam et formalem materiam Baptismi: *vel* docendo aquam esse sacramentum jam *ante usum seu abluionem*, ad modum quo species eucharisticae sunt sacramentum ante usum communionis, *vel* docendo aquam esse materiam sacramenti in ipso actu abluionis, quatenus formaliter ipsa aqua non vero ejus usus unitur verbis ad efformandum compositum sacramentale.

PRIMA ASSERTIO, quae esset error gravioris momenti dogmatici eo quod subverteret etiam rationem formae hujus sacramenti, a nemine prolata est; frustra autem, ut diximus in Conci, art. praec., quis conaretur similem errorem apud *Patres* detegere.

Cum tamen rudes et indocti homines, ex laudanda sane veneratione erga aquam benedictam et consecratam vel ob solemnitatem ritus quo aqua sacri fontis consecratur, facile induci possent ad confundendum sacramentale aquae benedictae cum sacramento Baptismi, *Catechismus Cone. Trid.* sollicite parochos monet: “Docendus erit populus, hoc sacramentum confici abluione ... Id vero eo diligentius monere oportebit, ne forte fideles in eum errorem inducantur, ut existiment, quod vulgo dici solitum est, aquam ipsam, quae ad conficiendum baptismum in sacro fonte asservatur, sacramentum esse. Tunc enim sacramentum baptismi dicendum est, quum aqua ad abluendum aliquem, additis verbis, quae a Domino instituta sunt, re ipsa utimur” (*l.* 2, *c.* 2, *q.* 6).

ALTERA ASSERTIO, quae est error subtilior et majoris momenti theologici eo quod subvertat indolem hujus sacramenti illud assimilando Eucharistiae quae sola consistit non in usu rei sed in re permanenti, tribuitur *quibusdam theologis mediæ aevi*, nominatim *Hugoni a S. Vietore*, qui definiens sacramentum in genere “materiale *elementum*”, juxta illud Augustini In Joan., tract. 80, η. 3 “Accedit verbum ad elementum et fit sacramentum”, subinde ad Baptismi definitionem

descendens inquit: “Baptismus est *aqua* diluendis criminibus sanctificata per verbum Dei” (De Sacr. 2, 6, 2, M.L. 176, 443).

Hanc sententiam *Petrus Lombardus* tacite *impugnat* dum signanter scribit: “Baptismus dicitur intinctio, id est, ablutio corporis exterior, facta sub forma verborum praescripta. Si enim ablutio fiat sine verbo, non est ibi sacramentum; sed accedente verbo ad elementum, fit sacramentum, *non utique ipsum elementum fit sacramentum, sed ablutio jacta in elemento*” (4 Sent., dist. 3, n. 1, M.L. 192, 843).

Bonaventura (In 4 Sent., dist. 3, p. 1, a. 1, q. 1) sententiam Hugonis ex parte resumpsit, tentans eam conciliare cum doctrina Lombardi. Docet nempe quod si sacramentum Baptismi consideratur ut signum, proprius loquendo materia dicenda est ipsa aqua quippe quae significat gratiam ejusque proprietates, si vero consideratur ut causa, proprius materia dicenda est ablutio quippe quae directius sanctificat quam aqua, simpliciter tamen loquendo proprius materia dicenda est ipsa aqua.

S. *Thomas* vero doctrinam Petri Lombardi simpliciter recipiens ait: ‘Opinionem Hugonis a S. Victore in hac parte sequi non oportet. Potest tamen verificari ut baptismus dicatur esse aqua, quia aqua est materiale baptismi principium, et sic erit praedicatio per causam’ (ad 2).

Quam doctrinam *posteriores theologi* absque discussione secuti sunt. Solummodo disputatum est a quibusdam sub quonam aspectu ablutio sit materia Baptismi, an qua actio, qua passio vel qua utrumque. aliis alia proferentibus, in quibus immorari non vacat.⁵

CONCLUSIO

Materia Proxima Baptismi Non Est Aqua Sive Ante Sive In Ejus Usu, Sed Ipse Usus Seu Ablutio.

Probatur.

PRIMA PARS: AQUA ANTECEDENTER AD EJUS USUM SEU ABLUTIONEM NON EST SACRAMENTUM AUT PARS SACRAMENTI.

1. Haec doctrina talis est quae non videtur *sine temeritate* negari posse (*NOTA THEOLOGICA*).

Nam a. *Catechismus Cone. Trid.* in verbis supra citatis contrariam sententiam vocat errorem a quo sedulo populus Christianus avertendus est. b. *Cone. Flor.* in Decr. pro Armenis (Denz. 696) ait sacramentum *Baptismi perfici et virtutem habere* per formam (quae comitatur ablutionem) et per actionem ministri (i.e. ipsam activam ablutionem) quae

⁵Cf. *Suarez*, In q. 66, a. 4, disp. 20, sect. 2, n. 3 sqq.

est actio instrumental virtutis divinae principaliter operantis, c. *Patres* non tantum dicunt per ablutionem sacramentum Baptismi ejusque effectus nobis applicari, sicut fit in Communionem quoad sacramentum Eucharistiae, sed in ablutione ipsum sacramentum confici, nam virtutem sanctificatricem aquae repetunt ex forma trinitaria (cf. Cyrillum Hier. cit. in art. praec., Conci., Nota 2). d. Scriptura, Patres et theologi hoc sacramentum etiam *per ipsam ablutionem definiunt*; illud enim vocant baptismum, tinctionem, lavacrum: Tit. 3, 5 “Lavacrum regenerationis”, Eph. 5, 26 “Lavacrum aquae in verbo vitae”.

2. Eadem doctrina sequitur ex ratione *formae, ministri et significationis* hujus sacramenti.

Forma hujus sacramenti sunt verba: Ego te baptizo etc., ut dicitur in art. 6; haec autem non componunt cum aqua ante ejus usum sed in ipsa ablutione. *Minister* Baptismi non est qui aquam consecrat sed qui eam abluendo applicat et formae conjungit, ut constabit ex art. 13 sq.; ergo materia proxima Baptismi est in usu aquae. *Significatio* hujus sacramenti perficitur in ipsa ablutione, nam significatio materiae perficitur per formam, haec autem in ablutione profertur.

SECUNDA PARS: IN IPSO ACTU ABLUTIONIS NON AQUA, SED EJUS USUS, EST DIRECTA ET FORMALIS MATERIA COMPONENTENS CUM FORMA SACRAMENTI. Nam:

1. *Significatio* sacramentalis perficitur non solum in ipsa ablutione sed per ipsam ablutionem, ut patet ex verbis formae quae non ad aquam sed ad ablutionem referuntur, non enim dicitur: Ego do tibi aquam salutarem, sed, Ego te baptizo seu applico tibi ablutionem spiritualem.

2. *Sanctificatio seu efficacitas sacramentalis* perficitur non in aqua sed in ipsa ablutione. Ad rem S. *Thomas*: “Cum . . . sacramenta novae legis sanctificationem quamdam operentur, ibi perficitur sacramentum, ubi perficitur sanctificatio. In aqua autem non perficitur sanctificatio, sed est ibi quaedam sanctificationis virtus instrumentalis, non permanens, sed fluens in hominem, qui est verae sanctificationis subjectum; et ideo sacramentum non perficitur in ipsa aqua, sed in applicatione aquae ad hominem, quae est ablutio” (*in corp.*).

Dices. Haec ratio S. Thomae non videtur recte concludere. Nam “si maior illa est vera, scilicet, *Ibi perficitur sacramentum ubi perficitur sanctificatio*, et propterea infertur. *In aqua non perficitur sacramentum quia in illa non perficitur sanctificatio* (non enim aqua per baptismum sanctificatur), eadem ratione potest inferri quod ablutio non est sacra-

mentum, quia in ea non perficitur sanctificatio. Ablutio enim non sanctificatur per baptismum; sed homo qui abluitur.”⁶

Rcsp. cum Cajetano: “Aqua . . . et ablutio differunt in hoc, quod aqua est res permanens, ablutio vero est res successiva. Et quia *unumquodque est in aliquo secundum modum recipientis*, ideo consequenter differunt in modo sanctificationis. Nam, si in aqua perficeretur sanctificatio, sequeretur quod aqua esset sancta: quia est in se quoddam permanens, ac per hoc pro seipsa sanctificaretur. Si vero ponitur quod in ablutione perficitur sanctificatio, non sequitur quod ipsa ablutio fiat ex huiusmodi sanctificatione sancta: quia ablutio non est sui ipsius, sed abluti; nec est in seipsa, sed in abluto. Ac per hoc, non ea ratione sanctificationem sortitur ut sui ipsius sit, sed ut abluti sit: hoc est. ut ablutus sanctificetur per ipsam deferentem sanctificationem in ablutum.

“Et, ut uno verbo dicatur, quia ablutio importat terminum qui abluitur. perfici sanctificationem in ablutione intelligitur secundum suum terminum, seu in incluso termino. Quod de aqua non potest intelligi: quia significat rem permanentem, et non rem transeuntem in alium, sicut est ablutio. Unde et in littera probatur ablutionem, et non aquam esse sacramentum, quia virtus instrumentalis ibi existens est quaedam sanctitas fluens in hominem qui baptizatur: fluens autem non est aqua, sed ablutio.”⁷

Ex his intelligitur etiam *convenientia et differentia inter Eucharistiam et Baptismum aliaque sacramenta*; quoniam omnia quidem sacramenta continent aliquid sacrum et sanctificationem seu consecrationem quamdam operantur, sed *Eucharistia* continet in se aliquid sacrum absolute seu Corpus Christi adeoque perficitur in ipsa consecratione materiae atque consistit *in re permanente* consecrata per praesentiam Corporis Christi, caetera vero sacramenta continent aliquid sacrum in ordine ad aliud, scilicet instrumentalem virtutem ad sanctificandum, adeoque perficiuntur in consecratione seu sanctificatione hominis atque consistunt *in usu rei* seu in applicatione materiae ad hominem sanctificandum (q. 73, a. 1, ad 3).

ART. 5. Utrum Quaelibet Ablutio Sit Valida Materia Baptismi (a. 7 et 8).

STATUS QUAESTIONIS

Cum in art. praec. dictum est ablutionem esse materiam proximam

⁶ Apud *Cajtanum*, In h. I., n. 2.

⁷ Ibid.

Baptismi non fuit sermo signanter et specificative de ipsa ablutione qua tali, sed generice de usu aquae. Nunc vero directe *quaeritur quanam aquae usus sit necessarius*. Quae quaestio sic enucleari potest: an requiratur *contactus* aquae; an requiratur *contactus successivus* seu *ablutio*; an requiratur hoc genus ablutionis seu *immersio* vel contra sufficiat sive *immersio* sive *infusio* sive *aspersio*; an si fiat *immersio* requiratur *etiam immersio*; an requiratur *triplex ablutio*.

Praecipua vero et concreta quaestio quae nobis a schismaticis adversariis solvenda imponitur est: *an sufficiat ablutio per infusionem quae est in usu in Ecclesia latina*.

Notio ablutionis.

Ablutio, quae idem sonat ac lavatio, duo importat: *contactum* nempe aquae, sine quo lavatio est prorsus impossibilis, et *contactum successivum* seu motum localem aquae super corpus vel corporis in aqua, sine quo proprie et juxta communem acceptionem lavatio non haberetur, etsi ex simplici contactu vel madefactione sordes corporis auferantur. Necesse autem non est ad rationem lavationis seu ablutionis quod immunditia de facto abiciatur, ut patet ex communi usu loquendi.

Ex his facile intelliguntur quaedam quae a *Moralistis* de ablutione in Baptismo requisita explicantur, scilicet opus esse ut aqua sit in statu liquido, non vero solido aut aëreo, et in tanta quantitate adhibeatur ut fluere possit; ut aqua tangat corpus ipsum non vero tantum aliquid ab eo distinctum (v.g. vestes); ut tangat saltem partem principalem corporis (v.g. caput).

Divisio ablutionis.

Ablutio baptismalis dividi solet in ablutionem *per immersionem*, *per infusionem* et *per aspersionem* (a. 7). Dupliciter enim *contactus successivus* aquae obtineri potest, i.e. per motum localem corporis in aqua, ut contingit in immersione, vel aquae super corpus, ut contingit in infusione et aspersione; *infusio* autem et *aspersio* vix ac veluti accidentaliter differunt inter se, quatenus nempe *contactus successivus* aquae super corpus obtinetur per deiectionem vel per projectionem aquae.

PARS NEGATIVA

1. Inter Protestantes, *BAPTISTAE?* docent necessitatem ablutionis per immersionem. Tres praecipue afferuntur rationes: 1. *Significatio verborum* quibus hoc sacramentum in Scriptura designatur seu $\text{^{\alpha}\tau\tau\iota\sigma\iota\zeta\omicron}$ et $\text{^{\chi}\omicron\nu\tau\rho\acute{\omicron}\nu}$ quae conceptum immersionis important. 2. *Antiqua*

⁴De horum doctrina confer *M. Everts*, Baptist Layman's Book; *Hovey*, Manual of Systematic Theology; *Ph. Wolff*, Le baptême, l'alliance et la famille, Paris, 1860; *A. Duchemin et L. Monod*, Le baptême et la liberté chrétienne, Paris, 1875.

praxis Ecclesiae quae inde ab Apostolis usque ad saec. 14 in utraque ecclesia fuit per immersionem in mare, stagna, flumina, aut fontes artificiales. 3. *Symbolismus Baptismi* ab Apostolo (Rom. 6, 3-5) j. propositus seu mystica sepultura cum Christo.

Propterea ritus baptismalis ab his haereticis communiter sic observatur: neophytus, speciali et longa veste indutus, in flumen aut in fontem ecclesiae immergitur a ministro verba sacramentalia pronuntiante. Inde ab initio saeculi elapsi tamen, non obstantibus aliorum recriminationibus, *plures Baptistae* ritum infusionis adhibent vel saltem implicite admittunt validitatem Baptismi per infusionem collati quatenus baptizatos apud alias ecclesias in propriam absque rebaptizatione recipiunt.

2. Praecipue *SCHISMATICI ORIENTALES*³ ritum baptizandi Ecclesiae latinae impugnarunt, quamvis non semper inter se consenserint tum quoad doctrinam tum quoad praxim ritus baptismalis.

Primo autem impugnarunt consuetudinem quae ad tempus viguit in ecclesia hispanica baptizandi *per unicam immersionem* (cf. infra in Parte Affirm.). Hujusmodi ritus, cujus praxim calumniose omnibus Occidentalibus attribuerunt, invaliditatem declararunt praecipue *Michael Caerularius*, *Callistus I* patriarcha constant, (saec. 14), *Philaretus Nikitich* (in Concilio Mosquensi a. 1620) et *Cyrillus Γ* patriarcha constant, (saec. 18). Non defuerunt tamen doctores qui, quamvis latinos de baptismo in unica immersione incusarent, hujus tamen ritus validitatem non negarunt.

Secundo et praecipue Orientales impugnarunt consuetudinem quae inde a saec. 14 invaluit in Ecclesia latina baptizandi *per trinam infusionem*. Hunc ritum extra casum necessitatis communiter ut illicitum et invalidum habent post decretum Cyrilli V patriarchae oecumenici, qui a. 1755 jussit rebaptizationem latinorum. Ipsum, ut latinae Ecclesiae innovationem, reprobavit saeculo elapso ecclesia officialis in Encyclica epistola quatuor patriarcharum orientalium a. 1848 in responsum ad Pium IX exarata et in epistola Synodali Anthimi *VI* patriarchae oecumenici, quae a. 1895 responsum dedit Leoni XIII Orientales ad unionem exhortant!.

Attamen eorum doctrinam esse prorsus fluctuantem et non sibi constantem ex his patet: a. Baptismus per trinam infusionem in casu necessitatis semper et ab omnibus ut validus et licitus habitus est. b. Ante praefatum decretum Cyrilli V a. 1755, plerique Graeci non negarunt validitatem Baptismi collati per trinam infusionem extra casum necessitatis nec latinos rebaptizabant, c. Saec. 17 apud Yugo-

*Cf. *M. Jugie*, *Theologia Orientalium*, t. 3, c. 2, a. 2.

russos et saec. 18 apud omnes Russos Baptismus per trinam infusionem communiter in usu fuit aequae fere ac Baptismus per immersionem. Ipse *Petrus Moghilas*, metropolita Kiovensis, in suo rituali habet: “Sacrum baptisma perficitur tum per totius corporis immersionem, tum per infusionem aquae super caput. Unaquaeque Ecclesia sive hunc sive illum baptizandi modum observet, juxta consuetudinem ab antiquo receptam. Ritus caput est trinam immersionem vel trinam infusionem perficere, verba formae proferendo.”¹⁰

PARS AFFIRMATIVA

Nota Theologica.

Validum esse Baptismum sive per immersionem sive per infusionem est *saltem theologicè certum*; sequitur enim ex ipsa universali praxi Ecclesiae indefectibilis.

Documenta Ecclesiae.

Confer documenta *Gregorii M.* et *Stephani II* infra in Conclusionem.

Cone. Later. IV, cap. 4: “Postquam . . . Graecorum ecclesia cum quibusdam complicibus et fautoribus suis ab oboedientia Sedis Apostolicae se subtraxit, in tantum Graeci coeperunt abominari Latinos, quod inter alia, quae in derogationem eorum impie committebant, si quando sacerdotes Latini super eorum cèlebrassent altaria, non prius ipsi sacrificare volebant in illis, quam ea tanquam per hoc inquinata lavissent; baptizatos etiam a Latinis ipsi Graeci rebaptizare ausu temerario praesumebant: et adhuc, sicut accepimus, quidam hoc agere non verentur” (Denz. 435).

Cone. Flor, et Trid. nihil de ablutione decernunt sed tantum indeterminate asserunt aquam esse materiam Baptismi. Tamen *Cone. Trid.* in can. 3 de Baptismo definit modo generali in Ecclesia catholica esse veram doctrinam de hoc sacramento.

Catechismus Cone. Trid., p. 2, c. 2, ait: “Docendus erit populus, hoc sacramentum confici ablutione” (ç. ò), et “Utrum vero unica an trina ablutio fiat, nihil referre existimandum est . . . Retinendus est tamen a fidelibus is ritus, quem unusquisque in sua ecclesia servari animadverterit” (ç. 75).

Rituale Romanum, tit. 2, c. 1, n. 10, statuit: “Licet Baptismus conferri valide possit aut per infusionem aquae, aut per immersionem, aut per aspersionem; primus tamen, vel secundus modus, aut mixtus ex utroque, qui magis sit in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineatur; ita ut trina ablutione caput baptizandi perfundatur, vel immergatur in

¹⁰“Apud *M. Jugie*, *Theologia Orientalium*, t. 3, Parisiis, 1930, p. 75.

modum crucis uno et eodem tempore, quo verba proferuntur, et idem sit aquam adhibens et verba pronuntians.”

Idem refert *Codex J.C., can. 737 et 738.*

CONCLUSIO

Materia Valida Baptismi Est Quaelibet Ablutio Sive Per Immersionem Sive Per Infusionem Sive Per Aspersionem; Sufficit Etiam Unica Ablutio Et Sola Immersio Absque Emersione.

Probatur I. *EX PRAXI ECCLESIAE.*

Usus baptizandi per quandam *immersionem* in aquam originem ducit ab ipso initio Ecclesiae. Jam ipse *baptismus Joannis*, qui nostri sacramenti praecursor extitit imo in quo *sacramentum Baptismi institutum est* dum Jesus baptizaretur, per immersionem aut per immersionem simul et infusionem collatus est, ut patet ex *MARC. 1, 9 sq.* “Jesus . . . baptizatus est a Joanne in Jordane. Et statim ascendens de aqua vidit coelos apertos” (cf. *Matth. 3, 16*). Similiter etiam Apostolos baptizasse patet ex *ACT. 8, 38* “Descenderunt uterque in aquam, Philippus et eunuchus, et baptizavit eum”. Ad idem alludit Apostolus dum Baptismum appellat lavacrum (*Tit. 3, 5; Eph. 5, 26*) et sepulturam hominis cum Christo (*Rom. 6, 4*).

Ritum etiam infusionis fuisse ab Apostolis nonnunquam adhibitum, innuitur tum in citato textu *Act. 8, 38*, tum in *Act. 2, 41* ubi dicitur Petrum eadem die baptizasse tria millia hominum, in *Act. 9, 18 et 22, 16* ex quibus colligitur Paulum baptizatum esse in domo Ananiae, in *Act. 16, 32-34* ubi Paulus exhibetur in carcere custodem eiusque familiam baptizans; parum enim verisimile videtur in talibus circumstantiis adhibitum esse ritum immersionis.

Usus baptizandi per *IMMERSIONEM*, et quidem *triplicem*, servatus est communissime *in utraque ecclesia usque ad saec. 14*, ut patet ex monumentis traditionis et operibus *Patrum* qui symbolismum trinae immersionis explicant, illum peculiariter referentes ad mysterium Trinitatis et ad triduum sepulturae Christi (cf. *Tertull., De bapt. 7, 20; Cyrill. Hier., Catech. 3, 12; Constit. Apost. 3, 17, 3; Greg. Nyss., Orat, catech. 35; Orat, in Baptismum Christi; Basil., De Spiritu S., 15, 35; Ambrosium, De myst. 5, 28; Anonym. De sacr. 2, 7, 20; Leon. M., Serm. 70, 4; Gregorium M., Epist. ad Leandrum Hisp. 1, 43; Damasc., De fide orth. 4, 9, 94*).

Attamen ex monumentis traditionis apparet hunc usum non fuisse exclusivum sed etiam *RITUM INFUSIONIS* adhibitum fuisse, praecipue in casibus necessitatis.

Primo, notandum est nonnunquam in Oriente et communiter in Occidente *in baptismo adultorum* adhibitam fuisse immersionem partialem simul cum infusione aquae super caput baptizandi. Id patet sive ex forma et amplitudine baptisteriorum, sive ex iconographia quae fere unice baptismum per infusionem vel per infusionem et partialem immersionem repraesentat;|| qui ultimus ritus magis infusio quam immersio dici potest, quod attinet ad essentiam sacramenti. Unde simplex et totalis immersio quoad solum baptismum parvulorum dici potest universalis usus Ecclesiae ante saec. 14.

Secundo, *baptismus clinicorum* seu grabatariorum (i.e. graviter decumbentium) administrabatur per solam infusionem, ut patet:

Ex responsione S. *Cypriani* ad Magnum episcopum qui eum interrogaverat de valore talis baptismi: “Quaesisti etiam, fili charissime, quid mihi de illis videatur qui in infirmitate et languore gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi Christiani, eo quod aqua salutaris *non loti sint, sed perjusi*. . . Nos quantum concipit mediocritas nostra aestimamus in nullo mutilari posse beneficia divina . . . Neque enim sic in sacramento salutari delictorum contagia ut in lavacro carnali et saeculari sordes cutis et corporis abluuntur, ut aphronitris et caeteris quoque adjumentis et solio et piscina opus sit, quibus ablui et mundari corpusculum possit. Aliter pectus credentis abluitur, aliter mens hominis per fidei merita mundatur . . . Nec quemquam movere debet quod *aspergi vel perfundi videntur aegri* cum gratiam Dominicam consequuntur, quando Scriptura sancta per Ezechielem prophetam loquatur et dicat: Et aspergam super vos aquam mundam, et mundabimini . . . [36, 25 sq.]. Item in Numeris [19, 8. 12. 13; 8, 5, 7; 19, 9]” (*Epist.* 69, n. 12, M.L. 3, 1194 sq.).

Ex *epistola Cornelii Papae ad Fabium Antiochenum*, in qua dicitur quod Novatianus “in ipso in quo iacebat lectulo perfusus baptismum suscepit, si tamen huiusmodi baptismum suscepisse dicendus est” (C.B., Eusebius, 2 [ed. E. Schwartz], 620). Notetur autem Papam his verbis non negare validitatem baptismi Novatiani, sed alludere ad impedimentum canonicum relate ad ordinationem sacerdotalem quod tunc censebatur provenire ex tali baptismo exceptionaliter permissio.

Ex responso 12 *Stephani P. II* (a. 754): “Si licet per necessitatem cum concha, aut cum manibus, infanti in infirmitate posito aquam super caput fundere, et sic baptizare. Hoc baptisma, si in nomine sanctae Trinitatis peractum fuerit, firmiter permanebit, praesertim cum et necessitas exposcit ut ille qui aegritudine detentus est hoc modo renatus particeps Dei regni efficiatur” (M.L. 89, 1027).

|| Cf. *Dici. Thiol. Calh.*, art. Baptême, col. 237 sq.; *Duchesne*, Origines du culte chrét., p. 302.

Tertio, in aliis etiam casibus necessitatis adhibitam fuisse infusionem patet ex Actibus Martyrum, v.g. S. Laurentii, S. Bacchi junioris et S. Gratilliani (editis a Martène, De antiq. eccl. rit., l. 1, c. 1, a. 14, cf. apud Migne, Theol. Curs., t. 20, coi. 81 sqq.).

Quarto, quoad *Patrum testimonia* de validitate Baptismi per infusionem, praeter nuper relata ubi de baptismo clinicorum, notentur sequentia:

DIDACHE 7, 3: “*Effunde* in caput ter aquam in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti” (ed. Funk, 1, 16).

TERTULLIANUS, *De bapt.* 13: “Lex . . . *tinguendi* imposita est, et forma praescripta . . . Itaque omnes exinde credentes tinguiebantur. Tunc et Paulus ubi credidit, tinctus est (Act. ix, 6)” (M.L. 1, 1323 sq.).

AUGUSTINUS, *De baptismo*, 6, 7, loquens de praefato textu Cypriani, ait. “Sic et in epistola quam scripsit ad Magnum, cum de Baptismo *tingentium et perfusorum* quaereretur, utrum aliquid interesset” (M.L. 43, 202).

Idem, *In Joan, tract.* 30, η. 3: “Unde ista tanta virtus aquae, ut *corpus tangat et cor abluat*, nisi faciente verbo . . . Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, ut per ipsum credentem, offerentem, benedicientem, *tingentem*, etiam tantillum mundet infantem” (M.L. 35, 1840).

In Oriente quidam haeretici antitrinitarii, v.g. *Eunomiani*, ut suam haeresim firmarent baptizabant in unica immersione (cf. Theodoretum, Haer. fab. 4, 3; Sozomenum, Hist. Eccl. 6, 26). *Propterea* hanc praxim damnarunt *Canones Apostolorum* (can. 50) et *Pelagius P.I.*, qui in *epistola ad Gaudentium Episc. Volterranum* (circa a. 560) scribit: “Multi sunt, qui in nomine Christi solummodo una etiam mersione se asserunt baptizari. Evangelicum vero praeceptum ipso Deo Domino et Salvatore nostro Iesu Christo tradente nos admonet, in nomine Trinitatis, trina etiam mersione sanctum baptisma unicuique tribuere, dicente Domino nostro Iesu Christo discipulis suis: Ite baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti [Mt. 28, 19]” (Denz. 229).

Eadem praxis introducta est *in Hispania saec. 6* ad defendendam ipsam fidem Trinitatis in unitate naturae contra Arianos Wisigothos qui per baptismum in trina immersione inculcare intendebant suum errorem de distinctione trium naturarum in Deo. *Propterea* eandem praxim approbavit *Gregorius M.* qui Leandro episcopo de ea interroganti respondit: “De trina vero mersione baptismatis, nil responderi verius potest quam ipsi sensistis, quia in una fide nihil officit sanctae Ecclesiae consuetudo diversa. Nos autem quod tertio mergimus, triduae sepulturae sacramenta signamus, ut dum tertio infans ab aquis educitur, resurrectio tridui temporis exprimitur. Quod si quis forte etiam pro summae Trinitatis veneratione aestimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptizandum semel in aquis mergere, quia dum in

tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest infantem in baptisate vel ter vel semel mergere, quando et in tribus mersionibus personarum trinitas, et in una potest divinitatis singularitas designari. Sed quia nunc usque ab haereticis infans in baptisate tertio mergebatur, flendum apud vos esse non censeo; ne dum mersiones numerant, divinitatem dividant, dumque quod faciabant faciunt, se morem nostrum vicisse gloriantur” (*Epist. 43*, M.L. 77, 497 sq.).

Eandem praxim defenderunt *Cone. Tolet.* a. 633 (can. 6) et *Cone. Wbrmatiense* a. 868 (can. 5).

Doctorcs saec. 8-13 de trina immersione tanquam de praxi communissima et ad liceitatem necessaria loquuntur; ita *Alcuinus, Walajridus Strabo, Bernardus, Hugo a S. Victore, Petrus Lombardjis* (qui trinam vel unicam immersionem legitimam dicit juxta diversitatem Ecclesiarum) et *S. Thomas* qui scribit: “Communiter observatur in baptismo trina immersio. Et ideo graviter peccaret aliter baptizans, quasi ritum Ecclesiae non observans; nihilominus tamen esset baptismus” («. 5).

Tamen *ritum infusionis* validum et in necessitate licitum declarant. *Walajridus Strabo* (saec. 9) scribit: “Notandum autem non solum mergendo, verum etiam desuper fundendo, multos baptizatos fuisse, et adhuc posse ita baptizari si necessitas sit, sicut in passione beati Laurentii quemdam urceo allato legimus baptizatum. Hoc etiam solet evenire cum perfectiorum granditas corporum in minoribus vasis hominem tingi non patitur” (M.L. 114, 959 sq.).

S. Thomas docet: “Quamvis tutius sit baptizare per modum immersionis (quia hoc habet communior usus), potest tamen fieri baptismus per modum aspersionis, vel etiam per modum effusionis, secundum illud *Ezech. xxxvi, 25*: ‘Effundam super vos aquam mundam’, sicut beatus Laurentius legitur baptizasse (cum ab eo in craticula superposito se baptizari *S. Romanus* petiisset); et hoc praecipue propter necessitatem, vel quia est magna multitudo baptizandorum, ut patet *Act. ii et iv*, ubi dicitur quod crediderunt una die tria millia, et alia die quinque millia. Quandoque autem potest imminere necessitas propter paucitatem aquae, vel propter debilitatem ministri, qui non potest sustentare baptizandum, vel propter debilitatem baptizandi, cui potest imminere periculum mortis ex immersione. Et ideo dicendum est quod immersio non est de necessitate baptismi” (a. 7).

Saec. 14 in Ecclesia latina paulatim diffusus est etiam usus infusionis, qui *saec. 15* praevaluit (imo jam *saec. 14 Scotus*, In 4 Sent., dist. 3, a. 8, asserit usum immersionis rarissimum esse) et *saec. 16* universalis ac

fere exclusivus evasit; praxis immersionis permansit tamen in ritibus mozarabico et ambrosiano.

Rituale Romanum Pauli V, memoratis tribus modis validae ablutionis i.e. per immersionem, infusionem et aspersionem, primum et alterum qui magis sit in usu servari jubet pro Ecclesiarum consuetudine. *Ritus enim aspersionis* nonnisi in quibusdam casibus necessitatis adhibitus fuit, puta propter ingentem numerum baptizandorum et temporis angustiam vel propter periculum contagionis pestis aut leprae; illum adhibuisse feruntur *Laodislaus Jagellon* rex Poloniae (saec. 14) et 5. *Franciscus Xaverius* in locis missionum.

Etiam apud *Protestantes* ritus infusionis invaluit, si excipiantur quaedam sectae modernae, praecipue *Baptistae* qui baptizant per immersionem, quin tamen omnes negent validitatem infusionis, ut dictum est in Parte Neg. Ex quo etiam confirmatur doctrina catholica de validitate infusionis, cum tam facile Protestantibus fuisset eam praxim reicere eandemque rationem recriminationis contra catholicos ex Orientalibus mutuare.

Ceterum, ut ibidem dictum est, ipsi *Orientalis* ritum infusionis in casibus necessitatis admittunt, plures etiam inter Russos eandem praxim adhibuerunt, multi doctores valorem Baptismi per infusionem non negarunt.

Probabiles autem rationes quae assignari solent quare ritus immersionis etiam partialis in desuetudinem abierit in Occidente, sunt sequentes: 1. infirmitas et debilitas parvulorum quibus immersio nocere posset; 2. incommodum ipsis adultis proveniens ex aquae frigiditate, praesertim tempore hiemali et in regionibus septentrionalibus; 3. magnus numerus baptizandorum; 4. periculum ne aquae, praecipue in baptismo parvulorum, foedentur ac ideo saepius renovandae sint; 5. quaedam difficultas ministri ad mergendum et sustendandum adultum majoris ponderis; 6. ratio decentiae et pudoris quoad baptismum mulierum, praesertim postquam cessavit ministerium diaconissarum.

Nec valet opponere has rationes olim non obstitisse quominus Baptismus conferretur per immersionem; nam non semper et eodem modo Ecclesia de quibusdam inconvenientibus iudicat eisque occurrit, sed juxta mores et conditiones hominum.

Probatur 2. *EX DOCTRINA FIDEI DE INDOLE BAPTISMI EIUSQUE SYMBOLISMO.*

1. Generales locutiones quae occurrunt in Scriptura et Patribus: “ex aqua” (Joan. 3, 5), “lavacrum” (Tit. 3, 5; Eph. 5, 26), “aspersio” (Hebr. 10, 22), “ablutio” (Hebr. 10, 22; 1 Cor. 6, 11), “effusio” (Ezech. 36, 25), non important necessario immersionem sed quemli-

bet usum aquae de se aptum ad corporales sordes abstergendas. Ipsa VOX βαπτισμός (βάπτω, βαπτίζω) juxta classicos Scriptores ΠΟΠ tantum ut intelligendi seu immergendi sed etiam tingendi (puta re colorata) sensum habet; ipsa Scriptura in sensu simplicis tinctionis vel ablutionis vocem baptismi quandoque adhibet (cf. Eccli. 34, 30 collatum cum Num. 19, 12; Marc. 7, 4).

Unde cum Patres frequentissime utuntur voce immersionis (vel cognatis expressionibus) ac in eodem sensu etiam supradictae voces intelligunt et exponunt, id faciunt non ad signandam unicam materiam Baptismi ad exclusionem alterius generis ablutionis, sed ad explicandum ipsum ritum communissimum in Ecclesia qui erat immersio et in quo etiam habetur efficacissimus modus ablutionis.

2. *Ad ipsum symbolismum* hujus sacramenti perficiendum non requiritur immersio sed sufficit quodlibet genus ablutionis, etiam per infusionem vel aspersionem. Per omnem enim ablutionem, quatenus est apta ad abstergendas corporales sordes et importat quamdam subductionem corporis relate ad aquam apte significatur tum ablatio spiritualium sordium seu peccatorum (necnon a fortiori alii Baptismi effectus, ut extinctio concupiscentiae et fidei illuminatio, de quibus in art. 3 dictum est), tum etiam sepultura Christi (ac consequenter nostra spiritualis sepultura quae computari potest inter effectus sacramenti). Caeterum concedendum est utrumque symbolismum efficacius exprimi per immersionem, quae est potissimus modus abluendi et importat proprie dictam et totalem submersionem corporis in aqua.

Ad rem S. *Thomas*: “In immersione expressius repraesentatur figura sepulturae Christi; et ideo hic modus baptizandi est communior et laudabilior. Sed in aliis modis baptizandi repraesentatur aliquo modo, licet non ita expresse: nam quocumque modo fiat ablutio, corpus hominis, vel aliqua pars ejus aquae supponitur, sicut corpus Christi sub terra fuit positum” (a. 7, ad 2).

Praeterea ad symbolismum mysterii Trinitatis exprimendum non requiritur trina ablutio, sed abunde sufficit formula trinitaria. Ad rem S. *Thomas*: “Trinitas est sicut agens principale in baptismo. Similitudo autem agentis pervenit ad effectum secundum formam, et non secundum materiam. Et ideo significatio Trinitatis fit in baptismo per verba formae; nec est de necessitate quod significetur Trinitas per usum materiae; sed hoc fit ad majorem expressionem” (a. 8, ad 7).

Nota. “Petes . . . dum baptismus sub trina immersione aut effusione confertur, quandonam habeatur essentia sacramenti?”

“*R.* Quando minister baptizat secundum intentionem Ecclesiae, tunc

u Cf. *Hodge*, Systematic Theology, v. 3, p. S27.

habetur essentia baptismi quando, posita aliqua immersione aut effusione, finitur forma; quia tunc habentur omnia essentialiter requisita. Unde, si infans moriatur post primam ablutionem et integre pronuntiatam formam, est vere baptizatus. Si autem baptizans non intenderet facere sacramentum nisi linitis tribus ablutionibus, non nisi tunc esset sacramentum ratione intentionis.

“Caeterum, pro praxi et ad vitandum omnem scrupulum, observandum est quod praescribit Rituale Rom. scilicet, ut ad primam ablutionem dicatur *in nomine Patris*, ad secundam *et Filii*, ad tertiam *et Spiritus sancti*,”¹³

Ex iisdem rationibus rejellitur alius error quorundam Orientalium qui docent praeter ipsam immersionem *requiri emersionem*. Nam ab-
sque emersione salvatur tum ratio ablutionis tum ratio utriusque symbolismi; symbolismus enim Baptismi qui ab Apostolo (Rom. 6, 4) praedicatur, refertur immediate et principaliter ad solam Christi sepul-
turam et non nisi indirecte et mediate ad ejus resurrectionem.

Notanda est hic *opinio aliquorum theologorum*, ut *Paludani, Scoti, Soti et Toleti*, qui censent non valere Baptismum in casu immersionis occisivae quae nempe emersione careat, ut si quis proiciat infantem in flumen, verba formae pronuntiando.¹⁴ *Ratio* quam afferunt est vel quia per solam immersionem non salvatur symbolismus Baptismi vel quia immersio occisiva juxta communem aestimationem potius suffocatio quam ablutio dicenda est.

Attamen prior ratio non valet ut dictum est, altera vero non convincit; nam praefata immersio si secundum se consideretur est vera ablutio; quod autem sit etiam necessario occisiva non videtur juxta communem aestimationem auferre rationem ablutionis sed tantum aliam addere rationem, sicut potio veneni est vera potio quamvis occisiva; unde est quod omnes Moralistae docent licitum esse in extrema necessitate infantem aqua gelida baptizare.

Quod attinet ad *liceitatem* talis immersionis occisivae observa quod “nisi mors infantis iam immineat, effectus mortis male permittitur, ita ut reatus cuiuspiam homicidii contrahatur. In casu extremae necessitatis, ubi infans aliter sine baptismo moriturus sit, alii quidem, cum S. ALPH., l. 6, n. 106, actionem damnant homicidii, sed alii probabiliter dicunt effectum baptismi saltem probabilis esse immediatum, et tam bonum, ut, propter illam proportionatam rationem, alter effectus acceleratae mortis permitti possit. Cfr. LEHMKUHL, II, 86, 5, probante PALMIERI, t. IV, n. 729. Omnes autem permittunt ut in extrema necessitate infans aqua gelida abluatur.”¹⁵

¹³ *Billuart*, De Baptismo, diss. 1, a. 3, §3, Petes 6, Parisiis, 1904, p. 395.

¹⁴ Cf. *Billuart*, *ibid.*, Petes 5, p. 393-395.

¹⁵ *Vernieersch*, *Thcol. Moral.*, n. 219, Romae, 1923, p. 176.

Ex iisdem principiis sequitur etiam non requiri immersionem totalem sed sufficere partialem, in qua saltem principalis corporis pars, praecipue caput, submergatur.

Ad rem S. *THOMAS*: “Principalis pars corporis, praecipue quantum ad exteriora membra, est caput, in quo vigent omnes sensus et interiores et exteriores. Et ideo si totum corpus aqua non possit perfundi propter aquae paucitatem, vel propter aliquam aliam causam, oportet caput perfundere, in quo manifestatur principium animalis vitae. Et licet per membra quae generationi deserviunt, peccatum originale traducatur, non tamen sunt membra illa potius aspergenda quam caput, quia per baptismum non tollitur transmissio originalis in prolem per actum generationis, sed liberatur anima a macula et reatu peccati quod incurrit. Et ideo debet praecipue lavari illa pars corporis in qua manifestantur opera animae. In veteri autem lege remedium contra originale peccatum institutum erat in membro generationis, quia adhuc ille per quem originale erat amovendum, nasciturus erat ex semine Abrahae, cujus fidem circumcisio significabat, ut dicitur Rom. iv” (a. 7, ad 3).

Probatur 3. *EX RATIONE CONVENIENTIAE.*

Maxime convenit modo agendi divinae providentiae quae hominum moribus se accommodat, universali voluntati salvificae et legi absolutae necessitatis Baptismi, ut sicut materia remota hujus sacramenti est communissimum elementum aquae ita etiam materia proxima constitueretur in facillimo modo ea utendi seu in generica ratione ablutionis, quae est omni aetati et conditioni hominum accommodata.

Necessitas vero immersionis praeter alia inconvenientia induceret in non paucis casibus periculum salutis, ratione gravis infirmitatis, paucitatis aquae, multitudinis baptizandorum et temporis angustiae.

ART. 6. Utrum Forma Valida Baptismi Sint Verba Explicite Exprimenda Distinctum Mysterium Trinitatis, Actum Abluendi Et Subjectum Ablutionis (a. 5 et 6).

STATUS QUAESTIONIS

Cum sacramentum sit signum et causa gratiae oportet ut in materia et praecipue in forma Baptismi (per quam ipsa materia ad suam significationem determinatur) saltem effectus hujus sacramenti quodammodo exprimat (q. 72, a. 4 et q. 78, a. 2 citat, in tract. De sacr. in gen. art 31, p. 421). Attamen cum effectus sacramenti variis modis exprimi possit ac praeterea nihil obstet quominus in forma alia quoque

elementa indicentur (uti causa efficiens tum principalis tum instrumentalis), nequit a priori ex sola consideratione effectus forma Baptismi determinari, sed oportet maxime ad voluntatem Institutoris attendere quae nobis manifestatur in fontibus revelationis.

Quaeritur igitur an in forma valida Baptismi tria explicite exprimi debeant: 1. *distinctum mysterium Trinitatis* (i.e. unitas essentiae, distinctio trium personarum et proprium earumdem nomen); 2. *actus abluendi*; 3. *subjectum ablutionis*.

PARS NEGATIVA

1. *NON REQUIRITUR DISTINCTA INVOCATIO MYSTERII TRINITATIS.*

Plures antiquiores sectae haereticæ formam Baptismi corruperunt ut eam suis erroribus antitrinitariis accommodarent. Ita *quidam* quos memorat *Damasus I* (Denz. 82) baptizabant *in nominibus Angelorum*. *Alii* (Bonosiaci) quos damnat *Pelagius I* (Denz. 229. cit. in art. praec. Conci.) baptizabant *in solo nomine Christi* et cum unica immersione. *Alii* juxta principia modalistica baptizabant *in Trinitate intellecta secundum tria nomina et attributa unius Dei*; ita Gnostici sic dicti *Marcosiani*, qui hac formula utebantur: “In nomine ignoti Patris universorum, in veritate matre omnium, in eo qui in Jesum descendit, in unionem et redemptionem et communionem virtutum” (apud *Ircnaeum*, *Adv. Haer.* 1, 21, 3; cf. *Epiph.* *Haer.* 34, 20: *Theodoretum*, *Haer. fab.* 1, 9). *Alii* juxta placita ariana nominibus trium personarum adiciebant *praedicata subordinationem exprimentia*; ita *Eunomiani* dicebant: “In nomine Dei increati, et in nomine Filii creati, et in nomine Spiritus sanctificantis et a creato Filio procreati” (apud *Epiphanium*, *Haer.* 76).

De his aliisque haereticis frequenter mentio habetur apud Patres (cf. *Irenaeum*, *Epiphanium* et *Theodoretum* nuper citatos: *Eusebium*. *Hist. Eccl.* 7, 9; *Basilium*, *Epist. canon.* 1, can. 1; *Xyssenium*, *C. Eunomium*, 11) et in Ecclesiae documentis eorumdem rebaptismum praescribentibus (cf. *Damasum* et *Pelagium* supra cit.; *Gregorium I* infra cit.; *Cone. Laodicense*, can. 8; *Cone. Nicaen. I.* can. 9; *Cone. Const. I.* can. 7; *Cone. Arei. II.* can. 16).

Protestantes quamvis utantur formula trinitaria tamen neque hanc neque aliam formam putant necessariam, juxta ipsorum placita de justificatione et sacramentorum efficacitate quam repetunt ex sola fide subjecti.

Ad rem *Lutherus*: “Quomodocumque tradatur baptismus, modo non in nomine hominis sed in nomine Domini tradatur, vere salvum facit;

immo non dubitem, si quis in nomine Domini suscipiat, etiamsi impius minister non det in nomine Domini, vere baptizatum esse in nomine Domini” (De capt. babyl.). Idem docent *Zwinglius* (De vera et falsa religione) et *Socinus* (De bapt., c. 2) qui ait verba Matth. 28, 19 “baptizari in nomine P. et F. et Sp. S.” esse idem ac doceri et initiari in fide.

Quidam theologi, provocantes ad textus Scripturae in quibus Apostoli dicuntur baptizasse in nomine Christi et ad quaedam Patrum testimonia (praecipue Ambrosii et Nicolai I), docuerunt valere Baptismum *in nomine Christi* collatum. Ita *Hugo a S. Victore*, *Petrus Lombardus* (4 Sent., dist. 3, n. 5), *Cajetanus* (In a. 6, n. 9; cf. n. 1-10 ubi totam quaestionem fuse exponit), *Hadrianus VI* (ut doctor privatus), *Maldonatus*, *Toletus*.

Quae sententia *non est conjungenda* cum alia *Alberti M.*, *Alex. Halensis*, *Bonaventurae*, *S. Thomae*, *Scoti* et plurium theologorum posteriorum qui docent ex speciali Christi dispensatione Apostolos baptizasse etiam in nomine Christi, de qua dicetur infra in resp. ad objectionem post Conci. 1.

Quidam etiam, ut *Cajetanus* (In a. 6, n. 10) et *Maldonatus*, reputant non invalidam esse formulam “*In nomine Trinitatis*”.

2. *NON REQUIRITUR EXPRESSIO ACTIONIS BAPTIZANDI.*

Nam in Scriptura (Matth. 28, 19) sola formula trinitaria imponitur, nec ceterum ex Patribus necessitas actum baptizandi exprimendi colligi potest. Ita plures doctores saec. 12, ut *Praepositinus*, *Petrus Cantor* et *Stephaniis Tornacensis* (M.L. 211, 314 sq.), ad quos alludit *Albertus M.*, In 4 Sent., dist. 3, a. 2, contrariam sententiam ut veriore eligens.

Hanc sententiam reiecit eodem saeculo *Alexander III* († 1181) in *Epist. ad Pontium Episc. Claromontensem* decernens: “Si quis (sane) puerum ter in aqua immersit in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen; et non dixerit: ‘Ego baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen’, non est puer baptizatus” (Denz. 398).

Eidem tamen sententiae posterius faverunt oratorianus *J. Morinus*TM et augustinianus *Fr. Farvacques*,¹ sed *Alexander VIII* eam damnavit, reiciens inter alios errores Jansenistarum hanc propositionem: “Valuit aliquando baptismus sub hac forma collatus: In nomine Patris etc., praetermissis illis: Ego te baptizo” (Denz. 1317).

¹ Commentarius historicus de disciplina in administratione sacramenti poenitentiae, l. 8, c. 16, n. 21 sq.

² Mémoires pour servir à l’histoire littéraire des dix-sept provinces des Pays-Bas, Louvain, 1770, t. 18, p. 92.

PARS AFFIRMATIVA

Nota Theologica.

Validum esse Baptismum collatum in nomine P. et F. et Sp.S. est *de fide definita* in Cone. Trid. In forma valida Baptismi requiri *expressionem mysterii Trinitatis* saltem implicitam qualiter continetur in his formulis: in nomine Trinitatis, in nomine Christi, est *de fide* contenta in constanti declaratione Ecclesiae de invaliditate Baptismi collati absque invocatione Trinitatis. Requiri vero *distinctam expressionem* trium personarum (abstrahendo a speciali dispensatione tempore Apostolico) adeoque *non sufficere formulam "in nomine Christi"* habetur a quibusdam ut theologice certum; saltem non videtur nunc absque *aliqua nota temeritatis* negari posse. *Idem dicendum* videtur de necessitate *expressionis actus abluendi*.

Documenta Ecclesiae.

Notentur imprimis *minora documenta* in quibus necessitas formulae trinitariae (sive per commune verbum Trinitatis sive per explicita nomina trium personarum) exhibetur ac praxis haereticorum, aliam formam adhibentium, ut contraria valori sacramenti damnatur.

Ita documenta *Cone. Arelat. II* (Denz. 53), *Nicaeni I* (Denz. 55 sq. collati cum 97), *Damasi I* cum Cone. Romano (Denz. 82). *Innocenta I* (Denz. 97 infra cit.), *Pelagii I* (Denz. 229 infra cit.), *Gregorii M.* ad episcopos Hiberiae (Denz. 249), *Zachariae Papae* ad Bonifacium Arch. Moguntinum (Denz. 297), *Nicolai I* in resp. 1 ad consulta Bulgarorum (Denz. 334a. 335 infra cit.), *Alexandri III* ad Pontium Claromontensem (Denz. 398 supra cit.), *Innocenta III* ad Bertoldum Episc. Metensem (Denz. 413), *Benedicti XII* contra errores Armenorum (Denz. 542), *Alexandri VIII* contra errores Jansenistarum (Denz. 1317 supra cit.).

Solemniora documenta sunt:

Cone. Later. IV, cit. in art. 3 (Denz. 430), p. 39.

Cone. Viennense citand. in art. 10 (Denz. 482), p. 140.

Cone. Florentinum, Decr. pro Armenis: "Forma . . . est: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*. Non tamen negamus, quin et per illa verba: *Baptizatur talis servus Christi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, vel: *Baptizatur manibus meis talis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*, verum perficiatur baptisma: quoniam cum principalis causa, ex qua baptismus virtutem habet, sit Sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exterius sacramentum: si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur minister,

cum Sanctae Trinitatis invocatione, perficitur sacramentum” (Denz. 696).

Cone. Tridentinuni, sess. 7, can. 4 de Bapt.: “Si quis dixerit, baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum: A.S.” (Denz. 860).

Catechismus Cone. Trid., formulam solemniter definitam et in praxi adhibitam, sic apte exponit: “Pastores docebunt, hanc esse perfectam et absolutam baptismi formam: ‘Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.’ Ita enim a Domino et Salvatore nostro traditum est, quum Apostolis apud Matthaeum praecepit: ‘Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti.’

“Ex illo autem verbo ‘baptizantes’ catholica ecclesia divinitus edocta optime intellexit, in huius sacramenti forma actionem ministri exprimentam esse; quod quidem fit, quum dicitur: ‘ego te baptizo.’ Ac quoniam praeter ministros tum illius personam, qui baptizatur, tum principalem causam, quae baptismum efficit, significare oportebat, idcirco illud pronomen ‘te’ et distincta divinarum personarum nomina adduntur, ut absoluta sacramenti forma iis verbis concludatur, quae modo exposita sunt . . . Neque enim sola Filii persona, de quo a Ioanne scribitur: ‘Hic est, qui baptizat’ sed simul omnes sanctae Trinitatis personae ad baptismi sacramentum operantur. Quod autem ‘in nomine’, non ‘in nominibus’ dictum est, hoc plane declarat unam Trinitatis naturam et divinitatem. Etenim hoc loco nomen ad personas non refertur; sed divinum substantiam, virtutem et potestatem, quae una et eadem est in tribus personis, significat” (*I. 2, c. 2, q. 13*).

Inter haec documenta, ad *expressionem actus baptizandi* referuntur decisiones *Alexandri III, Innocenti III, Benedicti XII, Alexandri VIII, Cone. Florentini et Catechismi Cone. Tridentini.*

CONCLUSIO

Conclusio 1. In Forma Baptismi Requiritur Ad Validitatem Explicita Ac Distincta Expressio Mysterii Trinitatis Seu Trium Divinarum Personarum (a. 5 et 6).

Probaturi. *EX SCRIPTURA.*

S. Paulus (Eph. 5, 26: “Lavacro aquae in verbo vitae”) testatur in Baptismo adhibita fuisse quaedam verba quae essent causa aut saltem signum vitae spiritualis. In Matth. 28, 19 autem invenimus *Christum* iubentem Apostolos ut baptizent in nomine Patris et Filii et Spiritus S., de quorum verborum authenticitate dictum est in art. 1, resp. ad

obj. 1. Inde connaturaliter conicitur et probabiliter concluditur, nisi contrarium aliunde ostendatur, verba Christi esse ipsam formam Baptismi ad quam S. Paulus alludit.

Quae illatio 1. *confirmationem* accipit ex facto apparitionis S. Trinitatis *in baptismo Christi*, in quo nostrum sacramentum est institutum (vel saltem praefiguratum), et ex Act. 19, 2 sq. ubi inducuntur Apostoli interrogantes quosdam credentes an in *Spiritu S.* baptizati essent; 2. *certitudinem* obtinet ex constanti interpretatione Traditionis: 3. nullatenus infirmatur ab *objectione* deducta ex quibusdam textibus in quibus dicitur Baptismum collatum esse *in nomine Christi*, ut ostendetur infra in resp. ad objectionem.

Probatur 2. *EX TRADITIONE.*

1. *Constans et universalis doctrina traditionis* est in forma Baptismi requiri explicitant invocationem Trinitatis, ita ut sine ea sacramentum non habeatur, “lex tinguendi et forma praescripta” (Tertullianus, De bapt. 13) non servetur, homo baptizatus non reputetur nec quidquam consequatur.

DIDACUE, 7, 1-3 cit. in art. 3, p. 40.

JUSTINUS, *Apol. 1*, 61 cit. ibidem, p. 41.

TERTULLIANUS, *De bapt.*, 13 cit. in art. 5, Conci., p. 55.

Ibid., 6: “Angelus baptismi arbiter [i.e. sacerdos] superventuro Spiritui sancto vias dirigit ablutione delictorum, quam fides impetrat, obsignata in Patre, et Filio, et Spiritu sancto [Matth. 28, 19]” (M.L. 1, 1314).

Adv. Praxeam, 26: “Mandans ut tingerent in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, non in unum. Nam nec semel, sed ter, ad singula nomina in personas singulas tinguimur” (M.L. 2, 213).

CYRILLUS HIER., *Catech. 3*, 3 cit. in art. 3, Nota 2 post Conci., p. 42.

AMBROSIUS, *De mysteriis*, 4, 20 cit. ibidem, p. 44.

AUGUSTINUS veluti gradatim explicans dictum Apostoli *de verbo vitae* (Eph. 5, 26) ait: “Tolle verbum, non est baptismus” (*In Joan.*, *tract. 15*, 4, M.L. 35, 1512), “accedit verbum ad elementum et fit sacramentum” (*ibid.*, *tract. 80*, 3, M.L. 35, 1840).

De bapt. 6, 25, 47: “Quis nesciat non esse Baptismum Christi, si verba evangelica quibus Symbolum constat illic defuerint? Sed facilius inveniuntur haeretici qui omnino non baptizant, quam qui non illis verbis baptizant. Ideoque dicimus non omnem baptismum sed Baptismum Christi, id est, verbis evangelicis consecratum, ubique eundem esse” (M.L. 43, 214).

Contra Maximinum, 2, 17, 1: “Non nominatis Patre et Spiritu sancto, in nomine Jesu Christi jussi sunt baptizari [Act. 2, 38]; et tamen intelliguntur non baptizati nisi in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti” (M.L. 42, 783).

ISIDORUS HISP., *De offic. eccl.*, 2, 25, 4: “Si, ommissa qualibet Trinitatis persona, baptisma detur, manifeste in regenerationis solemnitate nihil agitur, nisi tota Trinitas invocetur” (M.L. 83, 821).

Confer alia testimonia infra in resp. ad objectionem.

2. *Constans et universalis praxis Ecclesiae* exhibet formam Baptismi cum explicita invocatione Trinitatis. Id apparet ex libris liturgicis omnium aetatum. Accedit *consensus Schismaticorum et Protestantium* quoad eandem praxim constanter servandam.

Jam *DIDACHE*, 7, 1-3 cit. in art. 3 practicam regulam baptizandi tradit.

CONSTITUTIONES APOSTOLORUM (circa a. 400), 7, 22, 1: "Ita baptizabis, sicut Dominus iniunxit nobis dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti" (ed. Funk, 1, 407).

CANONES APOSTOLORUM (circa a. 400), 49: "Si quis episcopus aut presbyter secundum Domini constitutionem non baptizaverit in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum . . . deponatur"; 50: "Si quis episcopus vel presbyter non tres mersiones unius initiationis fecerit, sed unam mersionem quae in mortem Domini detur, deponatur. Non enim dixit Dominus: In mortem meam baptizate, sed: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti" (ed. Funk, 1, 579 sq.).

CANONES HIPPOLYTI (circa finem saec. 5), 122: Sacerdos ter immergendo "singulis vicibus . . . dicit: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti" (ed. Achelis, 97).

3. *Regula juxta quam Ecclesia judicavit de valore vel secus Baptismi collati apud sectas haereticas* fuit recta, vel secus, applicatio formulae trinitariae. Cf. *Cone. Aeri. II*, *Cone. Nicaen. I* et *Innocentium I* (Denz. 53. 55 sq. 97, cit. in tract. De sacr. in gen., p. 479 sq.) ; item cf. Denz. 249. 296a. 296b. 297.

4. Numquam dicitur in Traditione Baptismum collatum fuisse aut conferri posse *in alia forma, nequidem in forma "In nomine Christi"*. Imo invaliditas Baptismi in hac forma declararunt plures Patres, ut modo dicetur in resp. ad objectionem.

Probatur 3. *EX RATIONE CONVENIENTIAE.*

1. Conveniens est "ut in forma baptismi exprimatur causa baptismi. Est autem ejus duplex causa: una quidem principalis, a qua virtutem habet, quae est sancta Trinitas; alia autem instrumentalis, scilicet minister, qui tradit exterius sacramentum. Et ideo oportet in forma baptismi de utraque fieri mentionem. Minister autem tangitur, cum dicitur: *Ego te baptizo*; causa autem principalis, cum dicitur: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Unde haec est conveniens forma baptismi: *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*" (a. 5).

Nec valet obicere quod inde sequeretur etiam passionem Christi in forma Baptismi commemorari debere. Nam "passio Christi, etsi sit principalis causa respectu ministri, est tamen causa instrumentalis respectu SS. Trinitatis; et ideo potius commemoratur Trinitas quam passio Christi" (a. 5, ad 5).

2. Cum Baptismus sit janua et initium totius religionis Christianae, convenientissimum fuit ut ejus essentia consecraretur per explicitam et distinctam invocationem praecipui ac fundamentalis objecti fidei quod est Trinitatis mysterium.

Ex quo sequitur quod “quidquid desit ad plenam invocationem Trinitatis, tollit integritatem baptismi. *Nec obstat* quod in nomine unius personae intelligitur alia (sicut in nomine Patris intelligitur Filius), aut quod ille qui nominat unam solam personam, potest habere rectam fidem de tribus; quia sicut ad sacramentum requiritur materia sensibilis, ita et forma sensibilis; unde non sufficit intellectus, vel fides Trinitatis ad perfectionem sacramenti, nisi sensibilibus verbis Trinitas exprimat” (a. 6).

OBJECTIO.

Pluries in *Actibus Ap.* legimus Baptismum collatum fuisse *IN NOMINE CHRISTI* (“in nomine Jesu Christi”, “in nomine Domini Jesu”, “in nomine Domini Jesu Christi”; cf. Act. 2, 38; 8, 12. 16; 10, 48; 19, 5). Idem videtur contineri in doctrina S. *Pauli* nos baptizari *in Christo*: *Rom. 6, 3*: “Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu. in morte ipsius baptizati sumus”, *Gal. 3, 27*: “Quicumque . . . in Christo baptizati estis, Christum induistis”; ceterum in *1 Cor. 6, 11* Apostolus explicite ait: “Abluti estis . . . in nomine Domini nostri Jesu Christi et in Spiritu Dei nostri”.

Similiter *plures Patres* declarant validitatem Baptismi in nomine Jesu collati:

Basilius, De Spiritu S., 12, 28: “Neminem vero in fraudem inducat illud apostoli, quod Patris et Spiritus Sancti nomen in baptismatis commemoratione frequenter omittit, neque ideo putet indifferentem esse nominum invocationem. *Quicumque*, inquit, *in Christum baptizati estis, Christum induistis*, et rursus: *Quicumque in Christo baptizati estis, in mortem illius baptizati estis*. Nam Christi appellatio totius est professio, declarat siquidem et Deum qui unxit, et Filium qui unctus est, et Spiritum qui est unctio . . . Sicut enim credimus in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, sic et baptizamur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti” (M.G. 32, 116).

Ambrosius, De Spiritu S., 1, 3, 42-44: “Baptizati sunt itaque in nomine Jesu Christi [Act. 8, 27; 19, 2 sq.]: nec iteratum est in his baptisma, sed novatum; unum enim baptisma (Ephes, iv, 5). Ubi autem non est plenum baptismatis sacramentum, nec principium, vel species aliqua baptismatis aestimatur. Plenum autem est, si Patrem et Filium Spiritumque sanctum fatearis. Si unum neges, totum subrues. Et quemadmodum si unum in sermone comprehendas, aut Patrem, aut

Filium, aut Spiritum sanctum: fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum sanctum abneges, plenum est fidei sacramentum: ita etiam quamvis et Patrem, et Filium, et Spiritum dicas, et aut Patris, aut Filii, aut Spiritus sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium . . .

“Nunc consideremus utrum quemadmodum in Christi nomine plenum esse legimus baptismatis sacramentum; ita etiam sancto tantum Spiritu nuncupato, nihil desit ad mysterii plenitudinem. Rationem sequamur; quia qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas, et Deum Patrem a quo unctus est Filius, et ipsum qui unctus est, Filium, et Spiritum sanctum quo unctus est, designasti . . . Et si Patrem dicas, et Filium ejus et Spiritum oris ejus pariter indicasti; si tamen id etiam corde comprehendas. Et si Spiritum dicas, et Deum Patrem, a quo procedit Spiritus; et Filium; quia quoque est Spiritus, nuncupasti” (M.L. 16, 742 sq.).

Nicolaus I, in *resp. ad consulta Bulgarorum*, c. 104, ait: “A quodam Iudaeo, nescitis, utrum Christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, et quid de his sit agendum consulitis. Hi profecto, si in nomine Sanctae Trinitatis vel tantum in nomine Christi, sicut in Actibus apostolorum legimus [cf. Act. 2, 38 et 19, 5], baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut Sanctus exponit Ambrosius), constat eos non esse denuo baptizandos” (Denz. 335).

Innocentius I, in *epist. ad Victricium Episc. Rotomagensem*, a. 404. jubet: “Ut venientes a Novatianis vel Montensibus per manus tantum impositionem suscipiantur, quia quamvis ab haereticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati” (Denz. 94).

RESPONDETUR. *De sensu formulae “Baptismus in nomine Christi” quinque sententiae prolatae sunt, quas juverit breviter exponere, ut tres priores reiciamus, ultimas vero ut probabiles amplectamur:*

1. **QUIDAM CRITICI PROTESTANTES** docent ex his et similibus textibus manifestum fieri Christum nullam instituisse formam in Baptismo adhibendam, varias vero expressiones “baptizari in nomine Trinitatis, in nomine Christi, in Christo, in morte Christi, in Spiritu S., in remissionem peccatorum” non esse liturgicas sed narrativas, seu non referri ad formam Baptismi sed ad ejus causam efficientem vel effectum.

Attamen: a. S. Paulus in Eph. 5, 26 manifesto ad aliquam formam liturgicam se refert cum ait: “Lavacro aquae in verbo vitae”; b. tota Traditio ut formam liturgicam verba trinitaria accepit; c. nunquam vero ceteras expressiones ut formas liturgicas in praxi adhibuit.

2. **QUIDAM THEOLOGI MODERNI** docent Ecclesiam posse

mutare formam Baptismi ita ut pro diversis temporibus tum expressio “in nomine Christi” tum expressio “in nomine P. et F. et Sp. S.” sint valida forma Baptismi; nunc autem unicam formam validam esse distinctam expressionem Trinitatis.

Attamen: a. ut dictum est in superiori tractatu (art. 30), Ecclesiae non competit potestas in materias et formas sacramentorum; b. communissime ipsi theologi, qui talem potestatem quoad quaedam sacramenta Ecclesiae tribuunt, excipiunt tamen saltem Baptismum et Eucharistiam.

3. *PLURES THEOLOGI PRAECIPUE MEDIAEVALES*, de quibus diximus in Parte Neg., docent etiam nunc valere Baptismum in nomine Christi collatum, ac ita propositam difficultatem de medio tollunt.¹⁸

Attamen: a. inconueniens videtur Christum in perpetuum instituisse duas formas validas eiusdem sacramenti; forma autem trinitaria et forma “in nomine Christi” non sunt aequivalentes, ut explicatum est cum S. Thoma in Prob. 3.; b. communiter theologi inde a medio aevo hanc sententiam reiecerunt, propter quod etiam verba *Cajetani* eam exprimentia a Pio V iussa sunt expungi ab editione romana operum Commentatoris; c. contra hanc sententiam valent dicta supra in Prob. 2 de doctrina et praxi Ecclesiae; d. valorem Baptismi in solo Christi nomine collati expresse reiciunt sequentes auctoritates:

Vigilius P. in *Epist.* 2, 6 (circa a. 550).

Pelagius I, Epist. ad Gaudentium Episc. Volterranum (a. 560). Confer ejus verba citata in art. praec. (p. 55), post quae sic Papa prosequitur: “Si revera hi de haereticis, qui in locis dilectioni tuae vicinis commorari dicuntur, solummodo se in nomine Domini baptizatos fuisse forsitan confitentur, sine cuiusquam dubitationis ambiguo eos ad catholicam fidem venientes Sanctae Trinitatis nomine baptizabis. Sin vero . . . manifesta confessione claruerit, quod in nomine Trinitatis fuerint baptizati, sola reconciliationis gratia impensa catholicae fidei sociare maturabis, ut . . . nihil aliter, quam quod evangelica iubet auctoritas, . . . videatur effectum” (Denz. 229).

Cyprianus, Ep. 73 ad Jubaianum, n. 17–18: “Jesu Christi mentionem facit Petrus [Act. 2, 38], non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur. Denique ubi post resurrectionem a Domino apostoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizare gentiles jubentur. Quomodo ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam imo et contra Ecclesiam, modo in nomine Jesu Christi, ubicumque et quomodocumque gentilem baptizatum re-

* Ci. *Billuarl*, De baptismo, a. 4, §3.

missionem peccatorum consequi posse, quando ipse Christus gentes Baptizari jubeat in plena et adunata Trinitate?" (M.L. 3, 1165 sq.).

Athanasius, Ep. 1 ad Serap., 30: "Qui aliquid de Trinitate detrahit, et in solo Patris vel Filii nomine baptizatur, aut sine Spiritu, in Patre et Filio, nihil accipit . . . siquidem initiatio non nisi in Trinitate sita est" (M.G. 26. 598).

Didymus, De Spiritu S., 24: "Non arbitror quemquam tam vecordem atque insanum futurum, ut perfectum baptisma putet id quod datur in nomine Patris et Filii, sine assumptione Spiritus Sancti; aut rursus in nomine Patris et Spiritus Sancti, Filii vocabulo praetermisso; aut certe in nomine Filii et Spiritus Sancti, non praeposito vocabulo Patris" (juxta interpretationem Hieronymi, M.G. 39, 1054).

Augustinus, Contra Maximinum, 2, 17, 1 supra cit. in Prob. 2, p. 65.

Ad auctoritates vero quae opponuntur in textu objectionis respondetur:

Verba *Basilii* attento contextu (cf. etiam ibid. 10, 25) et ipso sensu textus Ambrosii qui doctrinam Basilii sequitur in suo opere eiusdem tituli, convenienter ita explicantur ut non tantum necessitas fidei Trinitatis sed etiam hujus mysterii expressionis in ipsa formula Baptismi in eis praedicetur.

Textus *Ambrosii*, ad quem praecipue provocant adversarii, intelligi potest de fide Trinitatis, qua informatur Baptismus, ex qua etiam pendet fructus sacramenti in subjecto et ex cujus defectu oriri posset dubium de ipsa intentione ministri. Id patet ex verbis "fatearis — si unum neges totum subrues — minuas potestatem". Nequit autem dici S. Doctorem loqui de ipsa expressione nominum Trinitatis, secus sequeretur ipsum docere etiam validitatem Baptismi collati in nomine Spiritus S. cum ait: "Etiam sancto tantum Spiritu nuncupato, nihil deest ad mysterii plenitudinem". Ceterum constat S. Doctorem alibi docere necessitatem distinctae invocationis Trinitatis (cf. *De Myst.*, 4, 20 cit. in art. 3, p. 44).

Documentum *Nicolai I* varie a theologis explicatur.¹⁰ Imprimis notetur tum quaestionem S. Pontifici propositam, tum ejus directam et aptam quidem responsionem, respicere non formam Baptismi sed qualitatem ministri. Quoad verba autem "in nomine S. Trinitatis vel tantum in nomine Christi (unum quippe idemque est, ut Sanctus exponit Ambrosius)", *quidam* dicunt ea referri ad formam Baptismi ac continere *privatam et erroneam interpretationem* sive mentis Ambrosii sive doctrinae de qualitate formae validae; *alii* congruentius dicunt etiam ea verba referri ad qualitatem ministri seu ad ejus fidem, quatenus defectus fidei, quamvis de se non obstet sacramenti validitati,

¹⁰ Cf. *Suares*, Disp. 21, sect. 3, n. 13.

posset tamen redundare in defectum ipsius intentionis requisitae ad valorem sacramenti, ut si quis non velit nomine Dei (Trinitatis vel Christi), sed alia intentione ac veluti nomine proprio, sacramentum conferre.

Verba *Innocenta I* “in Christi nomine [Novatiani] baptizant” non referri ad formam patet ex ejus epistola ad episcopos Macedoniae in qua, referens formam qua iidem haeretici utebantur, ait: “Novatiani iisdem nominibus [P. et F. et Sp. S.] . . . baptizant” (Denz. 97).

4. *COMMUNITER THEOLOGI USQUE AD SAEC. 16* docuerunt Apostolos in forma “in nomine Christi” ipsum sacramentum Baptismi administrasse, saltem quandoque et praecipue inter Judaeos; hoc autem factum esse ex speciali et temporanea dispensatione divina, ob hanc peculiarem rationem lata “ut nomen Christi, quod erat odiosum Judaeis et gentilibus, honorabile redderetur per hoc quod ad ejus invocationem Spiritus sanctus dabatur in baptismo” (û. 6, ad 7).

Ita inter alios *Guilelmus Altissiodorensis, Alex. Halensis, Albertus M., S. Thomas, Bonaventura, Scotus, Durandus, Valentia, Toletus, Card. Orsi,*²⁰ *Gonet.*

Hanc sententiam solide *probabilem* faciunt tum auctoritas S. Thomae et tot theologorum (ipse *Catechismus Cone. Trid.*, p. 2, c. 2. q. 15 sq., eam una cum sequenti sententia ut convenientem proponit), tum supra dicti textus Scripturae in quibus expressio “in nomine Christi” constanter invenitur, dum nunquam fit explicita mentio formulae trinitariae.

5. *POST SAEC. 16 COMMUNITER THEOLOGI* docent etiam Apostolos semper baptizasse in formula trinitaria, quae ideo constanter fuit in Ecclesia unica forma valida Baptismi. Ita inter alios *Cano, Suarez, Vasquez, Estius, Sylvius, Drouin, Tournely, Berti.*

Hanc sententiam *probabilem et convenientem* reddunt sequentes rationes:

a. Non videtur conveniens Christum immediate post mandatum baptizandi in formula Trinitatis (Matth. 28, 19) Apostolos ab ejus usu dispensasse; nec tale inconveniens aliunde compensatur per rationem commendationis nominis Christi, cum magis dignitas Christi commendari videatur per hoc quod sub nomine Filii associetur Patri et Spiritui S. in ipsa formula trinitaria.

b. Verba “in nomine Christi” non necessario indicant formam Baptismi sicut nec verba “in Spiritu sancto” (cf. Act. 19, 3). Possunt ergo significare *vel fidem subjecti*, ita ut baptizari in nomine Christi sit idem

²⁰Qui fuse hanc sententiam defendit in opere De baptismo in solius Jesu nomine nunquam consecrato, Mediolani, 1733.

ac Baptismum suscipere cum fide in Christum, seu invocato nomine Christi, ut innuitur in Act. 22, 16 “Exurge et baptizare, et ablue peccata tua, invocato nomine ipsius”; *vel causam principalem* sive institutionis sive applicationis, ita ut baptizari in nomine Christi sit idem ac suscipere Baptismum qui a Christo est institutus, ab ipso virtutem habet et ejus religionis fideique signum est, eo fere modo quo dicitur in Mare. 16, 17: “In nomine meo daemonia ejicient, linguis loquentur novis”.

Quae interpretatio *confirmatur* tum ex ipsis textibus Apostoli (Rom. 6, 3; Gal. 3, 27) supra objectis tum ex frequenti modo loquendi Patrum qui, dum docent necessitatem formulae trinitariae, simul dicunt nos baptizari in nomine Domini (cf. Cyprianum, Basilium, Ambrosium, Augustinum supra citatos; Didache, 7, 1 sq.; 9, 5; Justinum, Apol. 1, 11; Dial. 39; Cyprianum, Ep. 69,1; 73,5; 74,5; Innocentium I, Denz. 94. 97).²¹

c. Etiam si verba “in nomine Christi” referri dicantur ad formulam baptismalem, non necessario accipi debent ut ipsa forma quae adhibebatur sed possunt accipi *pro abbreviata citatione illius*, in qua nempe habetur mentio solius Christi quippe quae practice magis intersit et in qua ex subjecta materia involvatur designatio aliarum personarum divinarum, quemadmodum cum dicimus nos baptizari in nomine Trinitatis *designatur* quidem forma Baptismi sed *non exponitur*. In quo sensu etiam interpretari possunt verba praedictorum Patrum (cf. *Catechismus Cone. Trid.*, 1. c.).

Conclusio 2. In Forma Baptismi Requiritur Ad Validitatem Expressio Actus Baptizandi (a. 5, ad 2).

Probatur 1. *EX SENSU ECCLESIAE.*

Expressio actus ablutionis constanter invenitur *in Ritualibus utriusque Ecclesiae*,²² quod non facile explicaretur nisi fuisset communis persuasio eam esse de necessitate sacramenti. *Praeterea Cone. Florentinum* supra cit. exinde repetit validitatem formae graecae ejusque concordandam cum forma latina quod in ea exprimatur tum invocatio Trinitatis tum actus baptizandi. *Amplius, Alexander III et Alexander VIII* in documentis supra citatis explicite declarant non valere Baptismum collatum absque expressione actus baptizandi.

Probatur 2. *EX RATIONE.*

Expressionem actus baptizandi requirit tum *analogia* aliorum sacramentorum quae in actione consistunt (i.e. omnium, excepta Eucharis-

²¹ Cf. *F. Gillmann*, Taufe “im Namen Jesu” oder “im Namen Christi?”, Mainz, 1913.

²² Cf. *De Puniet*, in *Diet. d'Archéologie chrétienne et de Liturgie*, t. 2, col. 251 sqq.

tia) turn *ratio sacramenti in genere*. Nam “quia ablutio hominis in aqua propter multa fieri potest, oportet quod determinetur in verbis formae, ad quid fiat; quod quidem non fit per hoc quod dicitur: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, quia omnia in tali nomine facere debemus, ut habetur Coloss. iii. Et ideo si non exprimaturs actus baptismi vel per modum nostrum, vel per modum Graecorum, non perficitur sacramentum” (a. 5, ad 2).

Nec valet obicere ex ipso exercitio actus significationem abluitionis colligi. Nam “alii actus habent efficaciam ex ipso suo exercitio tantum, sed actus baptizandi habet efficaciam ex forma verborum” (In 4 Sent., dist. 3, q. 1, a. 2, q. 1, ad 1).

Nota. De jormali vel aequivalenti pronuntiatione jormae baptismalis per ministrum.

Antiqua documenta ante saec. 6 non referunt ipsam formulam “Ego te baptizo etc.” sed solam expressionem Trinitatis, imo, cum ritum baptismalem describunt, expressionem Trinitatis exhibent non sub forma invocationis ministri sed sub forma interrogationis sacerdotis et responsionis neophyti profitentis fidem suam. Ita *Anonymus de Sacramentis*, 2, 7, 20, sic ritum describit: “Interrogatus es: Credis in Deum Patrem, omnipotentem? Dixisti: Credo, et mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es: Credis in Dominum nostrum Jesum Christum, et in crucem ejus? Dixisti: Credo, et mersisti; ideo et Christo es consepultus: qui enim Christo consepelitur, cum Christo resurgit. Tertio interrogatus es: Credis et in Spiritum sanctum? Dixisti: Credo, tertio mersisti . . . ut multiplicem lapsum superioris aetatis absolveret trina confessio” (M.L. 16, 448).

Hinc quidam rei liturgicae cultores, ut *J. du Frische* O.S.B. († 1693), *N. Le Nourry* O.S.B. († 1724), *P. de Puniet* O.S.B. (cf. *Diction. d'Archéologie chrétienne et de Liturgie*, t. 2, col. 339 sqq.), opinati sunt prioribus saeculis nullam extitisse determinatam formulam Baptismi quae a ministro esset formaliter pronuntianda, sed formulam trinitariam veluti *aequivalenter expressam* fuisse in ipsis interrogationibus ministri.

Attamen haec sententia non videtur facile componi posse tum cum ipso universali usu formae determinatae a ministro pronuntiandae qui invenitur in Ecclesia inde saltem a saec. 6, tum cum documentis Ecclesiae supra relatis, tum cum ipsis textibus Patrum priorum saeculorum qui frequentissime docent ad essentiam Baptismi requiri *invocationem Trinitatis*. Ipse *Anonymus De Sacramentis* ibidem statim subjungit: “In uno autem nomine baptizari nos jussit, hoc est, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti” (M.L. 16, 448).

Quod autem formula baptismalis “Ego te baptizo in nomine etc.” in

scriptis ecclesiasticis illius temporis non referatur, sicut fit nunc, variis causis attribui potest, v.g. fini magis paraeneticum quam liturgico aut scientificum illorum operum, disciplinae arcani et ipsi communissimae cognitioni ipsius formulae apud fideles.

Propterea posteriori etiam tempore usque ad saec. 12 rara inveniuntur documenta formulam baptismalem referentia. Ipse *Petrus Lombardus* Baptismi formam non refert. Ceterum *Gregorius M.*, qui primus in suo Sacramentario mentionem facit integrae formae latinae, hanc tradit non ut quid novi sed ut formulam in usu Ecclesiae ex priori traditione descendentem. Integra forma invenitur etiam in supracitatis *Canonibus Hippolyti* qui compositi sunt saec. 5 imo juxta aliquos criticos saec. 3.²³

Conclusio 3. In Forma Baptismi Requiritur Ad Validitatem Explicita Designatio Subjecti Non Vero Ministri (a. 5, ad 4).

Probatur.

1 PARS. DESIGNATIO SUBJECTI REQUIRITUR. Nam:

1. Constanter invenitur in formulis utriusque Ecclesiae.
2. In Litt. *S.C. de Prop. Fide* (Collect., n. 526) legitur: “De baptismo, ex omissione pronominis te in ejus collatione, quod ex Coreanorum ignorantia saepe contigisse refert, invalidum fuisse sacramentum perspicua res est”.
3. Omnes theologi designationem subjecti ad valorem requirunt.
4. Absque subjecti designatione significatio formae non videtur completa; perfecta enim forma significare debet quidquid per sacramentum efficitur; per Baptismum autem confertur ablutio spiritualis huic subjecto et quidem distincto a ministro; unde in forma Baptismi designari debet subjectum ut a ministro distinctum. Accedit quod Baptismus est sacramentum generationis spiritualis, unde requiritur in ejus forma expressio distinctionis inter subjectum et ministrum sicut inter generatum et generantem.

Nec valet opponere quod ipsa ablutio importat designationem subjecti; *nani* ablutio est materia sacramenti, oportet autem praedictam designationem etiam in forma inveniri, cum in hac praecipue resideat sacramentalis significatio.

Nec valet instare explicitam designationem ministri non requiri, adeoque nec subjecti; *nam* alia est ratio ministri ut mox dicetur, et ceterum designatio ministri in ipsa forma necessario implicite invenitur.

Cf. *Tixeront*, Patroloffie, sect. 4, n. 8.

2 PARS. EXPLICITA DESIGNATIO MINISTRI NON RE-
QUIRITUR. Nam:

1. In antiqua et constanti formula graeca numquam invenitur.
2. Omnes theologi docent designationem explicitam ministri non requiri.
3. Ad completam sacramentalem significationem formae requiritur quidem mentio causae, ut docet S. *Thomas* in corp. a. 5, attamen non necessario requiritur mentio explicita utriusque causae principalis et instrumentalis, sed sufficit perfecta et explicita mentio causae principalis cum imperfecta seu implicita mentione causae instrumentalis, quae habetur ex ipsa circumstantia hominis exprimentis simul et exequentis actum ablutionis.

NOTA 1. DE FORMULIS LATINA ET GRAECA EARUMQUE
ESSENTIALI IDENTITATE.^{2*}

FORMULA LATINA est: Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Haec fuit usus communis et antiqui in Ecclesia Romana, Ambrosiana, Gallicana et Hispanica. Prima ejus mentio habetur saec. 6 in *Sacramentario Gregorii M.* Apud Graecos, etsi unus vel alter doctor videatur dubitare de validitate hujus formae, generatim tamen sola ejus convenientia et legitimitas negatur; verba nempe “Ego te baptizo” dicuntur sonare contradictionem et superbiam Latinorum, quatenus significare videntur virtutem sacramenti pendere a virtute ministri (quod est contra ipsam doctrinam romanam de independentia efficacitatis sacramentorum a ministri dispositionibus) nec satis exprimunt catechumenum cum plena libertate nullaque vi coactionis sacramentum suscipere.

FORMULA GRAECA est: Baptizatur (βαπτίζεται) servus Dei N. in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Hujus formae prima mentio habetur saec. 6 apud *Theodorum Lectorem* qui in sua *Historia Ecclesiastica*, 2,25 refert quemdam Barbam a quodam ariano, formam trinitariam adulterante, baptizatum esse his verbis: “Baptizatur Barbas in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto” (M.G. 86, 196). Altera mentio habetur circa initium saec. 7 apud *Joannem Moschum*, qui in *Λαχών* (Pratum spirituale), 176 refert quemdam Judaeum in arena baptizatum esse his verbis: “Baptizatur Theodorus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti” (cf. M.G. 87, 3046).

*Cf. *Jugie*, *Thcol. Orientalium*, t. 3, c. 2 de Baptismo, a. 3; *Merlin*, *Traité historique et dogmatique sur les paroles ou les formes des sept sacrements de l'Église*, chap. 1. 6. 16.

Notetur formam graecam esse *declarativam* (baptizatur: βαπτ&ται) non vero deprecativam aut imperativam (baptizetur: βαπνηζίσθó) ut putarunt quidam theologi (S. Thomas, a. 5, ad 1 et In 4 Sent., dist. 3, q. 1, a. 2, q. 2, ad 1, Toletus, Billuart, S. Alphonsus; Cone. Flor, in Decr. pro Armenis).

Praedictae formae post nomen Spiritus S. communiter additur: “Nunc et semper et in saecula saeculorum. Arnen”. Quaedam euehologia addunt vocem Arnen ante haec verba post nomen Spiritus S. Alia addunt Amen post unumquodque nomen Trinitatis ita ut completa formula sonet: “Baptizatur servus Dei N. in nomine Patris, Arnen, et Filii, Amen, et Spiritus Sancti, Amen, nunc et semper et in saecula saeculorum, Arnen.”

Apud Latinos quidam theologi antiquiores dubitarunt de valore formulae graecae, ut refert S. *Thomas* 1. c. De ipso S. Pontifice *Alexandro III* refert *Albertus M.*, In 4 Sent., dist. 3, q. 2, ad 8: “Papa in hoc dubius fuit: quia de illis qui sunt in Dalmatia primo respondit, quod rebaptizarentur, et postea permisit, et ut caveretur in posterum praecepit: quosdam autem fratres in ordine nostro existentes, tres ad minus in urbe Roma rebaptizari praecepit”. *Cone. Florentinum* in Decr. pro Armenis supra citato validitatem et convenientiam formulae graecae explicite docet et explicat.

Quoad aptitudinem autem utriusque formulae dicendum est *latinam* potius praecellere eo quod explicite referat personam ministri ejusque influxum (qui verus est quamvis instrumentalis) ac conformior sit verbis Christi “Euntes . . . docentes . . . *baptizantes eos*”; formula tamen *graeca* magis commentât pure instrumentalem rationem ministri ac independentiam efficacitatis sacramenti ab ejus dignitate necnon principalitatem influxus S. Trinitatis in efficacitatem Baptismi.

NOTA 2. DE SINGULIS VERBIS FORMAE BAPTISMATIS DE EORUMQUE RESPECTU AD VALIDITATEM SACRAMENTI.

Ex tribus statutis conclusionibus sequitur quod dummodo explicite exprimatur actus abluendi, subjectum a ministro distinctum et mysterium Trinitatis secundum propria nomina trium personarum divinarum, *valida* est forma Baptismi in quacumque lingua vel forma grammaticali aut cum quibuscumque additamentis exprimatur. Formulae vero *licitae* sunt supradictae, respective pro utraque Ecclesia a canonicis prescriptae.

Praestat autem singula verba formae latinae exponere ut breviter dicatur quid validum, invalidum aut dubium a theologis judicetur.

Ego. Non est essentialis in lingua latina (in lingua vero germanica, anglica et gallica correspondens vox est essentialis) quia ejus significatio includitur in voce “Baptizo”, sed “ponitur ad majorem expressionem intentionis” (a. 5, ad 1).

Tc. Est essentialis quatenus designat subjectum, adeoque potest suppleri per vocem aequivalentem, ut “vos” (in sensu singulari), “hunc”, “servum Christi”, “Dominationem Vestram”, nomen proprium.

Baptizo. Est essentialis quatenus designat actum abluendi, unde potest suppleri verbo aequivalenti, uti abluo, tingo, lavo, *christianizo* (ubi tamen hoc verbum ex usu sensum ablutionis acceperit; quod certum est de expressione “*Ja tc krstim*” quae habetur in Rituali slavico et valde probabile est de expressione anglica “*I christen thee*”)] item poni potest tum in forma activa, tum passiva et quidem sive declarativa sive deprecativa sive imperativa (baptizo, baptizatur, baptizetur, baptizato), ut enim dictum est designatio explicita ministri non est necessaria.

In nomine. Est essentialis quatenus designat auctoritatem et essentialem unitatem divinarum personarum. Unde *valida* est forma si dicatur “cum nomine” dummodo mala intentio non habeatur, vel si dicatur “in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus S.”; *dubia* vero si omittatur “in”, vel dicatur “in virtute (aut auctoritate, majestate etc.)”, “invocato Patre etc.”; *invalida* tandem si dicatur “in nominibus” quia unitas essentialis non exprimeretur.

Patris et Filii et Spiritus S. Si omittatur particula “et” ante Filium *valet* Baptismus, cum distinctio Patris et Filii ipsis nominibus exhibeatur; si vero ante Spiritum Sanctum, *dubius* est Baptismus. *Invalidae* sunt formae: “In Patre et F. et Sp. S., Cum Patre et F. et Sp. S., In nomine Patris per Filium in Spiritu S., In nomine Dei uni et trini, In nomine Trinitatis, In nomine Dei, In nomine Christi”, nam in his mysterium Trinitatis vel pervertitur vel non sufficienter exprimitur. *Dubiae* sunt formulae: “In nomine Patris et Christi et Spiritus S., In nomine Genitoris et Geniti et Spirati” (et a fortiori: “In nomine Ingeniti et Verbi et Amoris, In nomine Principii, Imaginis et Doni. In nomine Omnipotentis, Sapientis et Boni”), nam “sicut aqua sumitur ad baptismum, quia ejus usus est communior ad abluendum, ita ad significandum tres personas in forma baptismi assumuntur illa nomina, quibus communius consueverunt nominari personae in illa lingua; nec in aliis nominibus perficitur sacramentum” (a. 5, ad 7).

CAPUT III

DE EFFECTU ET PROPRIETATIBUS BAPTISMI

Quaestio *de eQectu* hujus sacramenti refertur tum ad ejus *CAUSAM FINALEM*, quod enim est finis in intentione est effectus in executione, tum ad ejus *ESSENTIAM METAPHYSICAM*, *ex re* enim significata et causata sacramentum in genere metaphysice definitur: Signum gratiae collatae, Baptismus vero: *Sacramentum regenerationis* (art. 7).

Cum quaestione autem de effectu intime connectitur quaestio de duabus *PROPRIETATIBUS* Baptismi, i.e. *unitate seu initerabilitate* (art. 8) et *necessitate* (art. 9), quae ex essentia metaphysica procedunt.

S. *THOMAS* agit de effectu Baptismi in q. 69, de ejus unitate et initerabilitate in q. 66, a. 9, de ejus necessitate in q. 67, a. 1 et 2.

ART. 7. Utrum Effectus Baptismi Sit Character Christiani Et Gratia Regenerativa Seu Incorporatio Ad Christum Et Ecclesiam (q. 69, a. 1-7).

STATUS QUAESTIONIS

Vidimus in superiori tractatu effectum sacramenti in genere esse duplicem: rem et sacramentum (characterem in tribus sacramentis) et rem tantum seu gratiam, quae dividitur in communem (primam vel secundam juxta varia sacramenta) et sacramentalem. SuffICIENTER ibidem dictum est tum de primo effectu Baptismi seu caractere, tum de altero effectu sub ratione gratiae communis ejusque collatione et reviviscencia. Manet igitur ut praecipue explicetur indoles et extensio propriae *gratiae sacramentalis* ex qua hoc sacramentum intimam suam essentiam accipit.

PARS NEGATIVA

Omissis illis *haereticis* qui generatim convenientiam et utilitatem omnium sacramentorum reiciunt, utilitatem et efficacitatem Baptismi peculiariter negarunt *Manichaei*, qui, ut ait *Augustinus*, “Baptismus in aqua nihil cuiquam perhibent salutis afferre: nec quemquam eorum quos decipiunt, baptizandum putant” (De Haeres. 46, M.L. 42, 38).

PROTESTANTES ex una parte efficacitatem Baptismi *deprimunt* dum negant sive efficacitatem sacramentorum ex opere operato, sive effectum impressionis characteris, sive effectum infusionis gratiae; ex alia vero parte eam immoderate *exaggerant* dum docent per regenerationem baptismalem hominem fieri *absolute salvum, impeccabilem et liberum*; absolute quidem salvum, quatenus accepto Baptismo nequit justificationem amittere et damnari nisi credere nolit; absolute autem impeccabilem, quatenus vi sacramenti omnia peccata etiam futura remittuntur, seu sola Baptismi recordatione dum committuntur diluuntur; absolute vero liberum, quatenus per libertatem filiorum Dei in Baptismo elargitam homo eximitur ab omni humana lege et obligatione atque ab omnibus votis antea contractis (cf. *Cona. Trid.*, sess. 7, can. 6-10 de Baptismo, ubi tales errores singillatim damnantur).

Ad rem *Lutherus*: “Vides quam dives sit homo Christianus baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutem suam quantiscumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare nisi sola incredulitas; cetera omnia, si redeat vel stet fides in promissionem divinam baptizato factam, in momento absorbentur” (De captiv. babyl., Opera, ed. Ienae, 1557, t. 2, p. 287).¹

Simile quid docuit inter *JANSENISTAS Paschasius Quesnel*: “Primus effectus gratiae baptismalis est facere, ut moriamur peccato, adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitae pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi” (Denz. 1393).

Jam inter antiquos haereticos effectum Baptismi exaggeraverat *JOVINIANUS* docens “eos qui fuerint baptizati, a diabolo non posse tentari” (*Hieronymus*, Adv. Jovin., l. 2, 1-4, M.L. 23, 295 sqq.), “nec posse peccare hominem lavacro regenerationis accepto” (*Augustinus*, De Haeres. 82, M.L. 42, 45). Hunc errorem late impugnat Hieronymus (l. c.).

Omnes ceterum exaggerationes istas damnat tota doctrina revelata de necessitate orationis, vigilantiae, perseverantiae in bonis operibus: praedicta exaggeratio apud Protestantes manifeste procedit ex intentione negandi necessitatem nostrae cooperationis ad salutem et supprimendi sacramentum Poenitentiae.

Error *quorundam theologorum* qui deprimunt efficacitatem Baptismi parvulorum exponetur ut in proprio loco in art. 10.

¹Cf. etiam *P. Wernle*, Der Christ und die Sünde bei Paulus, Tiibingen. 1897; *Hana Windisch*, Taufe und Sünde im ältesten Christentum bis auf Origenes, Tiibingen, 1908.

PARS AFFIRMATIVA

Nota Theologica.

Characterem imprimi per Baptismum est *de fide definita* a Cone. Trid., sess. 7, can. 9 de sacr. in genere.

Gratiam in Baptismo conferri, *peccatum originale* auferri necnon totum id quod rationem habet peccati (peccatum actuale, *mortale et veniale*), nihil in baptizato manere quod eum impediatur ab ingressu coeli (proinde neque *poenam luendam*), manere tamen naturalem *concupiscentiam*, omnia haec sunt *de fide definita* a Cone. Trid., sess. 5 de pecc. originali, can. 5.

Documenta Ecclesiae.

Symbolum Nicaenum-Const.: “Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum” (Denz. 86; cf. 463).

Cone. Milev. II (a. 416), *can. 2* (Denz. 102), *Innocentius III* (Denz. 410) et *Cone. Viennense* (Denz. 483) docent efficacitatem Baptismi parvulorum (cf. infra art. 10).

CONC. FLORENTINUM, Decr. pro Armenis: “Baptisma . . . vitae spiritualis ianua est: per ipsum enim membra Christi ac de corpore efficimur Ecclesiae . . . Huius sacramenti effectus est remissio omnis culpae originalis et actualis, omnis quoque poenae, quae pro ipsa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis praeteritis iniungenda est satisfactio: sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum coelorum et Dei visionem perveniunt” (Denz. 696).

Leo X hanc propositionem *Lutheri* damnavit in qua docetur quod per Baptismum peccatum non deletur sed tantum non imputatur: “In puero post baptismum negare remanens peccatum, est Paulum et Christum simul conculcare” (Denz. 742).

CONC. TRIDENTINUM:

Sess. 5 de pecc. originali, *can. 4*, repetit fere ad verbum *can. 2* *Cone. Milev. II* (Denz. 791).

Ibidem, *can. 5*, definit: “Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptisate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari: A.S.

“In renatis enim nihil odit Deus, quia *nihil est damnationis iis*, qui vere *consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem* [Rom 6, 4],

qui *non secundum carnem ambulant* [Rom 8,1], sed *veterem hominem* exuentes et *novum, qui secundum Deum creatus est, induentes* [Eph 4,22 sqq; Coi 3, 9 sq.]> innocentes, immaculati, puri, innoxii ac Deo dilecti filii effecti sunt, *heredes quidem Dei, coheredes autem Christi* [Rom 8, 17], ita ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur.

“Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, haec sancta Synodus fatetur et sentit; quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus et viriliter per Christi lesu gratiam repugnantibus non valet. Quin immo *qui legitime certaverit, coronabitur* [2 Tim 2, 5]. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus *peccatum* [Rom 6, 12 sqq] appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam catholicam nunquam intellexisse, peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit: A.S.” (Denz. 792).

Sess. 6 de justificatione, cap. 7, docet Baptismum esse causam instrumentalem justitiae i.e. remissionis peccatorum, fidei, spei et charitatis (Denz. 799).

Ibidem, *cap. 14*, docet quod per sacramentum Poenitentiae poena temporalis “non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur” (Denz. 807).

Sess. 7, can. 9 de sacr. in gen., definit per Baptismum characterem imprimi (Denz. 852).

Ibidem, *can. 13 de Bapt.*, definit valere Baptismum parvulorum hosque inter fideles computandos esse (Denz. 869).

Ibidem, *can. 6-10*, docet quinam sint effectus Baptismi, reiciens falsas exaggerationes Protestantium.

Sess. 14, cap. 2 de Poenitentia, sic explicat hujus differentiam a Baptismo: “Alius . . . est baptismi, et alius poenitentiae fructus. *Per baptismum enim Christum induentes* [Gal 3, 27] nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem et integritatem per sacramentum poenitentiae, sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente iustitia, pervenire nequaquam possumus, ut merito poenitentia laboriosus quidam baptismus a sanctis Patribus dictus fuerit. Est autem hoc sacramentum poenitentiae lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus” (Denz. 895).

Alexander VIII hanc propositionem *jansenisticam* damnavit: “Homo debet agere tota vita poenitentiam pro peccato originali” (Denz. 1309).

Clemens XI damnavit supra relatam propositionem *Quesnelii*.

Scriptura.

In *prophetiis et typis A.T.*, de quibus supra in Introductione tractatus, exhibetur effectus Baptismi ut spiritualis salus et renovatio.

In *N.T.* effectus Baptismi multipliciter proponitur, nempe ut spiritualis ablutio, regeneratio et novitas vitae, incorporatio cum Christo et Ecclesia, sanctificatio, justificatio et remissio peccatorum.²

Varios textus citavimus supra in Introd. tractatus; praecipui inter eos sunt illi qui magis directe exhibent propriam gratiam baptismalem, i.e. *spiritualem regenerationem* et primariam hujus proprietatem seu *incorporationem ad Christum: Joan. 3, 5; Tit. 3, 5; Rom. 6, 3-6; Col. 2, 11-13; 1 Cor. 12, 13; Gal. 3, 27; ad baptismalem generationem quam signanter proponit in 3, 5 alludit Joannes in 1, 13 et in 1 Ep. 2, 29; 3, 8. 10; 4, 1. 3. 4. 6. 7; 5, 1. 2. 4. 18. 19 ubi loquitur de christiano tanquam "ex Deo nato".*

Totalis remissio peccati eiusque sequelarum, quae est terminus a quo hujus spiritualis generationis sic exhibetur ab *Apostolo:*

Rom. 5, 16. 20; 6, 3; 8, 1: "Et non sicut per unum peccatum, ita et donum; nam iudicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem . . . Lex autem subintravit, ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia . . . An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? . . . Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu".

Eph. 5, 26-27: "Christus dilexit ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata."

Patres.

Eosdem Baptismi effectus late describunt; determinate etiam loquuntur de remissione peccati tum *originalis* tum *actualis* et *poenarum* pro peccatis debitarum.

HERMAS, Sim. 9, 16, 3 cit. in art. 3, p. 40 sq.

TERTULLIANUS, De bapt., 5: "Quotidie [aquae baptismi] populos conservant, deleta morte per ablutionem delictorum. *Exempto scilicet reatu, eximitur et poena.* Ita restituitur homo Deo ad similitudinem ejus (Gen. 1), qui retro ad imaginem Dei fuerat . . . Recipit enim illum Dei spiritum, quem tunc de afflatu ejus acceperat, sed post amiserat per delictum" (M.L. 1, 1314).

Idem, *ib., 1*, cit. in art. 3, p. 41.

IRENAEUS, Adv. Haer., 3, 17, 2: "Nec nos multi *unum fieri in Christo lesu* poteramus, sine aqua quae de coelo est . . . Corpora . . . nostra per lavacrum

² De sensu horum aliorumque nominum confer *D'Alès, De bapt. et confirm., th. 8.*

illam quae est ad *incorruptionem* unitatem acceperunt; animae autem per Spiritum” (M.G. 7, 930).

CLEMENS ALEX., *Paedag.*, 1, 6, 26, 1 sq.: “Baptizati illuminamur; illuminati in filios adoptamur; adoptati perficimur; perfecti immortales reddimur . . . Multis autem modis vocatur illud opus: *gratia, illuminatio, perfectum, lavacrum*. Lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus. Gratia autem, qua remittuntur *poenae, quae peccatis debentur*. Illuminatio autem, per quam sanctam illam et salutarem lucem intuemur, hoc est, per quam Deum perspicimus. Perfectum autem dicimus, *cui nihil deest*” (C.B. 1, 105).

METHODIUS, *Convivium*, Or. 8, 8: “Ego . . . hac de causa dictum existimo gigni marem ab ecclesia, quod nempe ii qui illuminantur Christi lineamenta effigiemque ac virilem vere animum aspectumque assumunt, Verbi forma, quae secundum similitudinem est, iis impressa, et per certam scientiam fidemque in iis progenita, ita *ut in unoquoque spiritualiter nascatur Christus*. Ac propterea ecclesia velut fervet turgetque ac parturit, donec formetur in nobis genitus Christus; quo nimirum quisque sanctorum, qua ratione Christi particeps est, Christus nascatur. Iuxta quem sensum in quadam scriptura dicitur: *Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari*. Tamquam christi evaserint, per commercium Spiritus, qui in Christum baptizati sunt, suas hic ecclesia conferente partes ad eorum in Verbo effigiem et transformationem” (M.G. 18, 149).

BASILIUS, *Horn.* 13, 5: “Baptismus captivis est redemptionis pretium, debitorum condonatio, *mors peccati, regeneratio animae*, indumentum lucidum. *signum infrangibile*, vehiculum ad caelum, regni conciliator, adoptionis donum” (M.G. 31, 433).

CHRYSOSTOMUS, *Homilia ad Neophytos* cit. supra initio tractatus, p. 1 sq.

Idem, *Ad illumin. catech.* 1, n. 3: “Etsi [baptizandus] humana omni nequitia plenus sit, si in piscinam aquarum incidat, solaribus radiis purior ex divinis fluentis ascendit . . . At, inquires, si peccata nobis omnia lavacrum remittit, cur non lavacrum purgationis, sed lavacrum regenerationis vocatur? Quia non solum peccata remittit neque solum delicta purgat, sed *ita id praestat, ac si denuo generati essemus*.”

AUGUSTINUS, *Enchiridion*, 64, 17: “Excepto quippe Baptismatis munere, quod contra originale peccatum donatum est, ut *quod generatione attractum est, regeneratione detrahatur*; et tamen activa quoque peccata, quaecumque corde, ore, opere commissa invenerit, tollit: hac ergo excepta magna indulgentia, unde incipit hominis renovatio, in qua *solvitur omnis reatus et ingeneratus et additus*; ipsa etiam vita caetera jam ratione utentis aetatis, quantalibet praepolleat fecunditate justitiae sine peccatorum remissione [i.e. sine poenitentia] non agitur” (M.L. 40, 262; cf. Cont. duas ep. Pel., 3, 3, 5).

Idem, *De pecc. meritis et remiss.* 2, 28, 46: “Adhuc *manente lege concupiscentiae*, reatus ejus solvitur, et non erit, cum fit in Baptismo plena remissio peccatorum. Denique *si continuo consequatur ab hac vita emigratio*, non erit omnino quod obnoxium hominem teneat, solutis omnibus quae tenebant” (M.L. 44, 179).

Idem, *De nuptiis et concup.* 1, 33, 38: “'Mundans eam lavacro aquae in verbo, ut exhiberet sibi ipse gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejusmodi (Ephes, v, 25, 27)'. Sic . . . hoc accipiendum est, ut eodem lavacro regenerationis et verbo sanctificationis omnia prorsus mala hominum regenerantium mundentur atque sanentur; non solum peccata quae omnia nunc remittuntur in Baptismo, sed etiam quae posterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur: non ut Baptisma quoties peccatur, toties repetatur; sed quia ipso quod semel datur, fit ut *non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur*.

"Quid enim prodesset vel ante Baptismum paenitentia, nisi Baptismus sequeretur;

vel postea, nisi praecederet? In ipsa quoque oratione dominica, quae quotidiana est nostra inundatio, quo fructu, quo effectu diceretur, 'Dimitte nobis debita nostra (Matt, vi, 12)', nisi ab eis qui baptizati sunt, diceretur? itemque eleemosynarum largitas et beneficentia quantalibet, cui tandem ad dimittenda sua peccata prodesset, si baptizatus non esset? Postremo regni coelorum ipsa felicitas, ubi non habebit Ecclesia maculam aut rugam aut aliquid ejusmodi, ubi nihil reprehensionis, nihil simulationis erit, ubi non solum reatus, sed *nec concupiscentia erit ulla peccati*, quorum erit, nisi baptizatorum?" (M.L. 44, 434 sq.).

CONCLUSIO

Conclusio 1. Effectus Baptismi Est Character Christiani Et Gratia Tum Communis Tum Sacramentalis, Adeoque Incorporatio Ad Christum Et Ecclesiam.

Probatur.

Baptismum conferre characterem et gratiam patet ex dictis in superiori tractatu, art. 9. 12. 13. 15. 16. Sive autem per gratiam (quae in Baptismo est generativa, ut in Conci. 2 ostendetur) sive quodammodo per characterem, *homo incorporatur Christo et Ecclesiae*; gratia enim est participatio gratiae capitalis Christi et character est participatio sacerdotii Ejus; item per gratiam homo fit de anima Ecclesiae et per characterem fit de corpore Ecclesiae, seu membrum societatis ecclesisticae in qua exercetur cultus qui a Christi sacerdotio derivatur.

Conclusio 2. Gratia Propria Et Specifica Baptismi, Seu Ejus Gratia Sacramentalis, Est Gratia Regenerativa, Quae Nempe Analogice Confert Homini In Ordine Spirituali Quidquid Generatio Ei Praestat In Ordine Naturali.

Probatur.

Gratiam in Baptismo, in eoque tantum, conferri ad modum generationis spiritualis, patet:

1. Ex eo quod in fontibus revelationis et Ecclesiae documentis effectus Baptismi, et ipse solus, explicite vocatur *regeneratio, renoscentia, novitas vitae, nova creatura*.

2. Ex eo quod effectus Baptismi juxta fontes revelationis est *incorporatio ad Christum*; incorporatio autem generationem importat; non enim aliter quam per generationem (puta per medicinam aut nutritionem) membra corpori adveniunt. Hanc rationem incorporationis ad Christum per Baptismum instanter inculcat *Apostolus* et ex ea *S. Thomas* deducit omnes effectus Baptismi per varios articulos q. 69; ipsa enim est veluti immediatus ac fundamentalis effectus a quo dependent ceteri effectus et proprietates spiritualis regenerationis, v.g. infusio gratiae, ablatio peccatorum, remissio poenae etc., ut ex dicendis melius patebit.

3. Ex eo quod effectui Baptismi, eique tantum, *conveniunt proprietates generationis naturalis* ex qua metaphora deducitur. Nam:

a. In generatione *vita primo et per se datur*, quod spiritualiter contingit in solo Baptismo quatenus juxta revelationem ipse ordinatur *in remedium peccati originalis et ablationem omnium peccatorum*; per sacramentum autem Poenitentiae vita spiritualis non primo datur, cum non sit institutum in remedium peccati originalis sed tantum actualium peccatorum, adeoque potius resurrectioni vel sanationi comparetur; per actum vero contritionis vita spiritualis primo dari potest, non tamen per se sed per accidens, seu ut dicitur ex voto Baptismi (cf. art. 16), nec ceterum perfecte datur sed tantum quoad substantiam seu quoad gratiam communem, gratia enim sacramentalis et character non conferuntur nisi per Baptismum re susceptum (cf. a. 1. ad 2; a. 4, ad 2).

b. In generatione *vita datur absque ullo geniti concursu*, quod contingit in solo Baptismo qui etiam parvulis conferri potest; in sacramento enim Poenitentiae, quod solis adultis confertur, actus poenitentialis est *non tantum dispositio {sicut in baptismo adultorum'}* sed etiam pars ipsius sacramenti seu ipsius causae justificantis; justificatio vero per actum contritionis fit ex solo opere operantis ipsius subjecti.

c. Per generationem *membra adveniunt corpori*; per Baptismum homo fit *membrum Christi et Ecclesiae*, induit Christum, incorporatur Christo et Ecclesiae; sacramentum autem Poenitentiae respicit hominem ut membrum jam constitutum, quamvis infirmum vel mortuum et ad vitam restituendum per refluxum causalitatis Christi et exercitium potestatis Ecclesiae; per actum vero contritionis ante Baptismum homo fit membrum Christi ex voto ipsius Baptismi et membrum solius animae Ecclesiae.

d. Generatio *nihil relinquit de veteri forma*, nam ut aiunt philosophi in generatione fit resolutio usque ad materiam primam; juxta fontes autem revelationis Baptismus totaliter expellit reatum culpae *originalis* et actualis, necnon reatum *totius poenae temporalis* quod non fit per sacramentum poenitentiae et actum contritionis (cf. C. Gent. 4, 59).

EXPONITUR VIS ET EXTENSIO HUIUS SPIRITUALIS REGENERATIONIS PER BAPTISMUM COLLATAE.

Gratia baptismalis, cum sit quaedam generatio, *duos terminos importat*: terminum a quo seu corruptionem prioris formae et terminum ad quem seu productionem novae formae vitalis.

Ex parte termini a quo gratia baptismalis est *totalis remissio peccati originalis*, seu ipsius peccati originis, peccati actualis tum mortalis tum venialis, poenae aeternae ac totius poenae temporalis pro peccatis

debitae, omnis poenalitatis et concupiscentiae ex peccato originali secutae, post statum tamen viae simpliciter auferendae.

Ex parte termini ad quem gratia baptismalis est perfecta restitutio justitiae originalis, i.e. gratiae sanctificantis et doni integritatis. Haec tamen restitutio quae vi Baptismi perficietur in coelo, nunc immediate post susceptionem Baptismi est tantum incompleta; consistit autem in gratia communi sanctificante, per quam restituitur substantia justitiae originalis, et in gratia sacramentali (strictius dicta) quae est quidam modus vel vigor gratiae sanctificanti additus, qui eam specialiter ordinat ad omnes effectus et proprietates quae ad generationem referuntur (cf. tract. De sacr. in gen., art. 12) et virtute cujus, incipenter in hac vita per virtutum exercitium ac perfecte in altera vita per purificationem purgatorii et retributionem gloriae, restituitur donum illud integritatis quo justitia originalis perficiebatur.

Quicumque autem *alii effectus* Baptismo tribuuntur, ad praedictos reduci debent.

Sit verbum *de unoquoque effectu in particulari*:

A. EX PARTE TERMINI A QUO: TOTALIS REMISSIO PECCATI ORIGINALIS:

a. **PECCATUM ORIGINALE DELETUR.** Id patet ex eo quod effectus Baptismi est regeneratio, novitas vitae, incorporatio ad Christum, remissio peccatorum, sanctificatio.

b. **PECCATA ACTUALIA TUM MORTALIA TUM VENIALIA REMITTUNTUR.** Patet eadem ratione.

Dices. Baptismus ideo dicitur spiritualis regeneratio et incorporatio ad Christum quia corrigit in homine malum quod contraxit ex generatione carnali et ex incorporatione ad Adamum. Atqui per haec homo contraxit tantum peccatum originale. Ergo per Baptismum solum peccatum originale non vero actuale diluitur.

Resp. "Sicut Apostolos dicit [Rom. 5, 16], peccatum Adae non tantum potest quantum potest donum Christi, quod in baptismo percipitur; 'nam iudicium ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem'. Unde et Augustinus dicit [De pecc. merit, et remiss., 15], quod 'generante carne, tantummodo trahitur peccatum originale; regenerante autem Spiritu, non solum originalium, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum'" (a. 1, ad 1).

Ceterum 1. peccatum originale, cum non sit simplex negatio sed privatio gratiae originalis, nequit dilui nisi per infusionem gratiae per quam *consequenter* etiam peccata actualia necessario auferuntur; 2. peccata actualia de facto sunt indirectus effectus peccati originalis, et

ideo hoc non perfecte corrigeretur nisi etiam actualia peccata diluerentur.

Notandum tamen est quod Baptismus cum fictione susceptus (seu absque dispositione ad infusionem gratiae requisita, i.e. fide et attritione) non remittit peccatum nec originale nec actuale, quia quamvis producat primum effectum qui est character seu incorporatio ad Christum Sacerdotem et ad corpus Ecclesiae, non confert ultimum et principalem effectum qui est gratia seu incorporatio ad Christum Caput et ad animam Ecclesiae; nonnisi enim per gratiae infusionem peccatum mortale et peccatum originale expelli possunt. Remoto autem obice seu fictione, Baptismus confert gratiam et diluit peccata per modum reviviscentiae, juxta dicta in superiori tractatu, art. 11.

Disputatur inter theologos de remissione peccatorum per Baptismum *in casu reviviscentiae*. Omnes quidem admittunt peccata actualia commissa post Baptismum remitti per sacramentum Poenitentiae vel per actum contritionis cum voto hujus sacramenti. Quoad remissionem vero peccatorum Baptismum praecedentium *duplex est sententia*.

Quidam, ut *Scotus* et *Vasquez*, docent ea remitti per Poenitentiam vel contritionem, quia homo ex suscepto Baptismo fit subditus Ecclesiae ac ideo subicitur clavibus. *Communis vero sententia* tenet ea deleri vi ipsius Baptismi reviviscentis. *Ratio* est quia: 1. secus non haberetur vera Baptismi reviviscentia; 2. gratia regenerativa per quam ea peccata remittuntur est proprius effectus Baptismi nec potest tribui Poenitentiae vel actui contritionis, ut dictum est in superiori tractatu, art. 11, p. 203 (cf. a. 10, ad 2); 3. homo ante Baptismum non est subiectum Ecclesiae ac proinde opera ejus ante Baptismum commissa non subiciuntur Ecclesiae potestati; 4. Cone. Trid., sess. 14, cap. 1 sq. ait sacramentum Poenitentiae institutum esse ad tollenda peccata post Baptismum commissa (Denz. 894 sq.).

Inter defensores autem hujus sententiae *ulterior quaestio movetur de ipso peccato fictionis* seu de sacrilega Baptismi susceptione, an deleatur per ipsum Baptismum reviviscentem vel per Poenitentiam aut actum contritionis.

Communis sententia tenet ipsum remitti per Poenitentiam vel actum contritionis; nam ficta susceptio est natura posterior Baptismo, quia prius est esse Baptismi quam ejus susceptio; non enim intelligitur suscipi nisi quod prius est, cum prius sit esse quam suscipi.

Patet autem quod fictio retractata ante finem sacramenti et ipsa fictio non retractata, considerata tamen in sua inchoatione usque ad completum sacramentum, remittuntur per ipsum Baptismum, cum sint

natura priores sacramento; nec ideo in sacramento Poenitentiae ipsae sunt accusandae sed sola fictio consummata qua talis.

Si autem *quaeratur per quid ipsa fictio removeatur* ad hoc ut Baptismus reviviscat, an per solam attritionem vel per Poenitentiam aut actum contritionis, distinguendum est: si fictio fuit tantum materialis et inculpabilis (ut in eo qui Baptismum suscepit putans se habere sufficientem attritionem quam tamen non habuit) et simul post Baptismum nullum peccatum grave commissum fuerit, fictio removetur per solam attritionem; si vero fictio fuit formalis adeoque mortaliter culpabilis aut si post Baptismum cum fictione inculpabili susceptum commissum sit aliquod peccatum grave, fictio non removetur nisi per Poenitentiam vel actum contritionis, quia nequit unum peccatum remitti sine alio, per gratiam enim quae unum peccatum delet, omnia peccata necessario auferuntur, adeoque nequit Baptismus reviviscens peccata ipsum praecedentia auferre quin etiam subsequencia auferantur, quorum tamen remissio praerequirit Poenitentiam vel actum contritionis.

In hoc igitur casu Poenitentia vel actus contritionis relate ad peccata Baptismum subsequencia se habet ut causa per se, i.e. ut propria causa remissiva, relate vero ad praecedentia se habet tantum ut causa per accidens, seu ut conditio quae dicitur removens prohibens, causa autem per se est Baptismus reviviscens (a. 10, ad 2).

Quoad peccata venialia notandum est ea non remitti per infusionem gratiae baptismalis si non adsit sufficiens detestatio eorum (cf. q. 87. a. 1, ad 2; In 4 Sent., dist. 4, q. 2, a. 1, q. 1); remittuntur vero postea per quamdam Baptismi reviviscentiam cum talis detestatio habetur. Idem valet de poena temporali pro eis debita. Nec inde sequitur hominem, post Baptismum cum tali dispositione susceptum morientem, retardari a consecutione beatitudinis et mitti in Purgatorium ad talem poenam luendam; nam in primo actu caritatis quo anima separata fertur in Deum continetur perfecta detestatio peccatorum etiam venialium ac immediate removetur prohibens ad perfectam reviviscentiam Baptismi.

Ceterum, de his omnibus quaestionibus fusius ac determinatius *agemus in tractatu De Poenitentia.*

c. *POENA AETERNA ET TOTA POENA TEMPORALIS PRO PECCATIS DEBITA REMITTITUR.*

Remissio poenae aeternae sequitur necessario remissionem omnis peccati mortalis pro quo debetur. Remissio *totius* poenae temporalis sequitur tum ex ratione regenerationis et incorporationis ad Christum.

tum ex doctrina Patrum, tum ex sensu Ecclesiae qui apparet in consuetudine numquam poenas et satisfactiones baptizatis imponendi. Propterea effectus Baptismi dicitur esse *aperitio regni coelestis* (cf. a. 7).

Praedictam rationem incorporationis ad Christum sic exponit S. *Thomas*: “Per baptismum aliquis incorporatur passioni et morti Christi . . . Ex quo patet quod omni baptizato communicatur passio Christi ad remedium, ac si ipse passus et mortuus esset. Passio autem Christi . . . est sufficiens satisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum. Et ideo ille qui baptizatur, liberatur a reatu totius poenae sibi debitae pro peccatis, ac si ipse sufficienter satisfecisset pro omnibus peccatis suis” (a. 2).

Catechismus Cone. Trid., p. 2, c. 2, q. 44, ex eadem ratione repetit consuetudinem Ecclesiae nunquam satisfactiones baptizatis imponendi:

“Etsi omnibus sacramentis hoc commune est, ut per illa virtus passionis Christi Domini communicetur: de solo tamen baptismo dictum est ab Apostolo, nos per ipsum Christo commori et sepeliri; ex quo sancta ecclesia semper intellexit, sine maxima sacramenti iniuria fieri non posse, ut ei, qui baptismo expiandus sit, eiusmodi pietatis officia, quae usitato nomine sancti Patres opera satisfactionis vocarunt, imponantur. Nec vero, quae hoc loco traduntur, veteris ecclesiae consuetudini adversantur, quae olim [catechumenis] . . . , quum baptizarentur, praecipiebat, ut quadraginta continuos dies ieiunarent. Neque enim illud institutum ad satisfactionem pertinebat, sed qui baptismum percepissent, ea ratione admonebantur, ut sacramenti dignitatem venerantes, ieiuniis et orationibus aliquamdiu sine intermissione operam darent” (cf. *Didache*, 7; *Tertullianum*, De bapt. 20).

Dices. Non videtur quod in Baptismo remittatur tota poena temporalis. *Primo*, quia conveniens ordo requirit ut culpa ordinetur seu corrigatur per poenam, sicut fit in sacramento Poenitentiae. *Secundo*, quia effectus sacramenti significatur in ritu exteriori; in aquae autem ablutione significatur lavatio culpae non vero extinctio poenae. *Tertio*, quia secus non possent latrones et homicidae a civili potestate puniri propter delicta commissa ante Baptismum ac ita subverteretur ordo socialis. *Quarto*, quia secus non videtur quare per Baptismum non solvatur homo a poenosa obligatione observandi leges divinas et humanas necnon vota adimplendi, ut volunt *Protestantes*. *Quinto*, quia si remitteretur tota poena ac ita Baptismus esset *aperitio regni coelestis*, baptizatus deberet immediate ingredi regnum coeli.

Resp. Ad primum. “Quia poena passionis Christi communicatur baptizato, inquantum fit membrum Christi, ac si ipse poenam illam sus-

tinuisset, ideo ejus peccata remanent ordinata per poenam passionis Christi” (a. 2, ad 7).

Ad secundum. “Aqua non solum abluit, sed etiam refrigerat, et ita suo refrigerio significat subtractionem reatus poenae, sicut sua ablutione significat emundationem a culpa” (a. 2, ad 2).

Ad tertium. “In poenis quae iudicio humano inferuntur, non solum attenditur qua poena sit homo dignus quoad Deum, sed etiam in quo sit obligatus quoad homines qui laesi et scandalizati sunt per peccatum alicujus. Et ideo licet homicida per baptismum liberetur a reatu poenae quoad Deum, remanet tamen obligatus adhuc quoad homines, quos justum est aedificari de poena, sicut sunt scandalizati de culpa; pie tamen talibus princeps posset poenam indulgere” (a. 2, ad 3; cf. *Catechismum Cone. Trid.*, p. 2, c. 2, q. 45).

Ad quartum dicendum quod obligatio observandi leges ac vota adimplendi non est poena peccati sed officium subjectionis.

Ad quintum respondetur quod baptizatus impeditur ab immediato ingressu in coelum non in poenam, sed tum ad explendum tempus meriti quod clauditur per mortem (et ipsi enim primi parentes quamvis essent in statu justitiae originalis tamen ob eandem rationem impediabantur ab immediata consecutione gloriae), tum ad persolvendum tributum naturae per susceptionem poenalarum vitae, de quibus mox dicetur (cf. a. 7, ad 3).

d. OMNES POENALITATES ET CONCUPISCENTIA EX PECCATO ORIGINALI SECUTAE, VI BAPTISMI, POST STATUM TAMEN VIAE, COMPLETE AUFERENTUR.

Quod haec vi Baptismi auferri debeant sequitur ex eadem ratione regenerationis, novitatis vitae, incorporationis ad Christum. Auferentur autem *in altera vita* post resurrectionem *ex vi seminis immortalitatis* positi in anima per gratiam baptismalem, quando complebitur manifestatio perfecti triumphus quod passio et resurrectio Christi obtinuit super peccatum et mortem. *In hac vero vita tolluntur secundum quid*, tum quia in baptizatis *non amplius habent rationem poenae* pro peccato sed tantum conditionum et sequelarum ipsius naturae, unde est quod baptizato statim morienti non praecluditur ingressus in regnum coelorum (a. 7, ad 3), tum etiam quia *eorum dominio anima regenerata non amplius subicitur* quin potius eis dominetur, ipsa non ut nociva fugiendo sed ut salutis instrumenta amplectendo (cf. a. 3, ad 2). *Simpliciter* autem et materialiter poenalitates baptizatis *relinquuntur*.

Cujus rei multiplex ratio assignari potest cum S. Thoma:

Prima ratio est ipsa *incorporatio et assimilatio Christo patienti*; est enim “conveniens . . . ut id agatur in membro incorporato quod est

actum in capite. Christus autem a principio suae conceptionis fuit plenus gratia et veritate; habuit tamen corpus passibile, quod post passionem et mortem est ad vitam gloriosam resuscitatum. Unde et Christianus in baptismo gratiam consequitur quantum ad animam; habet tamen corpus passibile, in quo pro Christo possit pati; sed tandem resuscitabitur ad impassibilem vitam” (a. 3). Haec tamen ratio non valet de concupiscentia (nisi haec consideretur tantum generice ut quaedam poenalitas et afflictio), nam in Christo nulla esse potuit.

Secunda ratio est ut quae erant effectus lapsus converterentur in *instrumentum salutis*, tum propriae tum alienae, “ut videlicet contra concupiscentiam et alias passibilitates pugnans homo, victoriae coronam acciperet” (a. 3) et aliorum saluti satisfaciendo cooperaret, quemadmodum Christus et B. Virgo eisdem poenalitatibus, excepta concupiscentia, subjecti fuerunt ad redemptionem aliorum. Quae ratio praecipue valet de concupiscentia quae est maxima inter poenalitates eo quod ad peccatum inclinet (cf. *Cone. Trid.*, sess. 5, can. 5 supra cit.; *Catechismus Cone. Trid.*, p. 2, c. 2, q. 47).

Tertia ratio est “ne homines ad baptismum accederent *propter impassibilitatem praesentis vitae*, et non propter gloriam vitae aeternae” (fl.3).

Quarta ratio est ut servaretur quidam *mirabilis modus in reparatione culpae originalis*. Peccatum enim ipsum magis respicit personam, poenalitates vero sunt quaedam conditiones naturae; unde prius reparatur defectus personae quam defectus naturae, quae, completa hominum generatione, reparabitur in generali gloriosa resurrectione.

Vel paulo aliter cum S. *Thoma*: “Peccatum originale hoc modo processit quod primo persona infecit naturam, postmodum vero natura infecit personam. Christus vero converso ordine prius reparat id quod personae est, et postmodum simul in omnibus reparabit id quod naturae est. Et ideo culpam originalis peccati et etiam poenam carentiae visionis divinae, quae respiciunt personam, statim per baptismum tollit ab homine; sed poenalitates praesentis vitae (sicut mors, fames, sitis et alia huiusmodi) respiciunt naturam, ex cuius principiis causantur, prout est destituta originali justitia: et ideo isti defectus non tollentur, nisi in ultima reparatione naturae per resurrectionem gloriosam” (a. 3, ad 3).

Quinta ratio est ut ostenderetur *ipsa victoria Christi Redemptoris* super peccatum Adae praevaricatoris. Nam “sicut aliquis capiens hostem atrocissimum, non statim interficit eum, sed patitur eum cum dedecore et dolore aliquantulum vivere; ita et Christus poenam prius

alligavit, in futuro autem perimet” (Glossa citata hic in *a. 3, ad 1*). Unde permanentia poenalarum in rebaptizatis nullatenus minuit victoriam Christi super mortem nec est contra illud Apostoli, Rom. 5,20: “Ubi . . . abundavit delictum, superabundavit gratia”.

B. EX PARTE TERMINI AD QUEM:

a. *GRATIA COMMUNIS CONFERTUR, ET QUIDEM PER SE PRIMA*. Id sequitur ex ratione regenerationis, novitatis vitae, incorporationis ad Christum, sanctificationis, justificationis, remissionis peccatorum, effectus sacramenti; haec enim omnia infusionem gratiae sanctificantis, virtutum et donorum important. Per hanc gratiam communem Baptismus restituit homini *substantiam justitiae originalis*.

Dices. Effectus sacramenti debet significari in ritu exteriori; per ablutionem autem significatur emundatio animi a culpa, non vero informatio animi per gratiam.

Resp. “Sicut aqua baptismi per suam ablutionem significat emundationem culpae, et per suum refrigerium significat liberationem a poena; ita per naturalem claritatem significat splendorem gratiae et virtutum” (*a. 4, ad 1*; cf. art. 3, Conci., Prob. 3).

b. *GRATIA SACRAMENTALIS CONFERTUR* seu tum *jus ad auxilia* fini hujus sacramenti correspondentia i.e. ad recte vitam Christianam ducendam, tum *modus aliquis additus gratiae communi* ac eidem fini spiritualis generationis correspondens. Id patet ex tractatu superiori, art. 11.

Indoles generalis hujus gratiae sacramentalis corresponde! fini generationis spiritualis; quid autem concrete et determinate in ea importetur difficilius assignatur.

Primo, per hanc gratiam specialiter colliguntur, ordinantur et ut ita dicatur canalizantur omnes virtualitates, proprietates et effectus gratiae communis sanctificantis, virtutum et donorum quae ad spiritualem generationem conferendam, conservandam et evolvendam referuntur.

Secundo, sub hac generali ratione gratia baptismalis influit etiam in effectus gratiarum sacramentalium aliorum sacramentorum; ita ad complementum, sustentationem et sanationem vitae spiritualis non tantum confert gratia augmentativa, cibativa et sanativa quae est propria Confirmationis, Eucharistiae et Poenitentiae, sed etiam remote et radicaliter gratia generativa et vitalis ipsius Baptismi, sicut ad augmentum, nutritionem et sanationem vitae animalis non solum conferunt cibus et medicina, sed etiam et peculiariter ipsa principia vitalia quae cum illis cooperantur.

Perfecta enim *unitas et harmonia providentiae sacramentalis* ita est

consideranda ut Baptismus eiusque effectus concipiantur veluti nucleus et fundamentum quod cetera sacramenta eorumque effectus afficiunt, evolvunt et perficiunt. Sicut nempe *Baptismus* est janua quo aperitur homini ingressus ad alia sacramenta, ita *gratia baptismatis* est generale principium et vitalis nucleus qui per alias gratias sacramentales afficitur et evolvitur, ita ut unum quid efficiatur; nec inconvenienter dicitur cum quibusdam theologis *characterem* quoque baptismalem per alios characteres et per alia res et sacramenta affici, modificari et evolvi in unam totalem consecrationem de genere gratiae gratis datae quae consecrationem gratiae gratum facientis comitatur, ac ita tota vita Christiani quasi triplici homogeneo funiculo, ab exterioribus ad intimiora procedente, sacramento nempe, re et sacramento, re tantum, colligatur.

Tertio, per gratiam baptismalem aliquatenus et incipienter *restituitur donum integritatis* quo justitia originalis perficiebatur. Per amissionem enim hujus doni homini provenerunt *quatuor tristes sequelae naturae*, i.e. dolor, mors, ignorantia et concupiscentia, et *quatuor vulnera*, i.e. ignorantiae (in intellectu), malitiae seu pronitatis ad malum (in voluntate), infirmitatis (in appetitu irascibili) et concupiscentiae (in appetitu concupiscibili).

Haec quatuor vulnera minuit gratia baptismatis tum modo nuper dicto (cf. Primo et Secundo) tum specialiter *per quondam illuminationem* circa cognitionem veritatis qua minuitur vulnus ignorantiae (propterea in Scriptura [Hebr. 6, 4; cf. art. seq.] et a Patribus Baptismus vocatur illuminatio, φωτισμό?, φῶτισμα, et baptizati vocantur illuminati), et *per quemdam motum spiritualis jecunditatis* quo minuuntur vulnera malitiae, infirmitatis et praecipue concupiscentiae ex qua specialiter provenit in homine difficultas ad bonum et pronitas ad malum (a. 4, ad 3; a. 5).

Quatuor autem tristes sequelae naturae seu poenalitates illae quae, quamvis ut dictum est supra sub aliquo respectu tollantur, tamen simpliciter nunc nobis ad agonem et coronam relinquuntur, virtute baptismalis gratiae tamquam ex semine immortalitatis *auferentur in altera vita* per gloriosam resurrectionem. "Quum [enim] . . . mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: 'Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus?'" (1 Cor. 15, 54 sq.).

Conspectus effectuum Baptismi:

Character christiani (Prima incorporatio ad Christum et Ecclesiam)

Participatio sacerdotii Christi (Incorporatio ad Christum Sacerdotem)

Aggregatio societati ecclesiasticae (Incorporatio ad corpus Ecclesiae)

Gratia baptismalis seu *spiritualis regeneratio* (Secunda et proprie dicta *incorporatio ad Christum Caput et animam Ecclesiae*)

Ex parte termini a quo: Totalis remissio peccati originalis:

Ablatio peccati

Deletio peccati originalis

Remissio peccatorum actualium, tum mortalium tum venialium

Extinctio reatus poenae

Poenae aeternae

Totius poenae temporalis

Remotio poenalitatum et concupiscentiae, perfecte in altera vita

Ex parte termini ad quem: Perfecta restitutio justitiae originalis

Gratia communis (Substantia justitiae originalis)

Per se prima (Sacramentum mortuorum)

Per accidens secunda

Gratia sacramentalis

Jus ad auxilia actualia

Modus habitualis seu vigor additus gratiae communi

Ordinatio virtualitatum gratiae communis ad finem generationis seu vitae Christianae

Influxus in effectum gratiarum sacramentalium aliorum sacramentorum

Inchoata restitutio *doni integritatis*

Diminutio *quatuor vulnerum* peccati originalis

Illuminatio

Fecundatio

Remotio *quatuor tristium sequelarum naturae*

Aliqualis remotio in hac vita sub ratione poenae et spiritualis nocementi

Totalis remotio in altera vita per gloriosam resurrectionem

Ceteri effectus, qui Baptismo in Scriptura et Patribus tribui solent, ad praedictos binos effectus characteris et gratiae *reducuntur*, quatenus vel sunt alia nomina quibus ipsi indicantur vel produnt peculiare eorumdem aspectus aut proprietates.

Frequentiora nomina, quibus Baptismi effectus designantur, sunt? *quoad characterem*: signaculum vel sigillum (σφραγι?), signaculum fidei, sigillum Christi, signaculum Trinitatis; *quoad gratiam* regenerativam: *ex parte termini a quo*: regeneratio, renovatio, justificatio, remissio peccatorum, circumcisio, absolutio poenae, indulgentia, redemptio, aperitio regni coelestis; *ex parte termini ad quem*: regeneratio, novitas vitae, nova creatura, incorporatio ad Christum et Ecclesiam, illuminatio, fecundatio.

Inter effectus Baptismi adnumerari possunt, vel potius in eis fundantur. omnia *jura et obligationes* quae in baptizatum derivantur, inter quae capitalia sunt *jus suscipiendi cetera sacramenta*, ex quo Baptis-

᾽d. Chrysostomum, Hom. ad neophytos cit. in Introd, tract.; Basilium, Hom. 13 5 cit. hic in Parte Affirm.; Clementem Alex., Pacdag. 1, 6, 26, 1 cit. ibid.; CyriUum Hier., Procatech. 16; Gregorium Nyss., Oratio catech. magna, 32 sqq.; Gregoriuni Naz Oratio 40, 4.

mus dicitur janua sacramentorum, et obligatio abrenuntiandi vitae peccati seu Satanae ejusque pompis et operibus, quae vocari solet *votum baptismale*.

Praecipui Baptismi effectus in quibus directe exprimitur essentia gratiae sacramentalis sunt *regeneratio, incorporatio, illuminatio, fecundatio* et *aperitio regni coelestis*, quae ita inter se ordinantur ut ex regeneratione sequatur incorporatio ad Christum et ex hac procedant illuminatio et fecundatio. Quod sic mirabiliter exponitur a 5. *Thoma*, a. 5:

“Per baptismum aliquis regeneratur in spiritualem vitam, quae est per fidem Christi, sicut Apostolus dicit [Gal. 2, 20]: ‘Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei’. Vita autem non est nisi membrorum capiti unitorum, a quo sensum et motum suscipiunt. Et ideo necesse est quod per baptismum aliquis incorporetur Christo quasi membrum ipsius. Sicut autem a capite naturali derivatur ad membra sensus et motus; ita a capite spirituali, quod est Christus, derivatur ad membra ejus sensus spiritualis, qui consistit in cognitione veritatis, et motus spiritualis, qui est per gratiae influxum. Unde Joan, i, 14 dicitur: ‘Vidimus eum plenum gratiae et veritatis’; et ibid. 16: ‘Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus’. Et ideo consequens est quod baptizati illuminentur a Christo circa cognitionem veritatis, et fecundentur ab eo fecunditate bonorum operum per gratiae infusionem.”

ART. 8. Utrum Sacramentum Baptismi Sit Unum Seu Initerabile (q. 66, a. 9).

STATUS QUAESTIONIS

Est quaestio de *prima proprietate* Baptismi, i.e. *unitate vel initerabilitate*, quae immediate fundatur in utroque effectu characteris et gratiae regenerativae.

Unitas alia est specifica, alia numerica. Hic non agitur de *unitate specifica* Baptismi quae evidenter patet ex fontibus revelationis; nec contra eam difficultas peti potest ex baptismo Joannis, qui non erat sacramentum, aut ex duplici alio baptismo flaminis et sanguinis, qui praeterea non nisi improprie baptismus vocatur. *Unitas vero numerica* Baptismi considerari potest vel relate ad diversos homines, et sic patet eam non dari, quoniam multiplicatis ablutionibus, sive sub una forma virtualiter multiplici sive sub repetitis formis, necesse est sacramentum multiplicari, vel *relate ad eundem hominem*, et in hoc sensu hic est quaestio de unitate Baptismi, quae proinde coincidit cum quaestione

de *initerabilitate*, quod enim semel tantum dari potest initerabile praedicatur; unde idem est quaerere: an Baptismus sit unus relate ad idem subjectum, et an in eodem subjecto iterari non possit.

PARS NEGATIVA

Nulla extitit alicujus momenti haeresis de hac re, cum initerabilitas Baptismi connaturaliter ex ejus indole et effectu sequatur; antiqui enim Rebaptizantes, Donatistae et quotquot postmodum inter Protestantes et Schismaticos reiterationem Baptismi docuerunt et attentarunt, non proprie de reiteratione Baptismi validi agebant sed de prima collatione Baptismi validi iis quos antea invalide baptizatos falso putabant (cf. tract. De sacr. in gen., art. 15, p. 272).

Citantur tamen ab *Epiphanio* (Haer. 42) *Marcionitae* qui ter baptizabant, semel infantem et bis adultum, ut per hanc duplicem repetitionem Christus, a Joanne in Jordane baptizatus et in passione suo sanguine ablutus, quodammodo imitaretur. Etiam inter protestantes *quidam Anabaptistae* rebaptizabant apostatas a fide; ad quem errorem alludit *Cone. Trid.*, sess. 7, can. 11 de Baptismo.

PARS AFFIRMATIVA

Nota Theologica.

De fide definita.

Documenta Ecclesiae.

Huc faciunt imprimis omnia documenta *iterationem baptismi haereticorum prohibentia* (cf. Denz. 46. 47. 53. 88. 97. 334a. 335, cit. in art. 39 De sacr. in genere), quae fundantur in ipsa persuasione initerabilitatis Baptismi validi.

Explicite autem hanc initerabilitatem definiunt: *CONC. CONSTANT. I* in Symbolo (“Confiteor unum baptisma”, Denz. 86; cf. tamen infra ubi de Scriptura); *CONC. LATER. IV* reprobans Graecos qui “baptizatos . . . a Latinis . . . rebaptizare usu temerario praesumebant” (Denz. 435); *Cone. Lugdun. II* docens “unam esse veram Ecclesiam, in qua unum datur sanctum baptisma” (Denz. 463); *CLEMENS VI* in *epistola ad Consolatorem* de erroribus Armenorum statuens baptismum apostatarum a fide non esse reiterandum (Denz. 754a); *Cone. Florent.*, docens in *Decreto pro Armenis* quod “baptismus, confirmatio et ordo . . . characterem . . . imprimunt in anima indelebile; unde in eadem persona non reiterantur” (Denz. 695); *Cone. Tridentinum* repetens fere ad verbum doctrinam florentinam (*sess. 7, can. 9 de sacr. in genT*), damnans reiterationem

baptismi apostatarum a fide (ibid., *can. 11 de Bapt.*) et parvulorum (ibid., *can. 13 de Bapt.*) ac docens lapsos post Baptismum “non jam repetito baptismo ablui, cum id in Ecclesia catholica nulla ratione liceat” sed per sacramentum Poenitentiae a peccatis liberari (*sess. 14 de Poen., cap. 2*; cf. Denz. 852. 867. 869. 895); *Pius IV* in professione fidei tridentinae confitens “baptismum, confirmationem et ordinem sine sacrilegio reiterari non posse” (Denz. 996); *Codex J.C.*, c. 732, § 1 repetens supradictam doctrinam florentinam.

HUIC DOCTRINAE ECCLESIAE NON OBSTAT ANTIQUUS USUS REBAPTIZANDI quosdam haereticos (cf. tractatum De sacr. in gen., p. 487-490), nam ratio illius erat persuasio de invaliditate prioris baptismi, *neque praxis Ecclesiae conferendi Baptismum sub conditione* dubie baptizatis tum in Ecclesia tum apud haereticos, nam et haec fundatur in dubio de validitate prioris baptismi.

Haec praxis jam sancita fuit ab *Alexandro III* in Decr. 3, tit. 42, c. 2, his verbis: “De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis praemissis: ‘Si baptizatus es, non te baptizo: sed, si nondum baptizatus es, ego te baptizo etc.’” (Denz. 399). *Codex J.C.*, c. 732, § 2 de tribus sacramentis initerabilibus statuit: “Si . . . prudens dubium existat num revera vel num valide collata fuerint, sub conditione iterum conferantur.” *Rituale Romanum*, t. 2, c. 1, n. 9 statuit: “Cum Baptismum absolute iterare nullo modo liceat, si quis sub conditione . . . sit baptizandus, ea conditio explicanda est hoc modo: Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, etc.”

Licetas et convenientia hujus praxis ex eo patet quod, cum sacramenta sint propter homines et praecipue Baptismus sit maxime ad salutem necessarius, nulla fit irreverentia sacramento nec culpabilis fictio habetur per conditionatam ejus administrationem in casibus in quibus *rationabilis causa adsit seu prudens dubium habeatur* de administrato baptismo vel de valida ejus administratione; de quibus casibus occupantur *Codex J.C.* (can. 746. 747. 748. 749. 752) et *Moralistac.*

“Si vero dubium sit infundatum, levis suspicio vel scrupulus, non potest baptizari etiam sub conditione: tum quia . . . quando dubium non est fundatum, conditio imposita habetur pro non apposita; deficiente enim ratione probabili dubitandi, vix serio potest dici. Si non es baptizatus, te baptizo; sed potius videtur dici, Sive sis baptizatus sive non, te baptizo; sicque disjunctive intenditur nullitas sacramenti, tum quia iteratio sacramenti facta ex inani dubio est quaedam ipsius irrisio”.⁴ Unde *RITUALE ROMANUM*, l. c., monet: “Hac tamen con-

⁴*Billuart*, De Baptismo, diss. 1, a. 5, Parisiis, 1904, t. 8, p. 407.

ditionali forma non passim aut leviter uti licet, sed prudenter; et ubi, re diligenter pervestigata, prudens dubium existat, num revera vel num valide Sacramentum Baptismi collatum fuerit.”

Caeterum in Decret. 3, tit. 42, c. 6 in fine et Decret. 5, tit. 9, c. 2 statuitur *poena irregularitatis*, quae vocari solet “*jonte reus*”, contra ministrum rebaptizantem, clericum assistentem et subjectum rebaptizatum, in casu reiterationis Baptismi sollemnis absque rationabili causa seu prudenti dubio de valore prioris Baptismi et nulla adjecta conditione.

Scriptura.

Tres affferri solent textus qui apud Patres ad initerabilitatem Baptismi referri dicuntur:

JOAN. 13, 10: “Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totius”.

Hunc textum ad Baptismum referunt Patres latini ut inde probent tum Apostolos suscepisse hoc sacramentum tum Baptismum esse initerabilem; ita ut sensus sic fere sonet: qui baptizatus est non indiget rebaptizari sed subsequentium remissionem peccatorum obtinebit per lavationem Poenitentiae cujus symbolum est lavatio pedum (cf. *Ambrosium*, De myst. 6, 31; In Lucam, 1. 8, n. 78; *Optatum Mil.*, De schism. Donat. 4, 4; 5, 3; *Augustinum*, De bapt. contra Donat. 2, 14, 19 infra cit.; In Joan., tract. 57, η. 1).

Hanc interpretationem respuit inter alios *Maldonatus* scribens: “Ego quidem Apostolos baptizatos fuisse non dubito; sed mihi non id videtur Christus hoc loco significare. Primum quia, si baptismum intellexisset, non exclusisset Judam, quem credendum est, fuisse quoque cum caeteris baptizatum. Deinde quia explicans causam Evangelista, quare Judam excepisset, non dicit, propterea eum non fuisse mundum, quia baptizatus non erat, sed quia eum erat traditurus. Denique exponens [c. 15, 3], quomodo Apostoli mundi essent, ait: ‘Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis’. De spirituali igitur Christus lotionem agit, qui spiritualiter mundus est, id est cui peccata jam remissa sunt, non indigere, nisi ut pedes lavet [i.e. ut peccata per poenitentiam abluat]; totum enim esse mundum, ut Graeci omnes auctores, Chrysostomus, Cyrillus, uterque Theodorus, Leontius, Theophylactus et Euthymius interpretantur . . . Sensus igitur est, eum, *qui lotus est*, totum fuisse jam mundatum; non opus esse, ut aut iterum baptizetur, aut ut remissa jam illi peccata iterum remittantur; si ea respicias, mundum esse totum; tantum videndum, ecquid pulveris, id est venialis, ecquid luti, id est mortalis culpa pedibus collegerit, *ut*

pedes lavet, ut agat poenitentiam, ut probet se ipsum, et sic de pane illo edat, et de calice bibat [1 Cor. 11, 28].”⁵

EPH. 4, 5: “Unus Dominus, una fides, unum baptisma”.

Incisi “unum baptisma” (quod refertur etiam a Cone. Const. I et Later. IV supra cit.) duplex praecipue allata est explicatio, altera de numerica, altera de specifica unitate Baptismi:

1. Baptismus est *unus numerice seu initerabilis* (ita *Cyrillus Hier.*, Procat. 7; *Ambrosius*, De Poenit. 2, 2, 8 infra cit.; *Optatus Mil.*, De schism. Donat. 5, 3 infra cit.; *Leo M.*, Epist. 37, 1; Epist 89, 7; *S. Thomas*, hic Sed contra).

2. Baptismus est *unus specificice*. Cujus unitatis iterum duplex afferitur explicatio:

a. Baptismus est unus in se et *unitate constitutionis*. Scilicet sicut in Ecclesia est una fides, suis immutabilibus constans articulis, ita est unum baptisma, in sua immutabili materia et forma a Christo constitutum; unde unicum verum baptisma est illud quod pertinet ad veram Ecclesiam nec datur duplex baptisma, alterum catholicorum, alterum haereticorum (ita *Tertullianus*, De bapt. 15 infra cit.; *Cyprianus*, Epist. 74, 11; *Optatus Mil.*, De schism. Donat. 5, 3). Ex hac veritate sequitur baptismum haereticorum vel non esse verum baptisma, et hoc falso concludebant Cyprianus, Rebaptizantes omnes et Donatistae, vel esse ipsum Baptismum Ecclesiae catholicae quamvis illegitime extra ipsam administratum, et hoc concludebant Augustinus et alii doctores qui rebaptismum impugnarunt.

b. Baptismus est unus quoad homines seu *unitate destinationis*. Scilicet sicut in Ecclesia est una fides ab omnibus profitenda ita est unus cultus seu unus Baptismus ab omnibus suscipiendus. Apostolus nempe in citata formula commendare intendit triplicem unitatem qua fideles vincuntur quaeque est veluti propria Christianorum tessera “Unus Dominus, una fides, unum baptisma”, eo modo quo theologi in tractatu De Ecclesia exhibent triplex praecipuum vinculum membrorum Ecclesiae sub nota formula “Unio fidei, communionis et regiminis”.

Haec ultima explicatio *magis congruit* textui et contextui Apostoli. Ad rem *Estius*:

“Quod catholici tradunt de baptismo non repetendo, licet verissimum sit, non tamen in hoc Apostoli loco fundatum videtur. Sicut enim unum baptisma dicit, sic et unam fidem; quae tamen et amitti potest, et amissa recuperari. Sic quoque de eucharistia loquens, *unum panem* dixit; quem tamen iidem fideles frequenter accipiunt. Unum igitur baptisma est ex mente Apostoli, quia sicut eadem credunt omnes

⁵Comm, in Joan. 13, 10, Moguntiae, 1863, t. 2, p. 809 sq.

fideles, ita et iisdem utuntur sacramentis veluti externis fidei symbolis, et ut S. Thomas loquitur, Ecclesiae insignibus; ac nominatim baptis-
mate, quod propria ac peculiari ratione fidei sacramentum a patribus
appellatur. Hanc baptismatis unitatem significavit 1 Cor. 1, dicens:
Nunquid in nomine Pauli baptizati estis? quasi dicat, minime: cum
Ecclesia praeter unum baptisma Christi, quod omnibus Christianis
commune est, nullum aliud agnoscat. Unde August, lib. 2. cont. lit.
Petii, cap. 27, unum baptisma interpretatur, quia baptisma Christi est,
non hominis. Nam si hominis esset baptisma, tot essent baptismata,
quot sunt baptizantes.”⁰

*HEBR. 6,4. 6: “Impossibile est enim, eos, qui semel sunt illuminati,
gustaverunt etiam donum coeleste et participes jacti sunt Spiritus
sancti . . . Et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam, rursus
crucifigentes sibimetipsis Filium Dei et ostentui habentes”* (cf. 10,26
sq.; 12, 16 sq.).⁷

Hujus textus, qui a theologis exponi solet in tractatu De Poenitentia,
quadruplex proposita est *explicatio*, inter quas una refertur ad *initerabi-*
lilitatem Baptismi:

1. Agitur *de poenitentia*, et quidem de ejus stricta *impossibilitate*
lapsis post Baptismum. *Ratio*: quaestio est de poenitentia iam bapti-
zatorum, ut patet tum ex verbis “qui semel sunt illuminati” tum ex
textu parallelo 10, 26 “voluntarie peccantibus”; vox “impossibile” ab-
solute ponitur; impossibilitas poenitentiae patet ex eo quod Apostolus
assimilat peccatum baptizatorum iteratae crucifixioni Filii Dei et male-
dictioni sterilis terrae (v. 7).

Tempore S. Cypriani hoc textu abutebantur *Novationi* qui se Ca-
tharos seu puros et mundos vocabant et lapsos post Baptismum, prae-
cipue apostatas, a poenitentia et venia repellebant. Doctores autem
catholici Novatianis ea verba obicientibus triplici sequenti expositione
respondent:

2. Agitur non de poenitentia sed de *Baptismo*, seu de *initerabilitate*
hujus sacramenti (necnon Confirmationis; de hac enim agitur in verbis
“participes facti sunt Spiritus sancti” sicut de Baptismo agitur in
inciso “qui semel sunt illuminati”).

Ratio: quaestio est de exhortatione ad Hebraeos conversos ex juda-
ismo, qui, propter mosaicam praxim se pluries abluendi, in hunc er-
rorem incidere potuerunt ut crederent ex repetitione Baptismi purifi-
cationem a peccatis se pluries suscipere posse; vox “renovari” ab

* Comm, in ep. ad Eph. 4, 5. Moguntiae, 1859, t. 2, p. 370 sq.

⁷ Cf. *Cornelium a Lapide*, In h. 1.; *Pesch*, De Poenitentia, n. 37; *Galtier*, De Poeni-
tentia, thes. 12, n. 200-202; *D’Alès*, De Poenitentia, thes. 2.

Apostolo Baptismo applicatur in epist. ad Titum, 3, 5 ubi de “lavacro regenerationis et renovationis”; verba “rursus crucifigentes . . . Filium Dei” referuntur ad symbolismum Baptismi de quo ad Rom. 6, 3 sq.; vox “poenitentia” refertur ad poenitentiam quae praecedit Baptismum de qua Apostolus loquitur immediate ante (v. 1); vox “impossibile” relata ad poenitentiam postbaptismalem contradiceret generali doctrinae Apostoli de remissione peccatorum (cf. v. g. 1 Cor. 5 de fornicario) et ipsi eius exhortationi ad poenitentiam quam Judaeis labentibus dirigit in hoc eodem loco (v. 9. 10). *Sensus* igitur Apostoli est: iis qui per apostasiam a fide deficiunt difficilior erit reditus et conversio ad Christum, eo quod non jam praesto erit medium tam facile et perfectum quale est Baptismus, quippe qui reiterari non possit.

Huic sententiae, quae gaudet probabilitate praecipue extrinseca cum sit antiquior et *communissima apud Patres* (cf. *Athanasium*, Ep. ad Serapion. 4, 3; *Epiphanium*, Haer. 59, 2; *Ambrosium*, De Poenit. 2, 2, 8 infra cit.; *Chrysostomum*, In Hebr., hom. 9, 2 sq.; *Damascenum*, De fide orth. 4, 9; *Petrum Lombardum*, In Hebr. 6, 4 sq.; S. *Thornam*, hic a. 9; q. 84, a. 10, ad 1; In Hebr. 6, lect.), praecipue opponitur a modernis quod non videtur convenire contextui; nam ratio ex qua Apostolus deducit impossibilitatem poenitentiae lapsis post Baptismum est abusus gratiae, non autem hic abusus sed alia est ratio quare Baptismus sit initerabilis, ergo Apostolus non agit de impossibilitate reiterationis poenitentiae baptismalis seu Baptismi.

3. Agitur de *poenitentia* non quidem stricte sed moraliter impossibili seu *valde difficili* non quibuscumque lapsis post Baptismi sed ingrattissimis, puta apostatis, qui post fidei illuminationem, spei futurae vitae consolationem et divinae charitatis delicias, iterum redeunt ad tenebras et mortiferum pabulum infidelitatis et Judaismi.

Ita *Lyra*, *Vasquez*, *Cornelius a Lapide* et *communiter moderni*.

Huic sententiae, etiam probabili, *opponitur* quod verbo αδύνατον (impossibile) arbitrarie denegatur significatio absoluta quam retinet in aliis textibus eiusdem epistolae (cf. 6, 18; 10, 4; 11, 6).

4. *Gallied* hanc novam explicationem magis, ut ait, textui consentaneam proponit: Judaeos lapsos a fide Christi, vel in periculum revertendi ad Judaismum versantes, impossibile est reducere ad Christi fidem vel in ea confirmare per *iteratam expositionem dementaris doctrinae* quae datur iis qui baptismo et fidei primo initiantur, uti est doctrina de baptismatibus, de manuum impositionibus, de resurrectione mortuorum et de iudicio aeterno, hanc enim doctrinam ipsi jam

⁴De Poenitentia, th. 12, n. 202, ubi ait se sequi vestigia *Htiyghe* (Comm. in ep. ad Hebr.), *Prat* (La théologie de Saint Paul, t. 1, p. 466. 597), *Davidson* (The epistle to the Hebrews), *II. v. Soden* (in collectione dicta Handcommentar).

perfecte norunt, sed potius oportet eos ad fidem reducere aut a recessu a fide praemunire per sublimiorem doctrinam de praestantia Christi prae Moyse et Aaron (quae est objectum totius Epistolae ad Hebraeos).

Huic sententiae, non improbabili, *opponi potest* novitas eius, defectus auctoritatum et immediatus sensus ipsius textus Apostoli in quo quaedam impossibilitas poenitentiae aut baptismalis aut postbaptismalis tam fortiter inculcari videtur.

Patres.

Initerabilitatem Baptismi docent tum *implicite* impugnando rebaptismum haereticorum (cf. De sacr. in gen., art. 39) tum *explicite*. Praecipuas *rationes*, in quibus ipsa fundatur, assignat praesertim *Augustinus*, i.e. perpetuam consecrationem (Contra epist. Parmen. 2, 13, 28 cit. in De sacr. in gen., art. 15, p. 276), cum impressione characteris (Contra epist. Parmen. 2, 13, 29 cit. ibidem), et effectum regenerationis (In Joan., tract. 11, 12, 2 infra, cit.). *Ambrosius* tertiam rationem symbolismi unius mortis Christi apte exponit (De poenit. 2, 6 sqq. infra cit.).

TERTULLIANUS, De bapt. 15: “Unus omnino baptismus est nobis, tam ei Domini Evangelio (Joan, iii), quam ex Apostoli litteris (Ephes, iv); quoniam unus Dominus et unum baptismum et una Ecclesia in Coelis . . . Haeretici autem nullum habent consortium nostrae disciplinae . . . quia non idem Deus est nobis et illis, nec unus Christus, id est idem. Ideoque nec baptismus unus, quia non idem. Quem cum rite non habeant, sine dubio non habent, nec capit numerari, quod non habetur; ita nec possunt accipere, quia non habent . . . Semel ergo lavacrum inimus, semel delicta diluuntur, quia ea iterari non oportet . . . Felix aqua quae semel abluit” (M.L. 1, 1324 sq.; cf. De sacr. in gen., art. 39, p. 489).

OPTATUS MIL., De schismate Donat. 5, 3: “Absit, ut iteremus, quod semel est, aut duplicemus quod unum est; sic enim scriptum est, Apostolo dicente; *unus Deus, unus Christus, una fides, una tinctio* (Ephes, iv, 5). Denique vos, qui baptisma quasi libenter duplicare contenditis, si datis alterum baptisma, date alteram fidem; si datis alteram fidem, date et alterum Christum; si datis alterum Christum, date alterum Deum” (M.L. 11, 1050).

AMBROSIUS, De poenit. 2, 2, 6-10: “Ad Hebraeos: *Impossibile est enim hos qui semel illuminati sunt . . . lapsos iterum renovari in poenitentiam . . .* Nunquid Paulus adversus factum suum praedicare potuit? Donavit Corinthio peccatum per poenitentiam (II Cor. ii, 40); quomodo hic potuit sententiam suam ipse reprehendere? [Nequaquam, sed ibi docet] iterandum non esse baptisma . . .

“De baptismo autem dictum verba ipsa declarant, quibus significavit impossibile esse lapsos renovari in poenitentiam; per lavacrum enim renovamur, per quod renascimur, sicut ipse Paulus dicit [Rom. 6, 4; Ephes. 4. 23 sq.] . . . Unum ergo baptisma docet, sicut alibi: ‘Una fides; unum, inquit, baptisma’ (Ephes, iv. 5).

“Illud quoque evidens, quod in eo qui baptizatur, crucifigitur Filius Dei; quia non potuit caro nostra abolere peccatum, nisi crucifixa esset in Christo Jesu . . . Ergo quod ait . . . impossibile esse *lapsos renovari in poenitentiam, rursus crucifigentes Filium Dei et ostentatione triumphantes* (Hebr. vi, 6), eo spectat, ut de baptismo dictum credamus, in quo crucifigimus Filium Dei in nobis; ut per illum

nobis mundus crucifigatur, qui quadam triumphamus specie, dum similitudinem ejus assumimus, qui principatus, et potestates in sua cruce ostentavit ac triumphavit; ut in mortis ejus similitudinem nos quoque de principatibus quorum deponimus, triumphemus. Semel autem crucifixus est Christus, semel peccato mortuus; et ideo unum, non plura baptismata” (M.L. 16, 518 sqq.).

AUGUSTINUS, De bapt. contra Donat. 2, 14, 19: “Quid sit autem perniciosius, utrum omnino non baptizari, an rebaptizari, judicari difficile est” (M.L. 43, 138 »).

Idem, *In Joan., tract. 11, 6:* “[Duae generationes, carnalis et spiritualis] singulae sunt; nec illa potest repeti, nec illa . . . Jam natus sum de Adam, non me potest iterum generare Adam: jam natus sum de Christo, non me potest iterum generare Christus. Quomodo uterus non potest repeti, sic nec Baptismus” (M.L. 35, 1478 »).

Idem, *ibid., tract. 12, 2:* “Regeneratio spiritualis una est, sicut generatio carnalis una est. Et quod Nicodemus Domino ait, verum dixit, quia non potest homo . . . redire rursus in uterum matris suae, et nasci . . . Sed sicut ad nativitatem carnalem valent muliebria viscera ad semel pariendum; sic ad nativitatem spiritualem valent viscera Ecclesiae, ut semel quisque baptizetur” (M.L. 35. 1484 »).

LEO M., Epist. 166, 1 ad Neonem: “Scimus quidem inexpiable esse facinus, quoties juxta haereticorum damnata a sanctis Patribus instituta, cogitur aliquis lavacrum, quod regenerandis semel tributum est, bis subire, apostolica reclamante doctrina, quae nobis unam praedicat in Trinitate Deitatem, unam in fide confessionem, unum in baptisate sacramentum (Ephes, iv, 5)” (M.L. 54, 1193 sq.).

CONCLUSIO

Sacramentum Baptismi Est Unum Unitate Numerica, Seu In Eodem Subjecto Iterari Non Potest.

Probatur. *EX QUATTUOR RATIONIBUS QUAE ADDUCUNTUR A S. THOMA*, quarum tres referuntur ad duplicem effectum Baptismi (i.e. *gratiam regenerantem ex peccato originali et characterem*), una vero ad symbolismum Baptismi (i.e. *imitationem mortis Christi*):

“Baptismus iterari non potest: *primo* quidem quia baptismus est quaedam *spiritualis regeneratio*, prout scilicet aliquis moritur veteri vitae, et incipit novam vitam agere . . . Unius autem non est nisi una generatio. Et ideo non potest baptismus iterari, sicut nec carnalis generatio . . . *Secundo* quia *in morte Christi baptizamur*, per quam morimur peccato, et resurgimus in novitatem vitae. Christus autem semel tantum mortuus est. Et ideo baptismus iterari non debet . . . *Tertio* quia baptismus imprimit *characterem* qui est indelebilis, et cum quadam consecratione datur. Unde sicut aliae consecrationes non iterantur in Ecclesia, ita nec baptismus . . . *Quarto* quia baptismus principaliter datur *contra originale peccatum*. Et ideo sicut originale peccatum non iteratur, ita etiam nec baptismus iteratur” (*in corp.*).

Dices contra secundam rationem. Etiam *Eucharistia*, et signantius quidem quam Baptismus, est repraesentativa et commemorativa passionis et mortis Christi, et tamen multoties iterari potest. Ergo saltem in hac repraesentatione nequit fundari initerabilitas Baptismi.

Resp. “Utrumque sacramentum, scilicet baptismi et Eucharistiae, est repraesentativum dominicae mortis et passionis, aliter tamen ei aliter: nam in baptismo commemoratur mors Christi, in quantum homo Christo commoritur, ut in novam vitam regeneretur; sed in sacramento Eucharistiae commemoratur mors Christi, in quantum ipse Christus passus exhibetur nobis, quasi paschale convivium, secundum illud 1 Corinth, v, 7: ‘Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur.’ Et quia homo semel nascitur, multoties autem cibatur, semel tantum datur baptismus, multoties autem Eucharistia” (*ad 5*).

ART. 9. Utrum Sacramentum Baptismi Sit De Necessitate Medii Ad Salutem In Re Vel In Voto, Secluso Privilegio Martyrii (q. 68, a. 1. 2. 3. 9).

STATUS QUAESTIONIS

Est quaestio de *altera proprietate* Baptismi, seu universali et absoluta *necessitate*, quae quamvis ex positiva legislatoris voluntate inducta fuerit tamen in ipso proprio effectu hujus sacramenti, qui est gratia regenerativa et incorporatio ad Christum, fundamentum habet.

Non agitur de necessitate existentiae, quae considerata est quoad sacramentum in genere in superiori tractatu (Cap. II), sed de *necessitate susceptionis*; unde plures doctores, ut S. *Thomas*, hanc quaestionem pertractant ubi de subjecto Baptismi. In superiori autem tractatu (art. 21) dictum est susceptionem sacramentorum esse ad salutem necessariam stricte vel moraliter juxta diversa sacramenta, susceptionem vero Baptismi esse stricte necessariam; cum autem, ut explicatur in tractatu De Ecclesia, stricta necessitas dividatur in necessitatem praecepti et necessitatem medii et haec in necessitatem medii in re et *necessitatem medii in re vel in voto*, quaeritur an hic ultimus modus necessitatis competat Baptismo. Quae quaestio intime connectitur cum quaestione de *necessitate ingrediendi Ecclesiam catholicam*, agitata a theologis in tractatu De Ecclesia.

Praedicta necessitas medii Baptismi intelligitur non tantum secundum legem communem et ordinariam sed *simpliciter et absolute*, ita ut excludat omnem suppositionem, puta adultae aetatis vel actualis peccati, quae requiruntur ad necessitatem sacramenti Poenitentiae, et omnem exceptionem, puta alterius medii salutis, secluso tamen privilegio martyrii cujus existentia probabitur in art. 17. Huic tamen absolutae Baptismi necessitati non obstaret *singularis sanctificatio alicujus in utero matris suae* (quemadmodum ante Baptismi legem

dicitur contigisse Jeremiae, J. Baptistae et S. Joseph); nam Deus totam virtutem suam sacramentis non alligavit nec caeterum talis sanctificatio esset privilegium quoddam generale et a Deo determinate constitutum, sicut est martyrium, sed merus casus particularis et accidentalis cujus existentia non nisi ex speciali revelatione probari posset et deberet (cf. infra resp. ad obj. 2).

In verbis “*in re vel in voto*” et “*secluso privilegio martyrii*” innuitur trina divisio baptismi fluminis, flaminis et sanguinis, de qua explicite erit sermo in Cap. VI.

PARS NEGATIVA

Inde ab initio Ecclesiae plures, quamvis non magni, errores *necessitatem* Baptismi vel saltem ejus *absolutam* necessitatem ex diversis principiis et ob diversas rationes impugnarunt.

1. *NECESSITATEM BAPTISMI REICIUNT:*

Qui negant ipsam *convenientiam* sacramentorum, ut *Archontici*, *Gnostici*, *Cathari*, *Fratricelli* alique de quibus dictum est in art. 3 et in superiori tractatu, art. 3.

Qui negant ipsam *existentiam* Baptismi, vel docendo Baptismum non esse a Christo institutum, ut *Modernistae* et *Protestantes liberales*, vel illum metaphoricè explicantes, ut *Sociniani* et *Quakeri*; de quibus dictum est in art. I.⁹

Qui negant *efficacitatem* Baptismi ex opere operato. Ex hac enim *Novatorum* negatione logice sequitur negatio necessitatis Baptismi. Si enim sacramentum est tantum signum professionis Christianae vel distinctionis a non Christianis, ut volunt *Sociniani* et *Zwingliani*, non intelligitur ratio quare per alia signa suppleri non possit; item si est efficax tantum ex opere operantis seu ex fide subjecti, ut volunt *Lutherani* et *Calvinistae*, non est ratio quare necessarium dicatur, cum fides quae sola justificat nullatenus ab eo dependeat.¹⁰ Attamen communiter Protestantes necessitatem Baptismi simpliciter negare ausi non sunt, sed tantum absolutam ejus necessitatem reiecerunt.

2. *ABSOLUTAM BAPTISMI NECESSITATEM IMPUGNARUNT* sequentes errores:

Pelagiani negantes existentiam peccati originalis, reiecerunt consequenter necessitatem Baptismi suscipiendi; cum tamen S. *Augustinus*, qui ipsos acriter impugnavit (cf. Serm. 294; C. Julian. 3, 3, 8; De

⁹De Socinianorum doctrina cf. *Tountcly*, De bapt., q. 2, a. 1.

¹⁰Cf. *Perrone*, De bapt., c. 5, in nota.

pecc. merit, et remiss., 1. 1 et 2; Haer. 40), eis obiceret verba Joan. 3, 5 “Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei”, inepte distinxerunt inter vitam aeternam et regnum caelorum ac docuerunt Baptismum esse omnibus necessarium tantum ad ingrediendum regnum caelorum, non vero ad deletionem peccati originalis (quod non existit) aut ad vitam aeternam (quam adultus consequitur propriis meritis); unde parvulos sine Baptismo morientes esse tantum a regno coelorum excludendos, non vero a vita aeterna quam consequuntur eo quod nulla peccati labe sint inquinati.

Calvinus (Inst, christ., c. 15) docet Baptismum non esse de necessitate medii sed *tantum praecepti*; cum enim non ordinetur ad tollendum peccatum originale et ad justificandum (justificatio enim a promissione divina dependet) sed tantum ad obsignandam divinam promissionem, si ejus susceptio non ex contemptu aut negligentia sed inculpabiliter omittatur, id nullatenus obstat saluti consequendae, sive in adulto sive in parvulo. Consequenter parvuli a parentibus Christianis nati, qui baptizari non possint, salutem obtinent eo quod filii Christianorum ad corpus Christi pertineant, juxta illud Apostoli, 1 Cor. 7, 14 “Filii vestri . . . sancti sunt”.

Plures Protestantes signanter necessitatem *Baptismi parvulorum* negarunt. *M. Bucerus* docuit Baptismum non esse necessarium parvulis eo quod parvuli praedestinati salvantur etiam sine Baptismo, non praedestinati vero etiam cum Baptismo damnantur. *Anabaptistae* docuerunt Baptismum parvulorum non tantum non esse necessarium sed nec validum et licitum, tum ob impossibilitatem justificationis parvulorum (peccatum enim originale non existit, peccati vero actualis parvuli sunt incapaces), tum ob impossibilitatem causae justificantis seu actus fidei. Hanc secundam rationem invocant moderni *Baptistae* ad eandem doctrinam defendendam.

Quidam theologi catholici conati sunt excogitare aliquod *extraordinarium medium* quo a Deo provideretur saluti parvulorum quibus susceptio Baptismi foret impossibilis (v.g. parvulorum in utero morientium). Ita *Bonaventura* (In 4 Sent., dist. 6, p. 2, a. 2, q. 1), *Durandus* (In 4 Sent., dist. 6, q. 1), *Jo. Gerson* (Serm. in Nat. B.M.V., consid. 2), *G. Biel* (In 4 Sent., dist. 4, q. 2, club. 2), *Cajetanus* (In q. 68, a. 2 et 11), *Bianchi* (De remedio aeternae salutis pro parvulis, Venetiis, 1768), *Klee* (Kathol. Dogmatik, t. 3, Bonn, 1835, p. 158), *Caron* (La vraie doctrine de l’Eglise catholique sur le salut . . ., Paris, 1855), *II. Vosen* (Der Katholizismus und die Einsprüche seiner

Gegner, Freiburg i. B., 1869, p. 352 sqq.), *Herm. Schell* (Kathol. Dogmatik, t. 3, Paderborn, 1893, p. 479 sq.).¹

Plures ex his doctoribus indeterminate loquuntur de quadam extraordinaria providentia divina in favorem praedictorum parvulorum: quidam vero, ut Cajetanus, Klee et Herm. Schell, magis determinant naturam hujus extraordinarii medii salutis.

Herm. Schell vult praedictos parvulos salvari ex opere operato per *quemdam Baptismum sanguinis*, quatenus eorum praematura mors, cum non debeatur eis ob peccatum personale sed sit sequela peccati originalis, est quaedam imitatio mortis Christi, ac ideo computetur eis ad salutem ut aequivalens quoddam martyrium.

Klee docet tales infantes salvari ex opere operantis per *quemdam Baptismum fluminis*, quatenus per specialem illuminationem divinam fiunt capaces eliciendi actum caritatis et conversionis ad Deum.

Cajetanus, caeteris celebrior, docet in casu necessitatis sufficere parvulis *solam fidem parentum* seu Baptismum in voto parentum praecipue cum aliquo signo exteriori ut oblatione parvuli cum invocatione Trinitatis.

“In casu necessitatis, inquit, ad salutem puerorum sufficere videtur baptismus in voto parentum: praecipue cum aliquo exteriori signo. Moveor autem ad hoc, primo, ex auctoritate Gregorii dicentis, apud Magistrum Sententiarum, in i dist. Quarti, et *de Consecr.*, dist. IV: ‘Quod apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificii, vel pro his qui ex Abrahae stirpe prodierunt mysterium circumcisionis’. Hinc enim arguo. Fides sola veterum non fuit maioris virtutis apud veteres quam apud nos. Ac per hoc, non plus potuit, necessitatis urgente articulo, subvenire tunc quam nunc. Sed tunc, deficiente parvulis proprio salutis auxilio, parentum fides pro parvulo sola sufficiebat. Ergo nunc, quando parvulo deest proprium salutis remedium, quod est baptisma, sola parentis fides, parvulum Deo offerens, sufficit ad salutem parvuli . . . Et sic parvulus ex baptismo fluminis voto parentis suscepto salvaretur, si impossibile esset ipsum baptizari aqua. Debet autem in tali casu parens signo crucis infantem cum invocatione Trinitatis munire, sicque Deo offerre morientem in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti” (In q. 68, a. 1 et 2, n. 1 et 2).

“Dicendum, sub correctione tamen, [i.e. salvo meliori iudicio], parvulos in maternis uteris periclitantes posse salvari: sicut superius dixi-

¹Cf. *Diet. Thiol. Cath.*, art. Baptême, col. 364-366; *D'Alès*, De bapt, th. 12, in Scholion 2; *Perrone*, De bapt., c. 5, obj., ad 4, in nota; *Trontbelli*, De sacr., diss. 7, q. 2, c. 1 sqq.

mus de infantibus qui non possunt baptizari. Posse autem salvari dico per sacramentum baptismi, non in re, sed in voto parentum susceptum, cum aliqua benedictione proles seu oblatione ipsius ad Deum, cum invocatione Trinitatis.

“Moveor autem ad hoc duplici ratione. Una est, rationabile esse ut divina misericordia providerit homini in quocumque naturali statu de aliquo remedio salutis, ita ut nullum reliquerit statum potentem allegare impossibile esse sibi salutis remedium. Esset autem sine omni remedio derelictus status morientium in utero, nisi parentum fides illis posset subvenire: salus enim quae potest a Deo infanti in utero conferri ex speciali privilegio, non spectat ad remedium illius status, quoniam infra ordinem divinorum miraculorum concluditur.

“Secundo, ex eo quod status ille est capax baptismi sanguinis. Si enim propter Christum infans in utero occideretur, martyr esset, non minus quam Innocentes. Rationabile siquidem videtur parentum fidem posse optando perducere ad id ad quod corporalis passio infantem ducit” (ibidem, a. 11).

Quaedam restrictio necessitatis Baptismi continetur etiam in sententia illorum theologorum (cf. art. 2, Conci. 2) qui volunt promulgationem Evangelii nondum esse absolutam pro omnibus populis ita ut quibusdam gentilibus Baptismus nondum sit unicum medium salutis eorumque parvuli salvari possint ex remedio naturae ante Christum institutum ad remissionem peccati originalis.

PARS AFFIRMATIVA

Nota Theologica.

Baptismum esse de lege communi et ordinaria omnibus, etiam parvulis, necessarium ad salutem est *de fide definita* a Cone. Trid., sess. 7, can. 5 de Bapt. et sess. 5, can. 4.

Baptismum esse de omni lege et absolute necessarium ita ut nullum detur privilegium, praeter martyrium, quo saltem parvuli in casu impossibilitatis excipiantur a tali lege, non est de fide, quia id non directe continetur in definitione tridentina. Contrarium tamen sine *nota temeritatis* sustineri non potest, *tum* quia non videtur componi posse cum his verbis *Cone. Florentini*: “Cum ipsis [parvulis] non possit *alio remedio* subveniri, nisi per sacramentum baptismi” (Denz. 712), *tum* quia opponitur modo absoluto quo Baptismi necessitas praedicatur in documentis Ecclesiae, *tum* quia introducit aliquid novi in re fidei sine sufficienti fundamento. A quibusdam theologis haec sententia gravius iudicatur; a *D. Soto* (In 4 Sent., dist. 5, q. unica, a. 2) dicitur haeretica; ab aliis (ut *Billot, Hugon, Tanqueray*) erronea; a *Suarez* “valde

aliena a sensu et dogmatibus ecclesiae, et ideo ut minimum temeraria et errori proxima” (De bapt., disp. 27, sect. 3, n. 3).

Accedit quod sententia *Cajetani* suspecta visa est pluribus Patribus Cone. Trid., in quo a speciali commissione theologorum sequens propositio proposita est damnanda: “Pueros in uteris maternis per invocationem Trinitatis et benedictionem salvari”;¹² praeterea quamvis opera quorundam theologorum, damnatio non sit secuta, opinio tamen Cajetani subinde ab *editione romana* ejus commentarii expuncta est jussu Pii V. Citatum autem opus *Herm. Schell* relatum est in Indicem a. 1898 (auctor suam sententiam retractavit).

Documenta Ecclesiae.

Cone. Carthaginense a. 252, in Epist. 59, 2 *Cypriani* ad Fidum, statuit: “Quantum vero ad causam infantium pertinet, quos dixisti intra secundum vel tertium diem quo nati sint constitutos baptizari non oportere, et considerandam esse legem (*Gen.* xvii, 12) circumcisionis antiquae, ut intra octavum diem eum qui natus est baptizandum et sanctificandum non putares, longe aliud in concilio nostro omnibus visum est. In hoc enim quod tu putabas esse faciendum nemo consensit, sed universi potius judicavimus nulli homini nato misericordiam Dei et gratiam denegandam” (M.L. 3, 1050 sq.).

Siricius P. ad Himerium Episc. Tarracon. a. 385 (Epist. 1, 2, 3): “Infantibus, qui necdum loqui poterunt . . . sacri unda baptismatis omni volumus celeritate succurri” (M.L. 13, 1135).

Cone. Milevitanum II a. 416 ab Innocentio I approbatum et *Cone. Carthag.* a. 418 a Zosimo approbatum, in can. 2 definiunt *contra Pclagianos* utilitatem Baptismi *parvulorum*. Hic canon ex integro refertur in definitione tridentina mox citanda.

CONC. FLORENTINUM, Decr. pro Armenis: “Cum per primum hominem mors introierit in universos; nisi ex aqua et Spiritu renascimur, non possumus, ut inquit Veritas, in regnum coelorum introire” (Denz. 696).

Idem, *Decr. pro Jacobitis*: “Circa pueros . . . propter periculum mortis, quod potest saepe contingere, *cum ipsis non possit alio remedio subveniri*, nisi per sacramentum baptismi, per quod eripiuntur a diaboli dominatu et in Dei filios adoptantur, admonet, non esse per quadraginta aut octoginta dies seu aliud tempus iuxta quorundam observantiam sacrum baptisma differendum; sed *quamprimum* commode fieri potest, debere conferri: ita tamen, quod mortis imminente periculo mox sine ulla dilatione baptizentur, etiam per laicum vel mulierem, in forma Ecclesiae, si desit sacerdos” (Denz. 712).

¹² Cf. *Acta*, ed. Goerres, t. 5, p. 867, 32; *Pallavicini*, Hist. Cone. Trid. 9, S.

CONCILIUM TRIDENTINUM:

In *scss. 7, can. 4 de sacr. in gen.*, genericam utilitatem et necessitatem sacramentorum definit (Denz. 847, cit. in superiori tract., p. 340).

Ibid., *can. 5 de Bapt.*, definit modo absoluto necessitatem Baptismi: "Si quis dixerit, baptismum liberum esse, hoc est non necessarium ad salutem: A.S." (Denz. 861).

In *scss. 6, cap. 4*, docet: "Translatio [a statu peccati originalis ad statum gratiae] post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut eius voto fieri non potest, sicut scriptum est: 'Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei'" (Denz. 796).

Ibid., *cap. 7*, docet quod justificationis causa "instrumentalis [est] sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit iustificatio" (Denz. 799). Ubi necessitas Baptismi parvulorum implicite saltem praedicatur.

In *scss. 5, can. 4*, solemniter repetit ad verbum definitionem Cone. Mil. et Carthag. addens tantum mentionem *parvulorum a parentibus Christianis* generatorum: "Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam, unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur: A.S.

"Quoniam non aliter intelligendum est id, quod dicit Apostolus: Ter unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt [Rom 5, 12], nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. 'Visi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei' [Io 3, 5]" (Denz. 791).

Catechismus Cone. Trid., p. 2, c. 2, q. 30: "Nihil magis necessarium videri potest, quam ut doceantur fideles, omnibus hominibus baptismi legem a Domino praescriptam esse ita, ut, nisi per baptismi gratiam Deo renascantur, in sempiternam miseriam et interitum a parentibus, sive illi fideles, sive infideles sint, procreentur. Igitur saepius a pastoribus explicandum erit, quod apud evangelistam legitur: 'Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei'."

Rituale Romanum, t. 2, c. 1, n. 1: “Sacrum Baptisma . . . *omnibus in re vel saltem in voto* necessarium esse ad salutem ipsa Veritas testatur illis verbis: ‘Nisi quis . . .

Pius X in Decr. “Lamentabili”, prop. 42 sq. (Denz. 2042 sq., cit. in p. 20), damnat Modernistas docentes necessitatem Baptismi et usum infantes baptizandi non a Christo sed ab Ecclesia inducta esse.

Codex J.C., can. 737, § 1: “Baptismus, Sacramentorum ianua ac fundamentum, *omnibus in re vel saltem in voto necessarius ad salutem*”.

Necessitatem Baptismi *supponunt documenta* citanda in art. 10, ubi de *fructuositate* Baptismi parvulorum.

Scriptura.

Necessitas Baptismi continetur directe in *Joan. 3, 5* et *Marc. 16, 16*. indirecte in *Matth. 28, 19*, implicite in variis locis, ut exponetur in Conci. 1, Prob. 1.

Patres.

Necessitatem Baptismi modo absoluto docent et contra haereticos defendunt (cf. Tertullian., *De bapt.* 12-14), constanter provocantes ad verba Scripturae, praecipue *Joan. 3, 5* (cf. textus infra). Docent in N.T. jam *non sufficere solam fidem* sed requiri etiam Baptismum (cf. Tertullian. infra cit.). Necessitatem Baptismi *comparant necessitati ipsius fidei* juxta illud Apostoli, *Eph. 4, 5*: “Unus Dominus, una fides, unum baptisma” (cf. Tertull. et Cyrillum Hier, infra cit.; Ambrosium. *De mysteriis*, 4, 20 cit. in art. 3, Conci. 2, p. 44). *Comparant* verba *Joan. 3, 5* comminationi exclusionis a populo salutis de qua in *Gen. 17, 14* (cf. Ambrosium, *De Abraham*, 2, 11. 79. 84; Basilium infra cit.; tractat. *De sacr. in gen.*, art. 14, p. 236 et 240). Tantopere Baptismi necessitatem *extollunt* ut Augustinus (infra cit.) dicat omnia opera bona quamtumvis perfecta *nihil catechumenis proficere* nisi Baptismum ipsi suscipiant et quidam, ut Hermas, Clemens Alex, et Origenes, inepte quidem ut dictum est in superiori tractatu (p. 344), docuerint etiam *justos A.T. in inferis a Christo baptizari* debuisse.

Hanc absolutam necessitatem Patres ad *parvulos* explicite extendunt ac de ea tamquam de re fidei loquuntur (cf. Augustinum, Fulgentium, Innocentium I, Gelasium I infra cit.; Gregorium Naz., *Orat.* in bapt. 23; Gregorium M., *Epist.* 52). Propterea parvulos *quamprimum baptizandos* praescribunt (cf. Cyprianum, *Epist.* 59, 2 supra cit. inter doc. Ecclesiae).

Irenaeus, Adv. haer. 2, 22, 4: “Omnes venit per semetipsum salvare, omnes, inquam, qui per eum renascuntur in Deum, infantes, et par-

vulos, et pueros, et iuvenes, et seniores” (M.G. 7, 784; cf. *ibid.*, 3,17, 2 cit. in art. 7, p. 47).

Tertullianus, De bapt. 12 sq.: “Praescribitur nemini sine baptismo competere salutem, ex illa maxime pronuntiatione Domini, qui ait: ‘Nisi natus ex aqua quis erit, non habet vitam’ (*Joan*, iii) . . . Hic ergo scelestissimi illi [Quintilliani et Caiani] provocant quaestiones. Adeo, dicunt, baptismus non est necessarius, quibus fides satis est: nam et Abraham nullius aquae nisi fidei sacramento Deo placuit (*Gen.* xv). Sed in omnibus posteriora concludunt, et sequentia antecedentibus praevalent. Fuerit salus retro per fidem nudam ante Domini passionem et resurrectionem. At ubi fides aucta est credenti in nativitatem, passionem, resurrectionemque ejus, addita est ampliatio sacramento, ob-signatio baptismi, vestimentum quodammodo fidei, quae retro erat nuda, nec potentiam habuit sine sua lege. Lex enim tingendi imposita est, et forma praescripta. *Ite, inquit, docete nationes, Ungentes eas in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* xxviii, 19). Huic legi collata definitio illa: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non intrabit in regnum coelorum* (*Joan*, iii, 5), obstrinxit fidem ad baptismi necessitatem. Itaque omnes exinde credentes tinguebantur” (M.L. 1, 1321-1324).

Origenes, Comm. in Rom., I. 5, n. 9: “Ecclesia ab apostolis traditionem suscepit etiam parvulis baptismum dare; sciebant enim illi, quibus mysteriorum secreta commissa sunt divinorum, quod essent in omnibus genuinae sordes peccati, quae per aquam et Spiritum ablui deberent” (M.G. 14, 1047; cf. *In Levit.*, hom. 8, 3).

Cyprianus, Epist. ad Fidum, 59, 2 supra cit. inter documenta Ecclesiae.

Cyrillus Hier., Catech. 3, n. 4: “Qui in aquam descensus es, ne ad elementi vilitatem attende, sed Spiritus Sancti efficacia salutem suscipe; nam *sine ambobus salutem consequi non potes*. Non ego sum, qui haec dico, sed Dominus Iesus Christus, qui huius rei potestatem habet; dicit enim: *Nisi quis . . .*” (M.G. 33, 430).

Ibid., n. 10: “Si quis baptismum non recipiat, salutem non habet, *solis martyribus exceptis*, qui etiam sine aqua regnum recipiunt” (M.G. 33, 440).

Basilus, Horn, in sane, bapt., n. 2: “Iudaeus *circumcisionem* non differt propter *comminationem illam*: ‘omnis anima, quae non circumcidetur die octavo, peribit de populo suo’, tu vero *circumcisionem* non manu factam, sed quae per baptismum in expoliatione carnis perficitur,

differs, posteaquam Dominum ipsum audivisti: 'Arnen, amen dico vobis, nisi quis . . . Tu nisi per aquam transieris, ab amara diaboli tyrannide non separaberis' (M.G. 31, 427).

Ambrosius, De myst., 4, 20 cit. in art. 3, Conci. 2, p. 44.

Idem, *De Abraham, 2, 11, 79. 84*: "Nemo ascendit in regnum coelorum, nisi per sacramentum baptismatis . . . 'Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei' (*Joan.* iii, 5). Utique *nullum excipit, non injantem, non aliqua praevenum necessitate*" (M.L. 14, 519. 521).

Augustinus, Epist. 166, 7, 21: "Quisquis dixerit quod in Christo vivificabuntur etiam parvuli qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto et contra apostolicam praedicationem venit, et totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur et curritur, quia *sine dubio creditur aliter eos in Christo vivificari omnino non posse*. Qui autem non vivificatur in Christo, restat ut in ea condemnatione maneat de qua dicit Apostolus: Ter unius delictum in omnes homines ad condemnationem' (*Rom.* v, 18)" (M.L. 33, 730).

Idem, *De anima, 3, 9, 12*: "Noli credere, nec dicere, nec docere. 'Infantes antequam baptizentur *morte praevenos*, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum', *si vis esse catholicus*" (M.L. 44, 516).

Idem, *De pecc. merit, et remiss. 1, 16, 21*: "Potest . . . recte dici, parvulos sine Baptismo de corpore exeuntes in damnatione omnium mitissima futuros. Multum autem fallit et fallitur, qui eos in damnatione praedicat non futuros" (M.L. 44, 120).

Idem, *In Joan., tract. 13, c. 3, n. 7*: "Ne quis arrogans quod habeat abundantiam alicujus gratiae, dedignetur baptizari baptismo Domini. Quantumcumque enim *catechumenus* proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suae portat: non illi dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum" (M.L. 35, 1436).

Leo M., Epist. 16, 5: "Unde quia manifestissime patet baptizandis in Ecclesia electis haec duo tempora Paschae et Pentecostes, de quibus locuti sumus, esse legitima, dilectionem vestram monemus ut nullos alios dies huic observantiae misceatis. Quia etsi sunt alia quoque festa, quibus multa in honorem Dei reverentia debeat, principalis tamen et maximi sacramenti custodienda nobis est mystica et rationalis exceptio non interdicta licentia, qua in baptismo tribuendo quolibet tempore periclitantibus subvenitur. Ita enim ad has duas festivitates connexas sibimet atque cognatas, incolumium et in pacis securitate degentium

tum nosse potuerint. Quid festinat innocens aetas ad remissionem peccatorum? Cautius agetur in saecularibus, ut cui substantia terrena non creditur, divina credatur; norint petere salutem, ut petenti dedisse videaris {*De bapt. 18*, M.L. 1, 1330 sq.).

2. *ABUSUS* qui saec. 3 et 4 invaluit *differendi Baptismum* ad proveciorem aetatem, imo usque ad finem vitae. Qui abusus a *Tertulliano* his verbis commendatur: "Baptismum non temere credendum esse sciunt, quorum officium est . . . Immo illud potius perspiciendum: 'Nolite dare sanctum canibus' {*Luc. vi*), et 'porcis projicere margaritas vestras' {*Matth. vii, 6*), et 'Manus ne facile imposueris, ne participes aliena delicta' {*I Tim. v, 22; Act. viii*) . . . Itaque pro cujusque personae conditione ac dispositione, etiam aetate cunctatio baptismi *utilior* est: praecipue tamen circa parvulos . . . Non minore de causa *innupti quoque procrastinandi*, in quibus tentatio praeparata est tam virginibus per maturitatem, quam viduis per vagationem, donec aut nubant, aut continentiae corroborentur. Si qui pondus intelligant baptismi, magis timebunt consecutionem quam dilationem: fides integra secunda est de salute" {*ibid.*}.

Referunt *Constantinum Magnum* usque ad finem vitae suae Baptismum distulisse (cf. Ambrosium, Orat. de obitu Theodosii, n. 40): S. *Ambrosium* adhuc catechumenum fuisse cum ad episcopatum vocatus est (cf. Vitam S. Ambrosii, auctore Paulino, n. 7. 9); S. *Martinum* per octo annos catechumenum mansisse (cf. Sulpic. Sever., De B. Martini Vita Liber, c. 1).

3. *ANTIQUUS USUS* Ecclesiae conferendi Baptismum in solemnioribus festis, praecipue in pervigilio Paschae et Pentecostes (cf. *Leonem M.*, Ep. 16, 5 supra cit.), et *hodierna etiam praxis Baptismi adultorum* quae plures importat restrictiones (cf. *Rituale Rom.*, t. 2. c. 3, nn. 1-5).

ETENIM:

1. Praedicta *severitas* fundamentum habuit non in negatione vel dubitatione necessitatis Baptismi pro parvulis sed in nimia sollicitudine de majori fructu ex Baptismo consequendo; unde a nemine dubitabatur in casu necessitatis statim Baptismum conferendum esse, momente ipso *Tertulliano*: "Caeterum omnis dies Domini est, omnis hora, omne tempus habile baptismi: si de solemnitate interest, de gratia nihil refert" {*ibid. 19*}.

Ceterum, talis severitas, impugnata ab aliis Patribus, ut *Cypriano* supracitato, complete *expuncta est*, praecipue postquam *Augustinus* contra Pelagianos necessitatem et utilitatem parvulos baptizandi strenue defendit et dilucide exposuit.

2. Praedictus *abusus* circa finem saec. 4 similiter expunctus est. *Ratio* autem differendi Baptismum non fuit dubitatio de ejus necessitate, sed apud quosdam fuit *mala carnis prudentia*, i.e. affectus ad peccatum et mundanas consuetudines, fuga ab obligationibus ex Baptismo exsurgentibus, timor canonicarum poenarum quae lapsis post Baptismum in publica poenitentia imponebantur; apud alios vero fuit *male intellecta prudentia spiritus*, i.e. cura melioris ac longioris praeparationis, desiderium fructuosioris susceptionis sacramenti, timor aliquid amittendi de gratia baptismali vel ab ipsa per peccatum excidendi praecipue in juvenili aetate cum magis passiones effervescent, desiderium obtinendi in fine vitae completam remissionem peccatorum et poenarum temporalium ac vitam aeternam securius et citius ingrediendi.

Ceterum, in quibusdam casibus sanctis viris potuit esse ratio sufficiens Baptismum longius differendi, quae nobis latet, proveniens v.g. ex conditionibus socialibus vel familiaribus et ex periculo persecutionis; etiam nunc imminens periculum persecutionis ratio esse potest Baptismum differendi, ut si adolescens minor natu ob Baptismi susceptionem a parentibus reiceretur et mediis sustentationis privaretur.

3. *Usus* conferendi Baptismum in statutis diebus, vel requirendi in adultis aptam praeparationem, ratio congruentissima est solemnitas et reverentia sacramenti vel sollicitudo de dignitate subjecti et de fructu consequendo, ut fusius dicitur in Nota post Conci. 2. Haec tamen ratio est essentialiter subordinata supremae rationi necessitatis sacramenti; unde in casu urgenti Baptismus sine ulla solemnitatis restrictione confertur (cf. *Tertullianum*, De Bapt., 19 nuper cit.; *Leonem M.*, Ep. 16, 5 supra cit.; *Codicem J.C.*, can. 770-772; *Rituale Rom.*, t. 2, c. 1, n. 39; c. 3, n. 4 et 5).

CONCLUSIO

Conclusio 1. Sacramentum Baptismi Est Omnibus Ad Salutem Necessarium Necessitate Medii In Re Vel In Voto, Parvulis Quidem in Re, Adultis Vero In Re Vel Voto; Nec Aliud, Praeter Martyrium, Salutis Medium Relinquitur.

Ad hanc conclusionem probandam sufficit ostendere Baptismum esse de *necessitate medii*; ex dicendis autem in Cap. VI de sufficientia martyrii et actus contritionis cum voto Baptismi, sequitur hanc necessitatem Baptismi admittere *unam exceptionem* (i.e. martyrium) atque esse intelligendam *in re vel in voto* quoad adultos et in re tantum quoad parvulos qui actus contritionis sunt incapaces.

Probatur 1. *EX SCRIPTURA.*

1. Baptismi necessitas *implicite* continetur in textibus relatis in art. 7 (v.g. Tit. 3, 5; Eph. 5, 26; Gal. 3, 27; Rom. 6, 3-6; Col. 2, 11-13) in quibus effectus Baptismi dicitur esse *regeneratio et incorporatio ad Christum*; ¹³ haec enim omnibus absque distinctione sunt necessaria. Item probabiliter (cf. art. praec. ubi de Scriptura) Baptismi necessitas involvitur in verbis Apostoli, Eph. 4, 5 “Unus Dominus, una fides, *unum baptisma*”, quatenus in his communitas seu participatio omnium fidelium in eadem fide et in eodem Baptismo praedicetur (cf. 1 Cor. 12, 13).

2. Verba *Matth. 28, 19* “Docete omnes gentes, baptizantes eos”, si conferantur et compleantur per textum parallelum *Marc. 16, 16*, *indirecte* important non solum necessitatem praecepti, ut dicitur in Conci. 2, sed etiam universalem necessitatem medii Baptismi.

Nec valet opponere hanc obligationem tantum ad adultos dirigi qui soli capaces sunt doctrinae. Dirigitur *enim* universaliter ad omnes homines juxta eorum capacitatem, parvuli autem sunt subjectum capax sacramenti quamvis non doctrinae.¹⁴

3. *Marc. 16, 16*: “Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.” Hic necessitas utriusque medii ad salutem, i.e. fidei et Baptismi, pari firmitate et universalitate proponitur.

Inepte autem *Calvinistae* ex omissione mentionis Baptismi in secundo membro textus (“qui non crediderit, condemnabitur”) *arguunt* necessitatem Baptismi non solum non proponi sed potius aequivalenter negari et solam fidem sufficere ad salutem doceri. *Etenim* ipsa prima pars textus quae formaliter est affirmativa (“Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit”) importat aequivalenter secundam partem negativam (“qui non crediderit et baptizatus fuerit, condemnabitur”) etiam si haec complete omitteretur; unde est quod evangelista sollicitus non fuerit de hac complenda.

Ad rem *Maldonatus*: “Fingamus tantum dixisse Christum: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*: neque secundam sententiae partem addidisse, quis non videret, non solum fidei, sed etiam baptismo salutem tribui, cum pariter idem et eodem modo de utroque dicitur: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*: Adde, quod non dixit: Qui crediderit, et qui baptizatus fuerit, salvus erit; quod si dixisset, videri poterat significasse alterutrum, aut fidem solam, aut

¹³ Cf. objectiones *Socinianorum* apud *Tournely*, De bapt., q. 2, a. 1.

¹⁴ Alias objectiones *Socinianorum* contra vim hujus textus solvit *Tournely*, ibid.

baptismum solum ad salutem satis esse, quia per disjunctionem dictum intelligi poterat, sed dixit: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*, quod cum per disjunctionem intelligi non possit, utrumque adeo ad salutem necessarium esse significatur, ut si alterum, sive fides, sive baptismus desit, nemo salvus esse possit.

“Cum ergo verba sequentia nihil prioribus detrahant, non potest ea esse ratio, cur Christus secundum membrum non repetiverit, quod baptismus non esset necessarius. Nam si in priore sententiae parte baptismus salutis causa esse dicitur, et in posteriori defectus baptismi condemnationis causa esse significabitur. Cum idem Christus dicit [Matth. 19, 17]: *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, recte colligitur eum, qui mandata non servaverit, ad vitam ingredi non posse, ergo et cum dicit: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*: recte colligitur: ergo qui non crediderit vel baptizatus non fuerit, condemnabitur.’”

4. *JOAN. 3, 5*: “Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.” Quod in hoc textu agatur de Baptismo aquae vindicatum est contra Calvinum in art. 1. In eo autem praedicatur:

a. *Necessitas universalis*, ita ut nemo, nec parvulus, excipiatur. Id *patet* ex forma generali “Quis”, exceptio autem pro parvulis aliunde probari non potest. *Confirmatur tum* ex eo quod subjectum praecepti ponitur in tertia persona “Quis”, non vero in secunda “Vos” ex quo sensus coarctari posset ad solos adultos, *tum* ex verbis subsequentibus quibus Christus videtur reddere rationem quare Baptismus sit necessarius quaeque etiam ad parvulos referuntur: “Quod natum est ex carne, caro est, et quod natum est ex spiritu, spiritus est”, i.e. qui natus est ex carne est tantum caro absque spiritu gratiae et ideo suscipere debet Baptismum ad illum spiritum consequendum.

b. *Necessitas medii*. Id patet ex ipsa ratione universalis necessitatis; parvuli enim necessitate praecepti ligari nequeunt.

c. *Necessitas medii absoluta*, ita ut omne aliud medium salutis excludatur quod aliunde explicite probari non possit quemadmodum probatur existentia medii martyrii vel actus contritionis. Id *patet* ex ipsa forma absoluta verborum “Nisi quis renatus fuerit ex aqua . . . non potest . . .” *Confirmatur tum* ex forma propositionis universalis negantis, adeoque exceptionem excludentis, *tum* ex ipso contextu in quo generatio spiritualis per Baptismum implicite comparatur generationi naturali ex parentibus ex quibus tantum haec generatio obtineri potest, *tum* ex Mare. 16, 16 ubi necessitas Baptismi comparatur necessitati ipsius fidei quae nullo alio medio suppleri potest. *Cacterum*, si aliquod

"Comm., in Evang., t. 1, In Mare. 16, 16, Moguntiae, 1862, p. 624. Cf. *De Augustinis*, De sacr. in gen., thes. 6.

dubium maneret de affirmatione talis necessitatis in Joan. 3, 5, interpretatio Traditionis illud complete expelleret.

Probatur 2. EX COMMUNI SENSU ET PRAXI ECCLESIAE.

Patres, quamvis formula moderna “necessitas medi in re vel in voto, secluso privilegio martyrii” non utantur, eandem tamen doctrinam diserte et constanter profitentur dum necessitatem Baptismi modo absoluto praedicant, ad infantes omnes etiam extendunt et solum casum martyrii excipiunt (cf. dicta in Parte Affirm.).

Eadem doctrina implicite docetur in *constanti et communi Ecclesiae praxi* urgendi sollicitam collationem Baptismi parvulorum (cf. *Augustinum*, Ep. 166, 7, 21 supra cit.; Nota post Conci. 2); Baptismum conferendi in casu necessitatis absque ea ritus solemnitate quae in ordinariis adjunctis stricte observabatur (cf. *Leonem M.*, Ep. 16, 5 supra cit.); permittendi ejus administrationem quibuslibet ministris, etiam infidelibus, haereticis, laicis et mulieribus, quibus ordinarie prohibetur; reiterandi sacramentum sub conditione ex quolibet rationabili dubio de collatione vel valore prioris Baptismi.

Ipsi *Pelagiani*, quamvis peccatum originale negarent, tali Ecclesiae sensui et praxi contradicere ausi non sunt, sed Baptismum conferebant ac necessarium dicebant ad consequendum regnum caelorum etsi non ad deletionem peccati originalis et vitam aeternam; imo *Augustinus* (cf. *Contra duas epist. Pelag.* 2, 11) ex ipso Baptismo parvulorum, quem Pelagiani reicere non audebant, argumentum petebat ad probandam contra ipsos existentiam originalis peccati.

Probatur 3. **EX EFFECTU BAPTISMI**, seu ex duplici ratione incorporationis ad Christum et spiritualis regenerationis.

1. *Incorporatio ad Christum*, ut dictum est in art. 7, est proprius et exclusivus effectus Baptismi, salvo peculiari jure martyrii et actus contritionis cum voto Baptismi. Atqui nemo salutem consequi potest absque incorporatione ad Christum, juxta illud *Act. 4, 12*: “Non est in alio aliquo salus: nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.” Ergo nemo salutem consequi potest absque Baptismo.

Nota cum S. Thoma (a. 1, ad 7) incorporationem ad Christum, quae est essentialis conditio salutis, dupliciter fieri: per *fidem* in Christum et per signum protestativum illius seu *sacramentum fidei*, vel si placet per fidem protestatam in sacramento visibili. Utrumque medium semper necessarium fuit, sed unum immutabiliter, aliud mutabiliter: fides enim immutabilis est, sacramentum vero mutabile. Unde in tribus statibus legis naturae, mosaicae et Christianae, fide immutata manente, tria diversa ejus signa seu sacramenta se successerunt, remedium

nempe naturae, Circumcisio et Baptismus. Cujus mutationis ratio fuit quia alio signo manifestanda est fides rei praesentis et fides rei proxime vel remote futurae, sicut aliis verbis significatur praesens, praeteritum et futurum. Quapropter ex duobus mediis incorporationis ad Christum, quae nunc habemus, fides semper fuit necessaria, Baptismus vero non semper, sed aliquod sacramentum fidei.

2. *Spiritualis regeneratio*, seu prima collatio vitae supernaturalis, est proprius et exclusivus effectus Baptismi, salvo peculiari jure martyrii et actus contritionis cum voto Baptismi. Atqui absque spirituali regeneratione nemo potest salutem consequi, sicut absque generatione carnali seu collatione vitae naturalis nemo potest consequi alia bona et jura naturalia. Ergo absque Baptismo nemo potest salutem assequi.

Haec ratio potest etiam sic efferri: Sicut absque carnali generatione nemo potest vitam naturalem consequi, secluso medio creationis, ita absque spirituali regeneratione *seu Baptismi susceptione* nemo potest vitam supernaturalem obtinere, secluso privilegio martyrii vel actu contritionis.

Probatur 4. *EX REFUTATIONE SENTENTIAE ILLORUM THEOLOGORUM* qui extraordinarium aliquod medium salutis parvulorum adstruere conati sunt.

Haec sententia: 1. Componi non potest cum modo absoluto quo Traditio necessitatem Baptismi proponit, cum explicita doctrina Patrum de absoluta necessitate Baptismi pro ipsis parvulis, cum sensu Ecclesiae declarato in Prob. 2, cum verbis *Cone. Flor.*, supra relatis (cf. ubi de Nota theologica; *Catechismus Cone. Trid.*, p. 2, c. 2, q. 33). 2. Suspecta visa est ipsi auctoritati ecclesiasticae (cf. ibidem). 3. A theologis communissime reiecta est. 4. Aliquid novi in re fidei introducit sine sufficienti fundamento in revelatione; nec voluntas Dei salvifica adduci potest ut fundamentum ex quo praefatum medium deducatur, nam ex ea quidem sequitur adesse pueris medium aliquod salutis quod ex positiva revelatione scimus esse Baptismus, non vero sequitur existentia alterius medii privilegiati, sed hoc ex positiva et directa revelatione probandum esset, sicut probatur privilegium martyrii, praecipue cum revelatio (Joan. 3, 5) exclusionem talis medii importare videtur.

Praeterea *CONTRA SENTENTIAM CAJETANI* dicendum est quod etiam ante Circumcisionem non sola fides parentum parvulos justificabat, sed sacramentum remedii naturae in quo fides protestabatur (cf. De sacr. in gen., art. 40). *Caeterum*, etiam si sola fides tunc sufficisset non sequeretur eam nunc sufficere, nam, addito medio Baptismi,

fides protestanda est per ipsum Baptismum, per quod etiam evacuatur omne aliud signum protestativum fidei (ut Circumcisio et remedium naturae).

Contra eximium S. *Thomae commentatorem* hoc quoque peculiariter valet: Angelici doctrinam explicite ejus sententiae adversari. Etenim S. *Doctor* hic in a. 3 absolute ait: “Non potest eis [i.e. parvulis] alio remedio subveniri, nisi per sacramentum baptismi”, et in Quodl. 6, q. 3, a. 4 ponens explicite quaestionem “Utrum puer in deserto natus possit absque baptismo salvari *in fide parentum*” respondet: “Ille puer in deserto moriens sine baptismo salutem non consequitur [in fide parentum] . . . *nec tamen nunc diminuta est fidei virtus*, sed augmentatur gradus salutis” (*in corp*, et ad 7).

CONTRA SENTENTIAM KLEE dicendum est quod specialis illa illuminatio divina *vel* concipitur ut aliquid *miraculosum*, et tunc est reicienda, *tum* quia gratis fingitur, sicut similis illuminatio a Luthero inventa ad explicandam efficacitatem ex opere operantis in Baptismo parvulorum, *tum* quia esset aliquid prorsus invisibile adeoque opponeretur fini miraculorum quae sunt ordinata ad exteriorem manifestationem attributorum Dei; *vel* concipitur ut *ordinaria* quaedam illustratio qua omnis anima in instanti separationis a corpore gauderet et vi cujus libere de sua salute decerneret Deo adhaerendo *vel* secus, et tunc similiter reicienda est, *tum* quia gratis adstruitur, imo contradicit communi doctrinae de cessatione status viae in ipso mortis instanti, *tum* quia si daretur esset applicanda etiam parvulis jam baptizatis qui moriuntur ante usum rationis et ita istorum sors incerta esset, *tum* quia inde sequeretur neminem alteram vitam ingredi cum solo peccato originali, quod est contra doctrinam *Joannis XXII* et *Cone. Florentini* {*Decr. pro Graecis*) in his verbis contentam: “Illorum . . . animas, qui in actuali mortali peccato *vel solo originali* decedunt, mox in infernum descendere” (Denz. 693. 3049).

CONTRA SENTENTIAM SCHELL dicendum quod pervertit traditionalem conceptum martyrii; hoc enim est occisio alicui illata *in odiunt fidei* et Christi, non vero mors quam quis patitur naturaliter et *ratione culpae originalis* quae in ipso est; inaniter autem Schell addit principem mortis persequi Christum in omni parvulo moriente. *Praeterea*, haec sententia videtur necessitatem Baptismi supprimere quoad omnes parvulos. *Item*, ex ea sequeretur nullum hominem mori cum solo peccato originali, quod ut dictum est adversatur doctrinae *Joannis XXII* et *Cone. Florentini*.

Contra illos theologos qui putant pro quibusdam populis adhuc remedium naturae vigere, dicendum est imprimis communissimam esse

sententiam theologorum *promulgationem* evangelii (adeoque necessitatis Baptismi) jam a multis saeculis absolutam esse pro omnibus populis, quamvis illius *divulgatio et notitia* non sit completa (cf. art. 2, Conci. 2). *Ceterum* applicatio remedii naturae seu signi protestativi fidei apud gentes infideles vix concipi potest; non enim per ipsum significari potest fides ipsius parvuli qui est fidei incapax, nec fides parentum aut ministri aut societatis, qui fidem nondum audierunt, nec fides ipsius Ecclesiae catholicae cujus protestatio fit per aliud signum seu per Baptismum.

Contra haec et similia tentamina coarctandi absolutam necessitatem Baptismi in favorem puerorum graviter observat *Bellarminus* “misericordiam nostram parvulis jam defunctis nihil prodesse, e contra nihil obesse nostrae sententiae severitatem. Multum autem nobis obest, si ob inutilem misericordiam erga defunctos, pertinaciter aliquid contra Scripturas aut Ecclesiam defendamus: idcirco non affectum quemdam humanum, quo plerique moveri solent, sed Scripturae, conciliorum et Patrum sententiam consulere et sequi debemus” (Z. 6, c. 2).

NOTA. 1. De tempore quo Baptismus incoepit esse unicum medium ad salutem necessarium dictum est in art. 2 (p. 34 sq.). 2. Parvuli morientes sine Baptismo aut martyrio non consequuntur salutem sed mittuntur in *Limbum* (de quo dicitur in tract, de Novissimis); adulti vero morientes sine Baptismo aut martyrio aut actu contritionis damnantur in inferno. 3. Quomodo autem absoluta necessitas Baptismi non repugnet verae voluntati salvificae Dei eiusque providentiae de salute omnium, etiam infidelium, explicatur a theologis in tractatu De Deo Uno.

Conclusio 2. Sacramentum Baptismi Est Etiam De Necessitate Praecepti.

Probat.

Baptismi susceptio est adultis necessaria *necessitate praecepti*:

1. *Naturalis, tum* quia est ut mox dicitur de praecepto positivo divino, lex autem naturalis praecipit Deo oboediendum, *tum* quia est ut probavimus de necessitate medii, unusquisque autem iure naturae iubetur suae saluti consulere.

2. *Positivi divini, tum* quia est de necessitate medii ad salutem, cum enim ipsa salus sit necessaria, omne medium sine quo salus obtineri non potest cadit eo ipso sub praecepto divino; *tum* quia susceptio Baptismi est unicum medium adimplendi aliud Christi praeceptum ingrediendi Ecclesiam ac cum eo practice identificatur; *tum* quia aequivalenter obligatio Baptismum suscipiendi continetur in praecepto baptizandi

omnes gentes lato in *Matth. 28, 19* (cf. *Marc. 16, 15 sq.*), obligationi enim Baptismum applicandi correlativa est in subiecto obligatio Baptismum suscipiendi, sicut obligationi docendi in iisdem verbis contenta correspondet obligatio fidem suscipiendi.

Exinde sequitur *graviter peccare* adultum susceptionem Baptismi neglegentem, non vero invincibiliter ignorantem vel impotentem, qui tamen ab ingressu coelorum impeditur non propter huius praecepti transgressionem sed propter alias culpabiles transgressiones et propter originale peccatum.

Non potest autem susceptio Baptismi esse de necessitate *praecepti ecclesiastici* quia soli baptizati subiciuntur Ecclesiae potestati. Nihilominus leges ecclesiasticae regulantes collationem et administrationem Baptismi (cf. Codex J.C., can. 738-779), quamvis *plene et simpliciter* dirigantur ad ministrum, parentes aliosque baptizatos, *secundum quid* tamen et sub aliqua ratione attingunt etiam baptizandum, idque dupliciter:

“1. *Indirecte*. Pro quo observandum est, praeceptum baptismi non esse ejusdem rationis cum aliis praeceptis, v.g. poenitentiae et eucharistiae; haec enim quatenus divina, non spectant nisi fideles: unde Ecclesia, determinando illorum tempus, non potuit obligare nisi fideles: sed praeceptum divinum baptismi obligat omnes omnino homines, unde Ecclesia determinans, per elavem scientiae quam habet a Christo Domino, tempus obligationis baptismi, obligat omnes. Sicut enim potuit praescribere fidelibus tempus poenitentiae et eucharistiae, quia ad illa jure divino tenentur: ita potuit praescribere omnibus tempus baptismi, quia omnes ad illum jure divino pariter tenentur.

“In 4. d. 17., q. 3, a. 1, q. 1. — *Alio modo* potest Ecclesia praescribere directe tempus baptismi infidelibus, quatenus, petendo baptismum, se subiciunt Ecclesiae: unde, sicut Ecclesia habet potestatem illis praecipendi varias baptismi caeremonias, ita et ejus tempus praescribere; non secus ac iudex arbiter habet potestatem exercendi iudicium in eos qui se illi subjecerunt, et eis praecipendi quae sunt ad sententiam necessaria. Verum sicut si litigantes revocent iudicem arbitrum, ipse non potest illos punire, nec cogere ut pareant sententiae quam tulit: ita nec Ecclesia potest punire catechumenum nec cogere ad baptismum, quia hoc ipso quo recedit a fide, desinit petere baptismum et subjici Ecclesiae.”¹⁰

NOTA. *DE BAPTISMO NON DIFFERENDO* (a. 3; Suppi., q. 6, a. 5).

Ex duplici necessitate medii et praecepti sequitur Baptismum par-

¹⁰Billuart, De bapt., diss. 3, a. 6, Parisiis, 1904, t. 8, p. 449.

vulorum ultra breve tempus, vel Baptismum adulatorum diu, absque gravi causa differre, *non convenire nec licere*.

1. *ATTENTA NECESSITATE MEDII, DILATIO BAPTISMI NON CONVENIT.*

“Circa hoc, inquit S. *THOMAS*, distinguendum est utrum sint baptizandi pueri vel adulti. Si enim *pueri* sint baptizandi, non est differendum baptisma; primo quidem quia non expectatur in eis major instructio, aut etiam plenior conversio; secundo propter periculum mortis, quia non potest eis alio remedio subveniri, nisi per sacramentum baptismi.

“*Adultis* vero subveniri potest per solum baptismi desiderium. . . Et ideo adultis, non statim cum convertuntur, est sacramentum baptismi conferendum, sed oportet differre usque ad aliquod certum tempus, *primo* quidem propter cautelam Ecclesiae, ne decipiatur, sacramentum fecte accedentibus conferens. . .; quae quidem probatio sumitur de accedentibus ad baptismum, quando per aliquod spatium eorum fides et mores examinantur. *Secundo* hoc est necessarium ad utilitatem eorum qui baptizantur, quia aliquo temporis spatio indigent, ad hoc quod plene instruantur de fide et exercitentur in his quae pertinent ad vitam Christianam. *Tertio* hoc est necessarium ad quamdam reverentiam sacramenti, dum in solemnitatibus praecipuis, scilicet Paschae et Pentecostes homines ad baptismum admittuntur, et ita devotius sacramentum suscipiunt.

“Haec tamen dilatio est praetermittenda duplici ratione; *primo* quidem quando illi qui sunt baptizandi apparent perfecte instructi in fide, et ad baptismum idonei; sicut Philippus statim baptizavit Eunuchum, ut habetur Act. viii, et Petrus Cornelium et eos qui cum eo erant, ut habetur Act. x. *Secundo* propter infirmitatem aut aliquod periculum mortis” (a. 3; cf. *Rituale Rom.*, t. 2, c. 3, n. 1-5).

Ex his apparet irrationabilitas illius *abusus* qui apud quosdam invaluit in antiqua Ecclesia differendi ultra modum Baptismum tum parvulorum tum adulatorum. Doctrina autem quorundam *Protestantiwn* de differendo Baptismo parvulorum usque ad adultam aetatem habet pro fundamento errorem de efficacitate sacramenti ex opere operantis et consequentis incapacitatis parvulorum ad susceptionem Baptismi; quod refutabitur in art. 10.

2. *ATTENTA NECESSITATE PRAECEPTI, DILATIO BAPTISMI NON LICET SUB GRAVI.*

Sedulo autem distinguas inter praeceptum ecclesiasticum et praeceptum divinum:

Ex praecepto ecclesiastico dilatio Baptismi prohibetur directe et per se.

Dilatio *Baptismi parvulorum* prohibent *explicite Cone. Flor.* (Decr. pro Jac. supra cit.); *Cone. Trid.*, sess. 7, can. 12; *Rituale Rom.*, t. 2, c. 1, n. 39; *Benedictus XIV*, Constit. "Omnium sollicitudinum" 12 sept. 1744; 5. *Officium*, 11 jan. 1899; *Leo XIII*, Epist. ad episc. Anglonens., 22 jul. 1899; *Codex J.C.*, c. 770 qui statuit: "Infantes quamprimum baptizentur; et parochi ac concionatores frequenter fideles de hac gravi eorum obligatione commoneant."

Obligatio *quamprimum* parvulos baptizandi (quae exprimitur etiam in *Cone. Flor.*, *Rituale Rom.* et *Catechismo Cone. Trid.*) *gravis* est. Vox quidem "quamprimum" pro spatio trium dierum communiter a Doctoribus intelligi solet; in hoc tamen casu multipliciter interpretatur; quidam enim intelligunt circiter 3 dies, alii 5, alii 10, alii 15, alii 30.¹⁷ *Cappello* docet: "Attento memorati can. [7701] praescripto, censemus gravem culpam haberi, si Baptismus *notabiliter* differatur *sine causa justa*; quocirca opinamur probabilem hodie non esse sententiam, quae, posita seria voluntate Baptismi, affirmat dilationem non constituere grave peccatum, nisi periculum mortis timendum sit vel urgeat lex particularis."¹⁸ (cf. *Merkelbach*, *De bapt.*, n. 148).

Praeterea attendenda est obligatio oriens ex lege particulari uniuscujusque dioecesis; ita *Cone. Coloniense* a. 1860 (1, 30) statuit: "Baptismatis sacramentum, cum ad salutem tam sit necessarium, parochi, quantum fieri potest, curabunt, ne quis infans ulla hominum culpa eodem privetur. Quantocius conferendum *nec unquam ultra tertium diem prolatandum est*; et ut maturandum curent, saepius monendi sunt fideles."

Lex prohibens dilationem *Baptismi adultorum* *explicite* non invenitur. *Colligitur* tamen ex mente et praxi Ecclesiae, i.e. ex vehementi exhortatione Patrum de Baptismo non differendo et impugnatione contrariae consuetudinis (cf. *Basilium*, *Horn.* 13 ad sanet, bapt.; *Greg. Nyss.*, *Orat.* adversus differentes baptismum; *Greg. Naz.*, *Orat.* 40. 23 sq.; *Hieronimum*, *Ep.* 107, 6; *August*, supra cit.), ex poena inhabilitatis ad ordines suscipiendos quae saepe statuta est contra differentes Baptismum, ex his quae statuuntur in *Cone. Trid.*, sess. 7, can. 12 et *Rituale Romano*, t. 2, c. 3, n. 1-5, ex communi sententia Doctorum.

Theologi hanc obligationem ita interpretantur ut dicant adultum teneri sub gravi ad suscipiendum Baptismum *quamprimum moraliter*, è. *quamprimum* digne et commode possit (cf. modo dicta de causis

¹⁷Cf. *Cajetanum*, In a. 3; *Billuart*, *De bapt.*, diss. 3, a. 6; *Billot*, *Pesch*, *Cappello*, *Prümmer*, *Merkelbach*, ubi de subjecto Baptismi.

¹⁸De Sac., v. 1, l. 2 de bapt., c. 2, a. 2, n. 149, *Taurini*, 1921, p. 109.

necessariae dilationis). Quenam autem dilatio constituat peccatum grave difficilius determinatur; Ecclesia olim statuit et adhuc commendat (cf. Codex J.C., c. 772 et Rit. Rom., l. c. et t. 2, c. 1, n. 41) usum baptizandi in vigiliis Paschatis et Pentecostes; ex quo videtur generaliter deduci posse dilationem plurium mensium, seu spatii temporis correspondentis intervallo quod intervenire potest inter sufficientem probationem ac instructionem catechumeni et vigiliam Paschatis, non ita ab Ecclesia prohiberi ut constituat peccatum grave.

Ex praecepto autem divino dilatio non nisi indirecte et per accidens prohibetur.

Nam praeceptum Baptismum suscipiendi est praeceptum affirmativum, quod nempe non obligat ad statim et pro omni tempore, sicut praeceptum negativum, sed ad determinatum tempus. Nullum autem in hoc praecepto determinatur tempus susceptionis Baptismi, praeter tempus periculi mortis quod determinatum intelligitur in omni praecepto divino eo quod ante mortem seu in statu viae homo teneatur implere quaecumque sunt de salutis necessitate. Ergo dilatio Baptismi praecepto divino, citra mortis periculum, *directe* non prohibetur.

Indirecte tamen seu ex parte *causae dilationis*, quae sit in se graviter mala, aliquis *graviter* peccare potest Baptismum diu differendo. Nam “sicut dicit Philosophus [Phys., l. 8, c. 1], voluntas non retardat facere aliquod opus volitum, nisi propter aliquam causam rationabilem. Unde si causa dilationis baptismi mortale peccatum annexum habeat, utpote si propter contemptum, vel aliquid hujusmodi, si baptismum differat, dilatio erit peccatum mortale, alias non.” Ita S. Thomas {Suppl., q. 6, a. 5).

Quidam auctores inepte impugnant hanc doctrinam S. Doctoris quasi in ea doceatur adultum diu ex negligentia Baptismum differentem non agere contra divinum praeceptum. Non satis enim attendunt quod S. Doctor loquitur *directe* et formaliter de ipso praecepto Baptismi suscipiendi, non vero de aliis praeceptis in eadem materiam concurrentibus, et quod inter varias causas peccaminosas dilationis Baptismi, quas S. Thomas subintelligit in inciso “vel aliquid hujusmodi” computari potest et debet *neglegentia* illius qui *quamprimum moraliter* Baptismum non suscipit, qui nempe cum digne et commode possit diu tamen Baptismi susceptionem differt (haec dilatio non debet judicari severius quam dilatio prohibita a praecepto ecclesiastico); non nisi enim ex rationabili et gravi causa licet homini, qui *ex caritate erga scipsuni* tenetur suae salutis consulere, differre ac in incertum relinquere susceptionem tanti medii salutis per quod confertur ei remissio peccatorum et poenarum, gratiae auxilia, jus ad alia sacramenta et ipse

ingressus in Ecclesiam qui est etiam de necessitate medii ad salutem (cf. *Cajetanum*, In a. 3).

Haec omnia valent etiam quoad *Baptismum parvulorum*.

In divino enim praecepto, quo parentes vel ii quibus incumbit cura parvulorum tenentur ad media salutis illis procuranda, includitur praeceptum parvulos baptizandi. Cum tamen praeceptum sit affirmativum nec ullam determinationem temporis importet, in eo dilatio Baptismi parvulorum *directe* non prohibetur; *indirecte* autem peccant parentes, sicut adulti differentes proprium Baptismum, ex variis causis supra dictis, v.g. ex ipsa *neglegentia*, quae *ob breviorum dilationem* quam in casu adulti graviter culpabilis evadit eo quod parvuli ob infirmitatem aetatis multo facilius e vita eripiuntur nec alterius medii, baptismi nempe flaminis, sint capaces.

Propterea *Leo XIII* in *Ep. ad episc. Anglonens.*, 22 jul. 1899, his vehementibus verbis improbat consuetudinem differendi Baptismum parvulorum: “Nil sane hac mala consuetudine iniquius, nil ecclesiasticis sanctionibus magis contrarium: utpote quae non solum tot animarum aeternam salutem inexcusabili temeritate in manifestum periculum infert, sed eas insuper intra id temporis certo fraudat ineffabilibus gratiae sanctificantis charismatibus, quae per regenerationis lavacrum infunduntur. . . Non possumus, quin tam detestabilem usum, in Deum simul impium ac in homines, ubicumque infeliciter invaluerit, ex animo improbemus et exsecremur” (Collect, de Prop. Fide, n. 2060).

Unde non videtur subscribendum his verbis *Suarezii*: “Tempus infantiae, secluso periculo mortis, non videtur ex se adeo necessarium, ut ex vi solius divini iuris obligetur ecclesia ad baptizandos homines tempore infantiae nec possit licite baptismum differre usque ad aetatem adultam. Quod videtur fuisse olim in consuetudine aliquibus in locis; nec video rationem aut auctoritatem sufficientem ad asserendum talem consuetudinem esse contrariam iuri divino” (De bapt., disp. 31, sect. 1, n. 4).

RESPONSIO

Obj. 1. Non videtur quomodo necessitas Baptismi aquae dici possit vere absoluta si relinquatur locus duplici exceptioni, alteri pro solis adultis, scilicet *actui contritionis*, alteri pro omnibus, scilicet *martyrio*.

Resp. Absoluta necessitas alicujus medii ad salutem provenire potest vel ex ipsa natura rei, ut in poenitentia, fide et gratia, et tunc ut patet nullus dari potest locus exceptioni, seu praedictum medium nullo alio

substitui potest, vel ex positiva institutione divina, sicut in Baptismo aquae, et tunc non repugnat dari medium suppletivum, uti martyrium et contritionem, in quibus tamen votum Baptismi aquae contineri debet nisi sit impossibile ut in martyrio parvulorum. Quomodo autem tale votum diversimode contineatur in martyrio et in actu contritionis, ita quod hic tantum vocetur baptismus flaminis et unica proprie dicta exceptio necessitatis Baptismi sit martyrium, explicabitur in Cap. VI.

Ex hoc autem quod necessitas Baptismi sit inducta ex positiva institutione non sequitur eam esse necessitatem praecepti tantum, quoniam positiva institutio potest dupliciter obligationem sumendi aliquod medium inducere, vel ita absolute quod absque tali medio etiam inculpabiliter omisso finis non obtineatur (et haec dicitur necessitas medii), vel ita quod absque tali medio culpabiliter omisso finis non attingatur ac proinde ab ejus necessitate excuset quidquid rationem peccati evacuat, nempe ignorantia vel impotentia (et haec dicitur necessitas praecepti).

Obj. 2. Baptismus necessarius non esset ei *qui ex speciali privilegio in utero matris sanctificaretur*; nec fuit necessarius *B. Virgini et Apostolis* qui nullibi baptizati perhibentur. Ergo Baptismus non est universalis necessitatis.

Resp. 1. Etiam ille qui speciali privilegio, ex positiva revelatione stricte probando, miraculose sanctificaretur in utero matris, sicut dicitur contigisse ante legem Baptismi Jeremiae, J. Baptistae et S. Joseph, subiceretur necessitati Baptismum suscipiendi sive ut per susceptionem characteris perfecte incorporaretur Christo et aliis membris ejus conformaretur (a. 1, ad 3), sive ut ipsi praecepto Baptismum suscipiendi et Ecclesiam ingrediendi pareret, sive ut per Baptismum qui est janua et fundamentum redderetur idoneum ad suscipienda caetera sacramenta, praecipue Eucharistiam de aqua dicitur: “Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis” (Joan. 6, 54).

2. Quoad Baptismum *Apostolorum* ex *Scriptura* nihil aliud certo scimus praeterquam S. Paulum baptizatum fuisse (Act. 9, 18); quidam tamen Patres ad Baptismum Apostolorum referunt textum Joan. 13,10, ut dictum est in praec. articulo.

Apud *Patres et theologos* duplex habetur opinio: quidam pauci, ut *Chrysostomus* (In Ascension, hom. 2, 13 sq.; In Act., horn. 1, 5), *Severianus Gabalcnsis* (Hom. 3), et unus vel alter theologus, negant Apostolos Baptismo Christi fuisse ablutos; alii, ut *Clemens Alex.* (Hypotyp. 5), *Anonymus de Rebapt.* (6 et 8), *Augustimis* (Epist. 44,

5, 10; Epist. 265, 1; De anima, 3, 9, 12; In Joan., tract. 80, 3), 5. *Thomas* (3 p., q. 38, a. 6, ad 2; q. 72, a. 6, ad 2; q. 84, a. 7, ad 4) et communiter theologi, affirmant.

Ratione autem patet solida *probabilitas* hujus secundae sententiae. Nam: nulla ratio fuit quare Apostoli a suscipiendo Baptismo abstinerent; ipse Christus baptismum Joannis ad exemplum suscepit; S. Paulus, qui aequalis fuit caeteris Apostolis, jussus est baptizari; conveniens fuit Apostolos suscepisse Baptismum ante Eucharistiam; convenit ipsos prius suscepisse quod praedicaturi et administraturi erant; convenit ipsos gratiam sacramentalem, augmentum gratiae et characterem incorporativum ad Christum, suscepisse.

Exinde tamen non sequitur Apostolos *necessario* baptizari debuisse. Nam imprimis jam sacramentum Circumcisionis acceperant; secundo et praecipue, cum Christus mandatum Baptismi tulit (Matth. 28, 19) Apostoli jam erant Christo et Ecclesiae incorporati, quasi pertinentes ad ipsam constitutionem Ecclesiae tamquam ejus fundamentum in Christo angulari lapide (Eph. 2, 20-22; Apoc. 21, 14), unde non ipsi sed alii aggregari debebant Ecclesiae per Baptismum, non aggregatione ipsi indiguerunt sed electione et vocatione apostolica in qua eminenter collatum est ipsis quidquid necessarium fuit ad eorum missionem, nec repugnat ipsam gratiam sacramentalem propriam Baptismi eiusque characterem ipsis elargita fuisse modo extraordinario et extrasacramentaliter.

Ad rem *Tertullianus, De bapt., 12*; “Sive tincti quoquo modo fuerunt, sive illoti perseveraverunt, ut et illud dictum Domini (*Joan.* xiii), de uno lavacro sub Petri persona ad nos tantummodo spectet, de salute tamen apostolorum satis temerarium et aestimare, quia illis vel primae allectionis, et exinde individuae familiaritatis praerogativa compendium baptismi conferre posset” (M.L. 1, 1323).

Similiter dicendum de *B. Virgine*. Quamvis ex Scriptura nihil prorsus deduci possit, tenent tamen *communiter theologi* eam Baptismum suscepisse, non ut spiritualem regenerationem acciperet, cum ipsa sola ob immaculatam conceptionem ea non indigeret, nec ut gratiam sacramentalem quomodolibet consequeretur, cum in prima ejus immaculata sanctificatione esset omni genere gratiarum plena, nec ut per characterem incorporaretur Christo, cum per gratiam Maternitatis esset sublimiori et intimiori modo ei incorporata, nec ut acciperet ipsum characterem christianitatis, hic enim ei a Christo miraculose et extrasacramentaliter conferri potuit, sed ut, accipiendo gratiae augmentum et characterem per sacramentum Baptismi, conformaretur ceteris membris corporis mystici et peculiari modo configuraretur Filio, cuius

passio repraesentatur in Baptismo (cf. In 4 Sent., dist. 6, q. 1 a. 1 q. 3).1'

Obj. 3. Nequit Baptismus esse necessarius subjecto incapaci. Parvuli autem sunt incapaces suscipiendi Baptismum. Etenim parvuli sunt incapaces actus fidei; jamvero: 1. sine fide in Christo homo non justificatur nec ipsi incorporatur; 2. omne sacramentum est signum protestativum fidei, et praecipue Baptismus qui dicitur sacramentum fidei per excellentiam; 3. ex sola fide justificante omne sacramentum efficaciam obtinet.

Resp. In art. seq. probabitur capacitas parvulorum ad Baptismi susceptionem tum validam tum fructuosam. Inanis autem est triplex ratio quam hic opponunt *NOVATORES*. Nam:

1. Fides quae est causa justificationis et incorporationis ad Christum est *fides objectiva*, i.e. ipsa passio Christi, quae est praecipuum objectum fidei, et sacramenta quae sunt signa et instrumenta passionis Christi, et absque applicatione huius causae nemo justificatur; *fides autem subjectiva* in passionem Christi et eius sacramenta, quam homo protestatur per susceptionem ipsorum sacramentorum, est tantum *conditio* justificationis ex parte subjecti et ideo eo modo requiritur quo homo est capax ipsius, in adulto quidem propria, in parvulis vero aliorum i.e. Ecclesiae, nam per mysterium communionis sanctorum, quae unit membra Ecclesiae, bona et fides unius alteri communicantur, sicut etiam de ipsa intentione sacramenti suscipiendi dictum est in superiori tractatu, art. 23, p. 354 (cf. hic, art. seq., Conci. 1, p. 142 sq.).

Ita *Augustinus* (Serm. 176, 2; De pecc. merit, et remiss. 1, 19, 25; 25, 38; Epist. 98, 10 ad Bonifacium) cuius doctrinam suam facit *S. Thomas* scribens:

“Sicut Augustinus scribens Bonifacio dicit, ‘in Ecclesia Salvatoris parvuli per alios credunt, sicut ex aliis, quae in baptismo remittuntur, peccata traxerunt.’ Nec impeditur eorum salus, si parentes sint infideles, quia, sicut Augustinus dicit eidem Bonifacio scribens, ‘offeruntur parvuli ad percipiendam spiritualem gratiam, non tam ab eis quorum gestantur manibus (quamvis et ab ipsis, si et ipsi boni fideles sunt), quam ab universa societate sanctorum atque fidelium. Ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet quod offeruntur, et quorum charitate ad communionem sancti Spiritus adjunguntur.’ Infidelitas autem priorum parentum, etiamsi eos post baptismum daemoniorum sacrificiis imbuere conentur, pueris non nocet, quia, ut

“Cf. *D. Solo*, In 4 Sent., dist. 5, p. unica, a. 2; *Vasquez*, In 3 p., disp. 119, c. 7; *Benedictum XIV*, De canoniz. sanet., l. 4, p. 2, c. 21, n. 14; *Tronibelli*, Mariae SS. vita et gesta, t. 4, p. 1, disp. 34, q. 1, ubi copiose de hac re disseritur.

Augustinus dicit, 'puer semel generatus per aliorum carnalem voluptatem, cum semel regeneratus fuerit per aliorum spiritualem voluntatem, deinceps non potest vinculo alienae iniquitatis obstringi, cui nulla sua voluntate consentit . . . Sed ideo ex Adam traxit quod sacramenti illius gratia solveretur, quia nondum erat anima separatim vivens.' Fides autem unius, imo totius Ecclesiae, parvulo prodest per operationem Spiritus sancti, qui unit Ecclesiam, et bona unius alteri communicat" (e. 9, ad 2; cf. ad 3).

2. Omne sacramentum, et praecipue Baptismus, est quidem signum protestativum fidei tum objectivae (i.e. signum passionis Christi) tum subjectivae (i.e. signum fidei subjecti in Christum), sed aut propriae aut Ecclesiae.

3. Omne sacramentum habet efficaciam ex sola fide objectiva, i.e. ex ipsa passione Christi, non autem ex sola fide subjectiva tum suscipientis tum Ecclesiae; fides enim subjecti in adulto influit tantum in ratione dispositionis, ut probatum est in superiori tractatu, art. 9. 25 et 26.

Obj. 4, In lege naturae sola fides parentum sufficiebat parvulis ad salutem, deficiente ipsis proprio salutis auxilio. Atqui virtus fidei non est nunc diminuta per hoc quod adjunctum est sacramentum. Ergo, deficiente possibilitate sacramentum applicandi, virtuti fidei locus relinquatur. Ita *Cajetanus*.

Resp. Ut patet ex dictis in superiori tractatu ubi de necessitate et de numero sacramentorum, in nulla lege sola fides fuit causa justificationis parvulorum sed fides cum sacramento seu fides protestata in sacramento (i.e. remedio naturae vel Circumcisione vel Baptismo). *Caeterum*, etiam si in lege naturae sola fides suffecisset, non sequeretur nunc solam fidem sufficere, quia licet per additionem sacramenti non sit virtus fidei diminuta, tamen apposita est necessaria conditio in qua virtus fidei operari debet, ita ut causa justificationis sit fides protestata per sacramentum (cf. *Tertullianum*, De bapt. 12, sq. supra cit.).

Instes 1. Peccatum alienum seu Adami valuit infantibus ad damnationem; ergo etiam fides aliena seu parentum valet ipsis ad salutem.

Resp. Peccatum Adae nocuit infantibus non quia parentis in ordine naturali, sed quia capitis in ordine supernaturali; unde ob hanc moralem unionem peccatum personale Adae factum est commune omnibus et proprium singulis, seu originale. In ordine autem salutis reparatae solus Christus est caput aliorum et ideo ejus meritum applicatur nobis

per fidem ; sic ergo fides utique aliena salvat parvulos, non fides tamen parentum, sed fides matris Ecclesiae quae est in Christo.

Instes 2. Voluntas patris valet juridice pro voluntate filii. Ergo fides parentum valet pro filiis tanquam baptismus in voto.

Resp. Voluntas patris reputatur voluntas filii in naturalibus et civilibus, in quibus filius ad patrem pertinet qui est caput familiae, non vero in supernaturalibus in quibus anima ad Deum directe refertur.

Obj. 5. Si Baptismus esset absolute necessarius parvulis, peior esset conditio istorum nunc quam ante institutionem Baptismi, praecipue in lege naturae, cum sive fides parentum sive remedium naturae esset facilioris applicationis.

Resp. In lege mosaica *Circumcisio* non fuit facilius medium quam Baptismus, ut patet tum ex ejus materia, seu circumcisiva operatione, tum ex circumstantia temporis, seu ex obligatione non circumcidendi ante octavum diem, dum Baptismus confertur in materia communissima et facillima, qualis est aquae ablutio, et inde a primo momento nativitatis, imo ante ipsam nativitatem.

Remedium autem naturae, quod viguit in lege naturae et remansit in lege mosaica quoad puellas et quoad pueros in periculo mortis versantes ante octavum diem, facilius Baptismo *quodammodo* dici potest si attendatur indeterminatio signi quod hominis arbitrio specificandum relinquebatur, unde in quibusdam casibus particularibus (v.g. ubi aqua deficiat) parvulus nunc inveniri potest in pejori conditione quam sub lege naturae. Non inde tamen sequitur *simpliciter* meliorem fuisse conditionem parvulorum sub remedio naturae, tum quia per Baptismum majorem gratiam una cum aperitione regni caelestis confertur (cf. Quodl. 6, q. 3, a. 4), tum quia ipsa determinatio ritus baptismatis ejusque commissio Ecclesiae infallibili indirecte confert etiam facilitati et securitati applicationis sacramenti, quatenus prohibet ne mutatione aut oblivione corrumpatur vel in desuetudinem abeat, quemadmodum ob populorum ignorantiam et corruptionem contigit remedio naturae.

A fortiori si quis diceret *solam fidem parentum* absque signo exteriori parvulis valuisse ad salutem, sequeretur non meliorem fuisse conditionem parvulorum; valde enim incerta fuisset eorum salus, ob incertitudinem et defectibilitatem illius fidei, sicut nunc esset incerta efficacia sacramenti si a fide ministri dependeret.

Obj. 6. Si Baptismus esset absolute necessarius parvulis ad salutem, sequeretur innumeros parvulos tum apud christianos tum praecipue apud paganos non posse salutem consequi et absque sua culpa, imo saepe absque ullius culpa, aeterna felicitate privari.

Resp. Ut explicatur a theologis in tractatu De Deo Uno (ubi de universali salvifica Dei voluntate), Deus saluti parvulorum sufficienter providit per institutionem Baptismi, omnibus absque exceptione parati, et quidem facilis applicationis, etsi impedibilis juxta naturalem cursum causarum secundarum, tum physicarum tum liberarum, quas Deus ut provisor universalis non tenetur impedire sed potius permittere debet propter universaliores et altiores fines providentiae naturalis, quae per leges providentiae supernaturalis perficitur quidem sed nullatenus perturbatur.

Obj. 7. 1 Cor. 7, 14: “Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.” Ergo juxta Apostolum fides parentum confert ad sanctificationem parvulorum nec Baptismus est eis absolute necessarius, saltem in casu impossibilitatis. Ita *Calvinus*.

Resp. Haec ratio nimis probat; inde enim sequeretur *omnes* parvulos fidelium jam ante Baptismum esse sanctificatos, eoque non indigere, et non solum parvulos per parentes sed etiam conjugem infidelem per fidelem sanctificari (cf. *Augustinum*, De pecc. merit, et remiss. 2, 26). Quae sunt contra doctrinam ipsius Apostoli.

In his igitur verbis Apostolus non agit de consecutione sanctificationis perfectae, sed *vel*, juxta aliquos, de *sanctificatione quadam juridica*, quatenus nempe tales parvuli ex legitimo et sancto matrimonio sunt nati et quatenus eo ipso jam quodammodo de jure pertinent ad Ecclesiam, *vel melius*, juxta alios, de dispositione et *ordinatione ad perfectam sanctificationem*, quatenus parvuli a parentibus Christianis nati per fidem et diligentiam istorum ordinantur et adducuntur ad Ecclesiae fidem ac sacramenta et ad Christianam educationem, quemadmodum conjux infidelis a conjugate fidele verbo et exemplo ad conversionem seu sanctificationem connaturaliter impellitur (cf. 1 Petr. 3, 7 sq.).

Hunc esse sensum Apostoli patet ex toto contextu. “Rationem [enim] reddit Apostolus, cur infidelis conjux a fidele non debeat dimitti, si cohabitare consentiat, sed retineri potius. Sic enim per fidelem conjugem sanctificatur. Non quod jam absolute sanctus aut sancta sit conjugem habens fidelem, cui commanere consentit: nam quomodo sanctus, qui adhuc infidelis? Sed sanctificari dicitur sanctitate quadam analogica sive imperfecta.”²⁰

Eslius, in Ep. D. Pauli, t. 1, Moguntiae, 1858, p. 490, ubi hic textus longius exponitur; cf. *Tertullianum*, De anima, 39; Ad uxorem, 2. 7; *Hieronymum*, Epist. 85, 5.

Obj. 8. Ex verbis Christi de necessitate Eucharistiae, *Joan. 6, 54*: “Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis” (cf. 52. 55. 57. 59.) nequit deduci necessitas medii, hoc enim sacramentum est tantum de necessitate praecepti. Ergo a pari neque in *Joan. 3, 5* necessitas medii Baptismi necessario importatur.

Resp. 1. Utriusque textus disparitas apparet ex ipsa natura utriusque sacramenti. Baptismus enim dicitur necessarius ad habendam spiritualem regenerationem, quae omnibus etiam parvulis est absolute necessaria ad salutem, Eucharistia vero dicitur necessaria ad consequendam spiritualem cibationem, per quam vita spiritualis reparatur et conservatur, haec autem solis adultis est necessaria non vero parvulis qui ob incapacitatem peccandi vitam spiritualem amittere non possunt nec quidquam deperdere quod reparare indigeat. *Ceterum*, praedictorum textuum sensus, juxta Institutoris mentem, certo nobis innotescit *ex Traditione et magisterio Ecclesiae*, quae primum intelligunt de necessitate medii, alterum de necessitate praecepti.

2. Si profundius attendatur natura sacramenti Eucharistiae, prout est non tantum particulare hoc sacramentum spiritualis cibationis (sic est tantum de *necessitate praecepti*), sed etiam finis ceterorum sacramentorum, dici potest ipsam esse *de necessitate medii in voto*, prout nempe intentionaliter et in voto continetur in ipso Baptismo.²¹ Et in hoc sublimiori sensu potest admitti paritas inter utrumque textum ac intelligi ratio absolutae illius ac solemnem firmitatis qua Christus necessitatem Eucharistiae proclamat.

Cf. tractatum De sacr. in gen., art. 21 et 43; tractatum De Eucharistia, art. 26, ubi longius de hoc disputabitur; *D'Alès, De bapt.*, th. 12, B, ubi de textu *Joan. 6, 53 sq.* et quodam *S. Augustini* argumento.

CAPUT IV

DE SUBJECTO ET MINISTRO BAPTISMI

De *instituto* Baptismi sufficienter dictum est in art. 1. Quoad subjectum autem et ministrum ex dictis tum in praecedenti capite, ubi de effectu et proprietatibus Baptismi, tum praecipue in superiori tractatu, ubi de subjecto et ministro sacramenti in genere (Cap. V et VII), patent sequentia:

1. QUOAD SUBJECTUM BAPTISMI.

Subjectum *capax* est solus et omnis homo viator; *solus homo*, non vero angelus (cf. De sacr. in gen., art. 22); *omnis homo*, nam Baptismus est omnibus necessarius ad salutem (cf. art. praec.); *viator*, non vero beatus aut anima purgans aut damnatus (cf. De sacr. in gen., art. 22).

Subjectum *validae susceptionis* est: homo *non baptizatus*, nam Baptismus est initerabilis (cf. art. 8); habens si sit adultus *intentionem* saltem habitualement implicitam suscipiendi (cf. De sacr. in gen., art. 23, Conci. 4).

Subjectum *fructuosae susceptionis* est: quilibet *parvulus*, et *adultus* habens *attritionem* saltem habitualement implicitam, in qua necessario continentur fides, spes et amor initialis.

Fidem requiri sequitur tum ex eo quod ipsa est principium omnis salutis etiam intrasacramentalis, tum ex eo quod omne sacramentum est signum protestativum fidei, tum ex eo quod Baptismus est sacramentum fidei per excellentiam, unde in Scriptura saepe Baptismus et fides conjunctim praecipiuntur (cf. Matth. 28, 18 sq.; Mare. 16, 16; Act. 2, 41; 8, 4 sqq.; 10, 44 sqq.), tum ex eo quod fides necessario in ipsa attritione includitur.

Attritionem requiri ac sufficere sequitur tum ex ratione sacramenti mortuorum (cf. De sacr. in gen., art. 25), tum ex propria ratione Baptismi qui est lavacrum renovationis et regenerationis (cf. art. 7), tum ex praxi antiquae Ecclesiae requirendi a catechumenis varia exercitia poenentialia. Haec attritio dici potest quaedam *interior peccatorum confessio* coram Deo; *externa vero confessio*, quae olim quandoque observabatur, non est requisita sed devotionalis, nec ceterum esse potest *sacramentalis* quia Baptismus, utpote sacramentum regenerationis, praecedit sacramentum Poenitentiae (q. 68, a. 6).

2. *QUOAD MINISTRUM BAPTISMI* necnon aliorum sacramentorum dictum est in superiori tractatu:

Ministrum *capacem* esse *hominem viatorem, distinctum a subjecto* (art. 34), *a Christo deputatum* (art. 35).

Ministrum *validae collationis* esse adultum habentem *intentionem* internam saltem virtualem faciendi quod facit Ecclesia (art. 36. 37. 38), quamvis omni fide et probitate carentem (art. 39).

His omnibus jam alibi statutis, restat ut sequentes peculiare quaestiones expendamus:

1. *Quoad subjectum* tres quaestiones solent a theologis agitari circa Baptismum parvulorum: a. de validitate, fructuositate et convenientia Baptismi *parvulorum* (art. 10); b. De capacitate parvulorum *in maternis uteris* existentium ad Baptismum suscipiendum (art. 11); c. de convenientia et liceitate baptizandi *parvulos infidelium* invitis parentibus (art. 12).

2. *Quoad ministrum* duplex ponitur quaestio: a. de ratione deputationis Christi in Baptismo requisitae, an scilicet haec communicata fuerit *cuilibet homini* vel tantum ordinatis aut baptizatis (art. 13); b. utrum *plures* possint esse simul *ministri* ejusdem Baptismi (art. 14).

ART. 10. Utrum Parvuli Valide, Fructuose Et Convenienter Baptizentur (q. 69, a. 6; q. 68, a. 3 et 9).

STATUS QUAESTIONIS

Ex superius disputatis circa Baptismi effectum (art. 7) et necessitatem (art. 9) liquido fluit affirmativa responsio huic quaestioni, quam tamen necesse est explicite ponere propter peculiarem impugnationem Protestandum et celebrem quandam controversiam theologorum mediæ aevi.

PARS NEGATIVA

1. *VALIDITATEM BAPTISMI PARVULORUM* impugnarunt plures sectae mediaevales, ut *Petrobrussiani* (cf. Petrum Cluniacensem, Tract, contra petrobrusianos, M.L. 179, 728 sq.), *Henriciani* de genere Petrobrussianorum (cf. S. Bernardum, Epist. 241, 1), *Cathari, Waldenses* et *Albigenses* (cf. Innocentium III et Cone. Later. IV infra cit.).¹

¹ Cf. *Natalem Alex.*, De baptismo infantium contra Petrobusianos, in waldensibus, albigensibus et anabaptistis redivivos.

*
rm

β

INNOCENTIUS III in *epist. "Maiores Ecclesiae"* ad Ymbertum Arch. Arelatensem a. 1201 sic refert sententiam Catharorum: "Asserunt . . . parvulis inutiliter baptisma conferri. Quod nituntur tam ratione quam auctoritate probare, illud primo et praecipue inducentes quod cum secundum verbum Iacobi Apostoli dicentis in epistola sua (v, 20): *Caritas operit multitudinem peccatorum* et iuxta illud testimonium veritatis in evangelio de peccatrice quae ipsius pedes laverat, perhibentis: *Dimissa sunt ei peccata inulta quoniam dilexit multum* (Lc. vii, 48) non nisi per caritatem et in caritate peccata dimittantur, parvulis qui nec sentiunt nec consentiunt et caritatem non habent, quae sentientibus et consentientibus tantum infunditur, peccatum non dimittitur in baptismo. Et sic eis baptisma non confert quia non est talibus conferendum. In evangelio quoque legitur: *qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit, qui autem non crediderit condemnabitur*; unde parvuli sive fuerint sive non fuerint baptizati condemnabuntur, utpote non credentes" (Cavallera, 1064).²

Inter *Protestantes* eam negarunt praecipue *Anabaptistae* et *Baptistae*, ut dictum est in art. praec., qui propterea iterabant Baptismum ablutorum in infantia (cf. *Cone. Trid.*, can. 13 infra cit.); quidam etiam *Anabaptistae* docuerunt adultum baptizandum esse ea aetate qua Christus baptizatus est, quem errorem damnat *Cone. Trid.*, can. 12 infra cit.

Caeterum, ut ibidem animadvertimus quoad ipsam necessitatem Baptismi, negatio validitatis Baptismi parvulorum *logice* sequitur ex principiis protestantibus de natura sacramenti, quod est tantum signum professionis Christianae aut promissionis divinae, et praecipue de causa justificationis quae est sola fides subjecti; parvulus enim, utpote usu rationis carens, nequit signum suae professionis ponere aut intelligere nec ex fide seu fiducia in susceptione talis signi concepta justificari. Unde logice socinianus *Smalcius* Baptismum parvulorum irridens scribebat: "Infantes recens natos discipulos Christi fieri, tam est credibile quam psittacos et reliquas aves".³

Illogice vero *Lutherus* et *Calvinus*, acriter impugnantes *Anabaptistas*, defenderunt validitatem Baptismi parvulorum, *primus* recurrens ad quandam illuminationem vel motum fidei, intuitu fidei parentum et Ecclesiae a Deo parvulis collatum sicut J. Baptistae in sinu matris suae/ *alter* vero docens filios Christianorum ipsa sua origine quodammodo sanctificari ac ita Baptismi capaces fieri quo introducantur in ecclesiasticam societatem et ad Christianam educationem ordinentur.⁵

Hae autem voluntariae explicationes coegerunt Lutherum et Calvinum ad distinguendum inter infantes infidelium et infantes fidelium et docendum *hos tantum* esse baptizandos; ex quo videntur coarctare validitatem Baptismi parvulorum.

²S. Pontifex prosequitur refutans talem sententiam (cf. Cavallera, *ibid.*; De sacr. in gen., art. 14).

³Theolog. Christi, l. 5, c. 68.

⁴Cf. *Dici. Thiol. Calh.*, art. Baptême, col. 323 sq.

⁵Inst, christ., c. 17, n. 21 sq.; cf. *Diet. Théol. Calh.*, l. c.

Similem restrictionem admisit inter catholicos *Durandus*, docens parvulos infidelium valide baptizari non posse invitis parentibus. Quam sententiam reiecit *Benedictus XIV* (cf. infra art. 12, Part. Neg.).

2. *EFFICACITATEM SEU FRUCTUOSITATEM BAPTISMI PARVULORUM* negarunt iidem haeretici; qui imo ex hac negatione ducti sunt ad reiciendam explicite vel implicite ipsam validitatem Baptismi parvulorum; unde est quod etiam documenta Ecclesiae mox citanda non tam validitatem quam fructuositatem ejusdem Baptismi directe asseverent.

Plures theologi medii aevi fructuositatem Baptismi parvulorum coarctarunt; cum enim non distinguerent inter gratiam et virtutes nec inter habitum et actum virtutum, docuerunt quod parvulis in Baptismo non conferuntur gratia et virtutes, cum sint incapaces actuum illarum, sed tantum deletur peccatum originale et “imprimitur . . . character Christi, cujus virtute, cum ad perfectam aetatem venerint, consequuntur gratiam et virtutes” (q. 69, a. 6; cf. In 4 Sent., dist. 4, q. 2, a. 2, q. 1; *Bonaventuram*, In 4 Sent., dist. 4, a. 2, q. 1 et 2). Quidam videntur concessisse gratiam infundi non vero virtutes, vel etiam virtutes sed secundum diminutam quamdam rationem.

Praefatos theologos memorant *Petrus Lombardus* (+ 1160) in Sent., l. 4, dist. 4, n. 8, qui in eorum sententiam inclinare videtur quamvis non reiciat contrariam sententiam quam dicit ab aliis theologis doceri, *Innocentius III* qui a. 1201, exponit binas sententias quin ulli adhaereat (cf. Denz. 410 et Cavallera 1065), et 5. *Thomas* qui eos vocat “quidam antiqui”, ex quo colligitur jam tempore S. Doctoris contrariam sententiam, quam ipse defendit, communiter praevaluisse. Non defuisse tamen etiam posterius aliquos defensores ejusdem sententiae patet ex causa *Petri Olivi*, qui a. 1311 accusatus est eam docuisse, et ex documento *Cone. Viennensis* (a. 1311 sq.) infra citando, in quo occasione errorum Olivi sententia contraria ut probabilis definitur. Post hanc definitionem praedicta doctrina a nemine defensa est donec perfecte eradicata fuerit per definitionem Cone. Trid. infra citandam.

3. *CONVENIENTIAM BAPTISMI PARVULORUM* a fortiori impugnarunt supradicti haeretici (cf. *Cone. Trid.*, can. 13 infra cit.). *Minus expedire* parvulos ante adeptum aliquem saltem usum rationis baptizare, sentierunt quidam ex prioribus Patribus, ut *Tertullianus* et *Gregorius Nazianzenus*.

Ex dictis in art. praec. patet huic sententiae oppositum fuisse communem aliorum Patrum sensum atque non parum exaggerasse *Walafri- tinni Strabonem* cum scripsit: “Notandum quod primis temporibus illis solummodo baptismi gratiam dari solitam qui et corporis et mentis integritate jam ad hoc pervenerant, ut scire et intelligere possent quid emolumenti in baptismo consequendum, quid confitendum atque credendum, quid postremo renatis in Christo esset servandum” (De rebus eccl. 26, M.L. 114, 960).

Eadem sententia videtur esse radix erroris *Erasmip* qui, quamvis teneat servandam esse consuetudinem Ecclesiae parvulos baptizandi, docet tamen “huiusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt, et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos nec alia interim poena ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiae aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant” (Denz. 870). Quae doctrina his iisdem verbis ut haeretica damnata est a *Cone. Trid.*, sess. 7, can. 14 de Baptismo.

PARS AFFIRMATIVA

Nota Theologica.

Validitas, fructuositas et convenientia Baptismi parvulorum est *de fide definita* in *Cone. Trid.*, sess. 7, can. 13 de Baptismo et sess. 5 de peccato originali, can. 4.

Parvulos per Baptismum consequi non tantum deletionem peccati originalis sed etiam positivam sanctificationem gratiae et virtutum, est *saltem theologice certum*; a quibusdam, ut Bellarmino, Suarez, Vega, Tournely, dicitur de fide. Etenim in can. 13 de Baptismo definitur parvulos computandos esse inter fideles; juxta ecclesiasticam autem terminologiam fidelis est qui fidem habet. Praeterea in sess. 6, cap. 7 et 14 et sess. 14, cap. 1, generaliter docetur Baptismum esse causam justificationis, in sess. vero 6, cap. 6 et can. 11, docetur justificationem non esse solam remissionem peccatorum sed etiam gratiae et virtutum infusionem (Denz. 799. 821. 894).

Documenta Ecclesiae.

Hic valent plura documenta citata in art. praec. ubi de necessitate Baptismi (cf. Part. Affirm, et Notam post Conci. 2). i.e. *Cone. Carth. a. 252*, *Cone. Milevit. II et Carth. a. 418*, *Cone. Florent.* (Decr. pro Jacobitis), *Cone. Trid.* (sess. 5, can. 4), *Catechismus Cone. Trid.* (p. 2, c. 2, q. 30), *Leo XIII* (Epist. ad episc. Anglonens.) et *Codex J.C.* (can. 770).

Praeterea:

Innocentius III, *Epist. Majores Ecclesiae*” contra Catharos cit. in Parte Neg.

Idem, *Professio fidei Waidensibus praescripta*: “Approbamus ergo

*Cf. Prefat. Paraphr. in Matth. (edit. Leclerc, Lcydc, 1703-1706, t. 7); Acta Tridentina, ed. Goerres, t. 5, p. 838.

baptismum infantium, qui si defuncti fuerint post baptismum, antequam peccata committant, fatemur eos salvari et credimus; et in baptisate omnia peccata, tam illud originale peccatum contractum, quam illa, quae voluntarie commissa sunt, dimitti credimus” (Denz. 424).

Cone. Later. IV sub Innocentio III contra Albigenses et Waldenses, cit. in art. 3, p. 39.

Cone. Viennense a. 1311 sq. damnans errores *Petri Olivi* definivit:

“Ad hoc baptisma unicum baptizatos omnes in Christo regenerans est, sicut *unus Deus*, ac *fides unica* [Eph 4, 5], ab omnibus fideliter confitendum, quod celebratum in aqua in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti credimus esse tam adultis quam parvulis communiter perfectum remedium ad salutem.

“Verum quia quantum ad effectum baptismi in parvulis reperiuntur doctores quidam theologi opiniones contrarias habuisse, quibusdam ex ipsis dicentibus, per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri, aliis econtra asserentibus, quod et culpa iisdem in baptismo remittitur, et virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etsi non pro illo tempore quoad usum: Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quae per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quae dicit, tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes, tanquam probabiliorem, et dictis Sanctorum et doctorum modernorum theologiae *magis consonam et concordem, sacro approbante Concilio duximus eligendam*” (Denz. 482 sq.).

Cone. Tridentinum, sess. 7, can. 12 de Bapt.: “Si quis dixerit, neminem esse baptizandum nisi ea aetate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo: A.S.” (Denz. 868); *can. 13:* “Si quis dixerit, parvulos eo quod actum credendi non habent, suscepto baptismo *inter fideles* computandos non esse, ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut praestare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae: A.S.” (Denz. 869). *Can. 14* damnantem *Erasmi* doctrinam supra citavimus.

Scriptura.

Doctrina de validitate et fructuositate Baptismi parvulorum continetur *implicite* in textibus allatis in art. praec. quoad *universalem necessitatem* Baptismi, necnon in locis in quibus *capacitas parvulorum ad regnum caelorum* signanter a Christo proponitur (*Matth. 19, 14 sq.; Mare. 10, 14 sq.; Lue. 18, Ió*).¹

¹ Inepte *Anabaptistae* opponunt in his textibus agi *tantum* de iis qui sunt parvuli non physice sed moraliter, i.e. animi simplicitate et innocentia.

Nullus autem explicitus textus habetur de Baptismo parvulorum. Narratur quidem quasdam familias integras esse baptizatas (i.e. domum Lydiae purpurariae, omnem domum custodis carceris Macedoniae et domum Stephanae, *Act. 16, 15. 33; 1 Cor. 1, 16*), in quibus verisimile est aliquot infantes fuisse, at hoc certum non est nec caeterum veritas locutionis necessario postulat ut omnia prorsus illarum membra Baptismum suscepisse dicantur.

Patres.

Omnino explicite et constanter insistunt in hac veritate eamque intime conjungunt cum altera de *necessitate* Baptismi parvulorum et obligatione hunc quam citius administrandi; ipsum comparant cum *Circumcisione*; ex ejus efficacitate deducunt ipsam existentiam *peccati originalis*.

Confer doctrinam et textus relatos in art. praec. Praeterea accipe sequentes textus in quibus infusio gratiae in parvulis baptizatis *signanter praedicatur*:

Chrysostomus in *homilia ad Neophytos* ait: "Etiam infantes baptizamus: cum non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, haereditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint" (apud *Augustinum*, C. Julian. 1, 6, 21, M.L. 44, 654; cf. integrum textum Chrysostomi in initio Introductionis tractatus).

Augustinus, *De pecc. merit, et remiss. 1, 9, 10*: "Christum imitantur sancti ejus ad sequendam justitiam . . . Sed praeter hanc imitationem, gratia ejus illuminationem justificationemque nostram etiam intrinsecus operatur . . . Hac enim gratia baptizatos quoque parvulos suo inserit corpori, qui certe imitari aliquem nondum valent. Sicut ergo ille in quo omnes vivificantur, praeter quod se ad justitiam exemplum imitantibus praebuit, dat etiam sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit et parvulis: sic et ille in quo omnes moriuntur [Adam], praeter quod eis qui praeceptum Domini voluntate transgrediuntur, imitationis exemplum est, occulta etiam tabe carnalis concupiscentiae suae tabificavit in se omnes de sua stirpe venientes" (M.L. 44, 114 sq.).

Idem, *Epist. 187 (ad Dardanum)*, 8, 26: "Dicimus ergo in baptizatis parvulis, quamvis id nesciant, habitare Spiritum sanctum. Sic enim eum nesciunt quamvis sit in eis, quemadmodum nesciunt et mentem suam; cujus in eis ratio, qua uti nondum possunt, velut quaedam scintilla sopita est, excitanda aetatis accessu" (M.L. 33, 841 sq.).

CONCLUSIO

Conclusio 1. Parvuli Valide Baptizantur.**Probat.**

1. *EX NECESSITATE BAPTISMI PARVULORUM* sequitur ejus validitas (quamvis non e converso). Frustra enim Baptismus parvulis praeciperetur si ab eis valide recipi non posset.

2. *A PARITATE CUM CIRCUMCISIONE*. Circumcisio valebat parvulis in A.T., ergo et Baptismus in N.T., nam hi duo ritus eundem finem eandemque necessitatem habent et unus alteri successit ut ejus perfectio et complementum.

3. *Ratio* quare parvuli dicerentur incapaces Baptismi suscipiendi esset *vel* eorum *incapacitas ad ipsius effectum*, cui enim non convenit signatum non convenit signum, *vel dejectus intentionis* suscipiendi quae est conditio requisita ex parte subjecti ad valorem sacramenti.

Jamvero parvuli sunt capaces effectus sacramenti, ut infra probabitur et prima fronte patet saltem quoad characterem qui ex nulla fide vel bona dispositione subjecti dependet. Intentio vero non requiritur in subjecto incapaci; nam sacramentum est efficax ex se et ex opere operato, non vero ex intentione suscipientis quae se habet tantum ut conditio, requisita quidem non ratione ipsius essentiae vel causalitatis sacramenti, sed ratione subjecti quod debet sacramentum suscipere juxta modum suum, seu volenter si capax est vel secus si volitionis capax non est.

Caetcrum, dici potest etiam in parvulis intentionem sacramenti suscipiendi quodammodo adesse quatenus *intentio communis Ecclesiae* eis valet ad gratiam baptismalem suscipiendam, sicut intentio communis capitis Adae eis valuit ad peccatum originale committendum.

Ad rem S. *THOMAS*: “Regeneratio spiritualis, quae fit per baptismum, est quodammodo similis nativitati carnali, quantum ad hoc quod sicut pueri in maternis uteris constituti non per seipsos nutrimentum accipiunt, sed ex nutrimento matris sustentantur; ita etiam pueri nondum habentes usum rationis, quasi in utero matris Ecclesiae constituti, non per seipsos, sed per actum Ecclesiae salutem suscipiunt.

“Unde *Augustinus* [De pecc. merit, et remiss. 1, 25] dicit: ‘Mater Ecclesia maternum os parvulis praebet, ut sacris mysteriis imbuantur, quia nondum possunt corde proprio credere ad justitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem.’ Et [ibid. 1, 19]: ‘Si autem propterea recte fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur, cur etiam non poenitentes habeantur, cum per eorumdem

verba gestantium, diabolo et huic saeculo abrenuntiare monstrentur?’

“Et eadem ratione possunt dici intendentes, non per actum propriae intentionis, cum ipsi quandoque contra nitantur et plorent, sed per actum eorum a quibus offeruntur” (*q. 68, a. 9, ad I*).

Conclusio 2. Parvuli Fructuose Baptizantur Et Quidem Totum Sacramenti Effectum Qui Est Ex Opere Operato Suscipiunt.

Probat.

1. *EX NECESSITATE BAPTISMI*. Frustra parvulis praecipere-
tur Baptismus tanquam medium salutis si ex eo salutem percipere non
possent; salus autem absque gratiae infusione concipi non potest. *Item*,
cum Baptismus sit medium necessarium ad salutem, nisi parvuli pos-
sent fructuose illum suscipere non possent ad salutem pervenire, neque-
unt enim sanctificari ex opere operantis sicut adulti; ex quo patet
Baptismum directius et signantius pro parvulis quam pro adultis insti-
tutum esse ac sacramentum parvulorum per excellentiam vocari posse.

2. *A PARITATE CUM CIRCUMCISIONE*, ut supra.

3. *Ratio* quare parvuli, utpote usu rationis carentes, non possent
suscipere effectum aut totum effectum Baptismi esset *vel ex parte
ipsius sacramenti*, quatenus hoc non ageret ex opere operato sed ex
fide subjecti, *vel ex parte subjecti*, quatenus in eis desideretur fides ut
conditio requisita ad efficacitatem sacramenti, *aut* quatenus in eis sit
obex ad sacramenti effectum, *aut* quatenus essent incapaces suscipi-
endi effectum regenerationis et gratiae.

Jamvero sacramentum efficacitatem habet ex opere operato non
autem ex fide subjecti. In parvulis non est necessaria fides propria, sed
sufficit fides Ecclesiae, ut dictum est in art. praec. (resp. ad obj. 3). In
eis obex repugnans sacramenti effectui nequit haberi, cum obex sit mala
dispositio voluntatis quae sola repugnat infusioni gratiae. Ipsi sunt
capaces effectus Baptismi considerati tum generice *ut est salus*, omnis
enim homo est capax salutis et ad eam vocatus, imo peculiariter parvuli
ad salutem a Christo invitantur: “Talius est enim regnum caelorum”
(Matth. 19, 14; cf. Mare. 10, 14; Luc. 18, 16), tum *ut justificatio*, nam
peccatum originale habent a quo regenerari possunt, tum *ut sanctifi-
catio* seu ut gratiae et virtutum infusio, nam hae, cum sint habitus non
actus, et infusae non acquisitae, nullatenus ab usu rationis dependent,
nec caeterum potest absque gratia salus obtineri, cum gratia sit prin-
cipium supernaturalis elevationis, aut peccatum originale deleri, quod
est gratiae privatio.

Ex hac ultima ratione confutatur *sententia supredictorum theolo-
gorum*, contra quos sic arguit S. *Thomas*:

“Hoc [i.e. parvulis remitti peccatum originale absque gratiae infusione] patet esse falsum dupliciter: *primo* quidem quia pueri, sicut et adulti, in baptismo efficiuntur membra Christi; unde necesse est quod a capite recipiant influxum gratiae et virtutis. *Secundo* quia secundum hoc pueri decedentes post baptismum non pervenirent ad vitam aeternam . . . *Causa autem erroris fuit*, quia nescierunt distinguere inter habitum et actum, et sic videntes pueros inhabiles ad actus virtutum, crediderunt eos post baptismum nullatenus virtutem habere. Sed ista impotentia operandi non accidit pueris ex defectu habituum, sed ex impedimento corporali; sicut etiam dormientes, quamvis habeant habitus virtutum, impediuntur tamen ab actibus propter somnum” (ç. 69, a. 6).

Conclusio 3. Parvuli Convenientissime Baptizantur Nec Ulla Adduci Potest Ratio Quare Eorum Baptismus Ad Adultam Aetatem Differri Conveniat.

Probat.

Duplex est ratio quare expedit parvulos baptizare. *Prima* et praecipua est *periculum moriendi* absque Baptismo aeternamque salutem amittendi, quod inest dilationi Baptismi usque ad adultam aetatem; quae ratio ut patet supponit absolutam necessitatem hujus sacramenti et fundat non solum convenientiam sed etiam obligationem parvulos quamprimum baptizandi, ut dictum est in art. praec.

Altera est *positiva utilitas* quae ex Baptismo in infantia suscepto provenit hominibus usum rationis attingentibus, scilicet “ut a pueritia nutriti in his quae sunt Christianae vitae, firmiter in ea perseverent, secundum illud Prov. xxii, 6: ‘Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea’ ” (ç. 68, a. 9).

Ad cujus rationis intelligentiam nota quod parvuli “in baptismo recipiunt, praeter habitum gratiae sanctificantis, habitus infusos virtutum tam theologalium quam moralium, et specialiter habitum fidei. Quo fit ut cum inceperit elucescere aurora rationis, fidei veritatem *connaturaliter* capiant, atque in ea magis fundentur et radicentur, concurrente scilicet cum externa instructione ipso lumine infuso, quod est quaedam habitualis inclinatio ad proprium actum.”⁸

Dices 1. Parvuli baptizati defraudantur maiori effectum quem Baptismus in adultis producit juxta gradum dispositionis.

Resp. 1. Spes talis effectus ex una parte nequit compensare gravitatem periculi quod inest dilationi Baptismi usque ad adultam aetatem, ex alia vero parte compensatur indirecte per supradictam utilitatem.

⁸Billot, De sacr., t. 1, th. 27, § 1, Romae, 1914, p. 269.

2. Spes illa valde incerta est, praecipue si attendatur quod ob defectum habitus fidei et caritatis inclinantis animum ad ea quae sunt Dei. ob deficientem vel negligentem parentum educationem et ob animi pravas inclinationes, in multis adultis non magna dispositio expectanda foret, in pluribus etiam sufficiens dispositio ad fructum sacramenti requisita deesset, in aliis denique ipsa intentio ad Baptismum accedendi deficeret, unde periclitaretur ipsa sacramenti susceptio.

3. Si spes majoris fructus esset sufficiens ratio differendi Baptismum parvulorum, hic differendus esset non tantum usque ad usum rationis sed diutius usque ad provectiorem aetatem et eo magis quo melior fructus ex dilatione expectari posset, sicut abusive agebant plures catechumeni in antiqua Ecclesia (cf. art. praec., Part. Affirm.).

Dices 2. Christus Baptismum suscepit in adulta et perfecta aetate; quod plures sancti viri in antiqua Ecclesia imitarunt. Ergo convenit saltem, ad imitationem Christi, Baptismum ad adultam aetatem differre.

Resp. Merito *Cone. Trid.*, sess. 7, can. 12 supra cit., hanc conclusionem damnavit. Nam praxis vel doctrina aliquorum de Baptismi dilatione rejecta est a communi sententia et praxi Ecclesiae, ut dictum est in art. praec. Exemplum autem Christi non est ad rem. Etenim: 1. Nos indigemus in infantia baptizari, Christus vero non indiguit. 2. Non omnia quae Ipse fecit nobis imitanda Christus reliquit, ut patet v.g. de vespertina celebratione Eucharistiae post coenam. 3. Christus cum baptizaretur nostrum Baptisma instituere voluit, unde in ea aetate baptizari debuit quae convenit conditioni legislatoris. 4. Ceterum Christus non potuit in infantia baptizari cum nondum existeret baptismus Joannis; accepit vero Circumcisionem et quoad hoc exemplum dedit Baptismi parvulorum.

Dices 3. Aequum non est parvulos absque eorum consensu subicere gravibus obligationibus quae ex Baptismo oriuntur. Ergo non expedit eos baptizare vel saltem, ut docet Erasmus, interrogandi sunt cum adoleverint an eas obligationes ratas habeant et ubi se nolle responderint, suo arbitrio relinquendi sunt.

Resp. Haec ratio ex duplici falso supposito procedit:

1. Falso supponit susceptionem cujuslibet obligationis *dependere a consensu subjecti* nec posse imponi. Susceptio autem Baptismi et consequentium officiorum non relinquitur liberae optioni adultorum sed eis a Deo imponitur sub periculo damnationis. Unde cum parvuli baptizantur nulla eis fit injuria sed mature et cum fructu imponitur eis jugum, ceteroquin suave, cui necessario cum adoleverint se subicere deberent. Propterea etiam in A.T. nulla fiebat infantibus iniuria cum

circumcidebantur. Accedit quod ad praecipuas obligationes quae ex Baptismo oriuntur, i.e. observandi divinam legem et abrenuntiandi Satanae ejusque operibus, omnes tenentur etiam independenter a susceptione Baptismi.

2. Falso supponit suscipientem aliquam obligationem debere necessario *per seipsum consentire*. Nam, ut apparet etiam ex consuetudine et legibus civilibus de pactionibus et contractibus, possunt parvuli consentire per alios cum quibus efficiunt unam personam moralem. Parvulus igitur Baptismum ejusque obligationes suscipit, ut supra diximus, ex intentione Ecclesiae et *per ipsam consensum praebet*; imo, cum Baptismi obligationes sint onus leve in comparatione beneficiorum et jurium quae simul conferuntur, merito praesumitur parvuli consensus ac recte dici potest parvulum per seipsum consentire, *interpretative scilicet et praesumptive* (cf. *Bellarmino, De bapt. 1,8*).

Ex quibus patet quam falsa sit illatio *Erasmi* explicitè condemnata a *Cone. Trid.*, sess. 7, can. 14 supra citato.⁹

ART. 11. Utrum Parvuli, In Maternis Uteris Positi, Sint Capaces Validae Susceptionis Baptismi (q. 68, a. 11).

STATUS QUAESTIONIS

Infantes in maternis uteris viventes salvari possunt vel per immediatam et miraculosam sanctificationem, quae ex sola revelatione innotescere potest (ad 1), vel per determinatum privilegium martyrii (cf. ad 1; *Augustinum*,[^]. 187,10,32 mox cit.; *Petrum Lombardum, Sent.* l. 4, dist. 6, n. 2) si, una cum matre vel per matrem, actione occisiva, in odium fidei illata, attinguntur.

Quaeritur an etiam per Baptismum salvari possint. Quae quaestio est magni momenti etiam quoad praxim, cum non raro contingat valde probabiliter praevideri posse infantem non vivum in lucem egressurum.

Patet autem hic *non agi* de Baptismo parvuli per operationem Caesaream ex ventre matris *extracti* aut partialiter ex utero in lucem *egressi*; talis enim parvulus non amplius in utero existens sed *natus* reputatur. Quoad hos casus haec est doctrina S. *Thomae* in *Codice J.C.* (can. 746) et *Rituali Rom.* (t. 2, c. 1, n. 20) sub forma legis determinata:

“*Non sunt jacienda mala ut veniant bona, ut dicitur Rom. iii, 8; et ideo non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum. Si tamen mater mortua fuerit vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur*” (ad 3).

⁹ Contra hanc *Erasmi* et Protestantium doctrinam egregie disserit *Perrone, De bapt.*, c. 4, prop. 2.

“Expectanda est totalis egressio pueri ex utero ad baptismum, nisi mors immineat. Si tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari, periculo imminente; et non est postea rebaptizandus, si eum perfecte nasci contigerit. Et videtur idem faciendum, quaecumque alia pars egrediatur periculo imminente. Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitae ita consistit sicut in capite, videtur quibusdam quod propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam nativitatem sit baptizandus sub hac forma: ‘Si non es baptizatus, ego te baptizo’ ” (*ad 4*).¹⁰

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

OMNES FERE ANTIQUI THEOLOGI negant, saltem ut probabilius, infantes in utero esse capaces validi Baptismi. Contrarium vero docent *OMNES FERE MODERNI*.

Jam *Suarez* animadvertibat: “Addendum occurrit, cum dicitur debere hominem prius nasci ex utero, vel omnino vel ex parte, quam baptizetur, non oportere intelligi de propria nativitate. Quacumque enim ratione fieri potest ut abluatur, id satis erit ad valorem baptismi, etiamsi propria nativitas humana non praecedat, quia substantia sacramenti consistit in ablutione sub debita forma verborum. Unde, si mortua sit mater habens infantem in utero et aperiatur ac detegatur puer, illa non est propria corporalis nativitas, et tamen circa illum puerum perfici potest baptismus; nec solum potest, sed etiam debet, quando mater prius mortua est.”¹¹

SEQUENTES *RATIONES PRO NEGATIVA* allatae sunt:

1. *Auctoritas*:

Augustini, Epist. 187, 10, 32 (ad Dardanum), scribentis: “Quamlibet itaque sententiam de praegnantibus, imo de hominibus habeamus adhuc intra materna viscera constitutis, utrum existimemus eos necne donari posse aliquo sanctificationis modo; vel propter Joannem, qui nondum in hanc editus lucem, tamen exsultavit in gaudio: quod utique nisi operatione Spiritus sancti fieri potuisse quis credat? vel propter Jeremiam, cui Dominus dicit, ‘Priusquam exires de vulva, sanctificavi te’ (*Ierem. 1, 5*): tamen illa sanctificatio qua efficimur et singuli templa Dei, et in unum omnes templum Dei, non est nisi renatorum; quod nisi nati homines esse non possunt ... Si igitur homo regenerari per gratiam Spiritus in utero potest, quoniam restat illi adhuc nasci. *renascitur ergo antequam nascitur; quod fieri nullo modo potest*” (M.L. 33, 844 sq.).

¹⁰De his quaestionibus confer *Merkelbach*, Theol. Moral., De bapt., art. 4.
¹¹“In 3 p., q. 68, a. 11, n. 2, ed. Parisiis, t. 20, p. 447.

Item, *De pccc. merit, et remiss.* 27, 43, scribentis: “Quisquis vero adhuc movetur, quare baptizentur qui jam de baptizatis nascuntur, hoc breviter accipiat. Sicut generatio carnis peccati per unum Adam ad condemnationem trahit omnes qui eo modo generantur; sic generatio spiritus gratiae per unum Jesum Christum ad justificationem vitae aeternae ducit omnes qui eo modo praedestinati regenerantur. Sacramentum autem Baptismi profecto sacramentum regenerationis est. Quocirca sicut homo qui non vixerit, mori non potest, et qui mortuus non fuerit, resurgere non potest: ita *qui natus non fuerit, renasci non potest*. Ex quo conficitur, neminem in suo parente renasci potuisse non natum” (M.L. 44, 177).

Isidori Hisp., Sententiarum l. 1, c. 22, n. 5, docentis: “Qui in matris uteris sunt ideo cum matre baptizari non possunt, quia qui natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest. Neque enim dici regeneratio in eo poterit quem generatio non praecessit” (M.L. 83, 589).

Magistri Sent., l. 4, dist. 6, n. 2, doctrinam Isidori ad verbum repetentis.

S. Thomae, in hoc articulo.

Ritualis Romani jubentis: “Nemo in utero matris clausus baptizari debet”.

2. Corpus infantis antequam ex utero edatur *nequit attingi* et ablui aqua, nec aliunde infans baptizari potest ablutione matris a qua corpore et anima distinguitur.

3. Per Baptismum homo cooptatur inter *membra visibilis Ecclesiae*; infans autem nondum ex utero editus nequit cooptari inter visibilia membra Ecclesiae. Ad rem *S. THOMAS*: “Pueri in maternis uteris existentes nondum prodierunt in lucem, ut cum aliis hominibus vitam ducant; unde non possunt subjici actioni humanae, ut per eorum ministerium sacramenta recipiant ad salutem” {ad 7}.

4. Dicitur in *Joan. 3, 5*: “Nisi quis *renatus* fuerit”, et *3, 7*: “Oportet vos *nasci denuo*”; jamvero nemo potest renasci (spiritualiter) nisi prius fuerit natus (corporaliter).

Ut intelligatur non tantam esse inter Doctores doctrinae discrepantiam quanta prima fronte apparere potest, sedulo *notandum est hanc quaestionem non semper eodem modo positam esse* nec ideo apud omnes praedictas rationes ad eandem conclusionem procedere aut eundem valorem habere.

Augustinus, qui considerari potest ad caput totius negotii, quaestionem agebat contra Pelagianos (nominatim contra Julianum pelagia-

num) *an parvuli ob ipsam suam unionem cum matre fideli sanctificentur antequam nascerentur*, notanter in casu quo mater praegnans baptizaretur; ac respondebat negative, *tum* quia infans est a matre distinctus et independenter ab ea originali peccato inquinatus, *tum* quia cum nondum sit *natus renasci* spiritualiter non potest juxta *Joan.* 3, 5. Obicienti vero parvulum in utero jam natum esse (adeoque *per unionem cum matre* sanctificari posse) respondebat infantem in utero proprie et simpliciter natum dici non posse, secus Baptismus susceptus post partum esset tertia nativitas (cf. *Epist.* 187 ad Dardanum. 10, 33).

Unde Augustinus (necnon *Isidorus* et *Magister Sent.*, qui fere ad verbum ejus doctrinam repetunt) non tractat quaestionem: an parvulus in utero sit capax *proprii* Baptismi nec ad hanc applicat praefatam exegesim *Joan.* 3, 5.

Inde autem a saec. 12-13 quaestio posita est *de ipsa capacitate infantis in utero ad suscipiendum proprium Baptismum*; ad hanc negandam theologi adduxerunt utrumque argumentum Augustini et addiderunt tertiam rationem, scilicet talem infantem *non posse aqua attingi et ablu* (quae ratio nunc ob scientiae progressum comprobatur falsa). Cum autem unice vel saltem praecipue in hac tertia ratione suam negationem fundaverint (cf. dicenda de *S. Thoma* in *Resp.*; *Scotum*, In 4 *Sent.*, dist. 4, q. 3), hi theologi non substantialiter adversantur sententiae affirmativae nec in eorum sententia continetur negatio istius hypotheticae propositionis: Si infans in utero potest aqua attingi, valide baptizatur.

Tandem *quidam recentiores*, cognita possibilitate parvulum aqua attingendi, quaestionem clare et directe sub hac hypothetica forma proponunt: "*Utrum si infans in utero attingi seu ablu* possit, *valide baptizetur*" eique negative respondent adducentes 1,3 et 4 ex supra relatis rationibus, i.e. auctoritatem Augustini, *S. Thomae* aliorumque antiquorum, rationem visibilitatis Ecclesiae et signanter augustinianam exegesim textus *Joan.* 3, 5.

Inter hos theologos, contra quos hic directe agitur, notandus est *Billuart* qui sic clare et determinate quaestionem ponit:

"Quaestio est utrum si, inchoato puerperio et aperto ostio uteri, puer possit manu vel *syringia* aliove instrumento aqua perfundi, sive scissa secundina juxta quosdam, qui volunt eam non esse partem corporis, sed ejus involucrum tantum; sive ea integra manente juxta alios, qui dicunt hanc pellem esse partem infantis pro hoc statu, eo quod secundum medicos sit illi congenita et non solum ad tegumentum, sed etiam ad ejus nutritionem ordinata: quaestio est, inquam, utrum infans

in hoc statu possit licite et valide baptizari? *Dico . . . Probabilius videtur in casu posito infantem nec licite nec valide posse baptizari.*"¹²

CONCLUSIO

Infantes In Maternis Uteris Positi Valide Baptizantur.

Probat.

Eatenus parvuli in maternis uteris essent Baptismi incapaces, quatenus *vel* positive ab illius susceptione excluderentur per voluntatem Dei manifestatam in Scriptura et Traditione, *vel* aliqua in eis desideraretur conditio requisita ad valorem sacramenti. Jamvero:

1. *Ex Scriptura et Traditione* nihil potest deduci ad talem exclusionem probandam. Verba enim Joan. 3, 5 nihil tale continent, ut infra in Resp. explicabitur, imo generaliter ad omnes homines diriguntur ("Nisi quis"); personalis vero opinio S. Augustini nequit adduci ut testis Traditionis in hac re. Praeterea inverisimile prorsus videtur, attendente universali Dei salvifica voluntate, tales infantes excludi ab unico medio salutis quod est gratia Baptismi, cum aliunde nulla in eis desideretur conditio requisita ad illam suscipiendam.

2. *Nihil est quod opponatur* valori Baptismi talium infantium:

Sive ex parte subjecti, nam infans in utero materno est vivens, a matre corpore et anima distinctus, viator, capax gratiae, indigens a peccato originali liberari.

Sive ex parte essentiae sacramenti, nam infans potest aqua attingi et abluī.

Sive ex parte finis sacramenti, nam Baptismus est ordinatus ad delendum peccatum originale; hoc autem non nativitate sed generatione seu conceptione contrahitur; ergo Baptismus non tantum ad eos qui nascuntur sed ad omnes qui primo concipiuntur ordinatur.

Concludendum est igitur cum *Codice J.C., can. 745, § 1*: "Subiectum capax baptismi est omnis et solus homo viator, nondum baptizatus."

RESPONSIO

QUATTUOR RATIONES, QUAE A SENTENTIA NEGATIVA ADDUCUNTUR, SUNT INSUFFICIENTES. Nam:

1. *Auctoritas antiquorum* nequit recte invocari pro sententia negativa, quia, ut supra notatum est, alio modo quaestio ab eis ponebatur.

Quoad *Augustinum* notandum est quod potest quidem ejus exegesis Joan. 3, 5 adduci hic ad probandam sententiam negativam, sed nec S.

¹² Dc bapt., diss. 3, a. 3, Parisiis, 1904, p. 437.

Doctor id fecit nec talis exegesis est admittenda, quia tota fundatur in arbitraria restrictione vocis “renatus” ad nativitatem ex utero, ut infra explicabitur.

Sententia S. *Thornae* non videtur esse substantialiter opposita nostrae; nam *in corpore articuli* incapacitatem talium infantium ad Baptismum suscipiendum totam repetit ex hypothesis quod aqua non possit eos attingere, ex qua etiam suppositione explicantur verba supra citata ex ejus resp. ad 1. Rationem vero Augustini “Nemo renascitur nisi primo nascatur” tantummodo recitat in “Sed contra” ex ore ipsius Augustini.

Rituale Romanum nunc (t. 2, c. 1, n. 20) et *Codex J.C.* (can. 746, § 1 et 5) haec habent quae omnino favent sententiae affirmativae: “Nemo in utero matris clausus baptizetur, donec probabilis spes sit ut rite editus baptizari possit. . . Foetus, in utero baptizatus, post ortum denuo sub conditione baptizari debet.”

2. *Progressus scientiae modernaevacuavit* impossibilitatem parvulum aqua attingendi, licet dubium an secundina pertineat ad corpus parvuli et an, cum parvulus est e secundina egressus, aqua in sufficienti quantitate attingat praecipue caput ejus, sit ratio quare Baptismus in utero semper conditionate conferendus sit ac post nativitatem conditionate repetendus.

Verum est, et ab omnibus theologis cum *Augustino* (Contra Julian. 6, 14, 43; 17, 52; De pecc. merit, et rem. 2, 26 sq.) et 5. *Thoma* (hic in corp.) admittitur, infantem non baptizari Baptismo matris; cum enim sit homo vivens a matre corpore et anima distinctus, non ei prodest Baptismus a matre antea susceptus nec a fortiori ei prodesset alter attentatus Baptismus matris, cum Baptismus sit initerabilis, aut exterior ablutio corporis vel sinus matris quae non attingeret ipsum.

3. Infans, cum sit ens corporale et sensibile, *inter visibilia membra Ecclesiae* recte cooptari dici potest; praeterea per hoc quod instrumento et aqua attingitur operationi aliorum subicitur et ita cum aliis visibiliter hoc est sensibiliter communicat.

4. *Argumentum praecipuum* quod deducitur ex verbis Joan. 3, 5 “*Nisi quis renatus fuerit*” non magnum pondus habet, *tum* quia per spiritualem regenerationem primo et per se significatur restitutio vitae (quam homo per peccatum amisit), relatio vero hujus spiritualis renovationis ad generationem carnalem exprimitur potius indirecte et inquantum haec secum trahit peccatum originale a quo homo est regenerandus, unde *Cone. Trid.*, sess. 5, can. 4 explicans verba Joan. 3, 5 docet parvulos ideo baptizari “ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt” (Denz. 791), *tum* praecipue quia arbitrarie

coarctatur sensus vocis *γεννηθη* (renatus fuerit) ad solam nativitatem ex utero, cum ipsa secundum se significet *generationem*, adeoque dici possit sive de tota generatione, sive de ejus principio quod est conceptio, sive de ejus complemento quod est nativitas ex utero (unde S. *Thomas* In 4 Sent., dist. 6, q. 1, a. 1, q. 1, ipsi latinae vocis “nativitas” duplicem sensum assignat, i.e. nativitatis in utero et nativitatis ex utero) et ceterum in ipsa *Scriptura* vox *γεννάω* (gigno) vel “nascor” etiam in sensu solius conceptionis accipitur, ita in Matth. 1, 20: “Quod enim *in ea natum* est [ro *ἐν αἰ-νὴ γεννηθὲν*] de Spiritu sancto est” (cf. Luc. 1, 35), non secus ac solius nativitatis ex utero (Matth. 1, 16; 2, 1-4; 19, 12; 26, 24; Luc. 1, 57; Joan. 16, 21; Act. 7, 20; Rom. 9, 11) aut totius generationis (Matth. 1, 1-16).

Ad haec quidem *urget Augustinus* (Epist. 187 ad Dardanum supra cit.) quod non dicitur simpliciter et sine addito natus nisi qui in lucem editur ac ideo etiam in citato textu Matthaei de Christo in utero non dicitur simpliciter “Quod natum est” sed “Quod *in ea natum est*”, et quod si conceptio pro nativitate computaretur, Baptismus qui administratur parvulo post partum non esset secunda sed tertia nativitas.

At respondetur quod conceptus generationis et nativitatis vere convenit tum toti actioni generativae, tum nativitati in utero quae est essentialis pars generationis, tum nativitati ex utero quae est ejus complementum supponens conceptionem, nec ideo necesse est quidquam illi voci addere ad significandam conceptionem, sicut nihil ei additur cum significatur partus. Ex quo etiam sequitur quod sive illis qui ante partum, sive illis qui post partum baptizantur, Baptismus est secunda spiritualis nativitas, quia corporalis nativitas et generatio est unus conceptus qui in utroque casu verificatur, quamvis sub diversa ratione, qui enim concipitur vere generatur et nascitur nec cum in lucem editur iterum nascitur, sed tantum ejus generatio et nativitas completur.

ART. 12. Utrum Parvuli Infidelium Possint Invitis Parentibus Baptizari (q. 68, a. 10; 2-2, q. 10, a. 12; Quodlib. 2, a. 7).

STATUS QUAESTIONIS

Haec quaestio, olim fusiori calamo agitata et praecipue *inter Thomistas et Scotistas controversa*, hodie est potius speculativa quam practica, quia ob divortium potestatis civilis ab ecclesiastica et ob numerum infidelium, etiam Christianorum ab Ecclesia separatorum ejusque jura impugnantium, Baptismus parvulorum acatholicorum,

invitis parentibus, etiam in casibus in quibus per se licet, generaliter non expedit.

Distinguendum autem est inter *validitatem* et *liceitatem* talis Baptismi; item inter *infideles baptizatos* ab Ecclesia separatos et *infideles non baptizatos*, et inter non baptizatos *non subjectos* Christiano principi, *subjectos ut cives, subjectos ut mancipia*.

Agitur, ut patet, de *parvulis* in sensu canonico, i.e. de usu rationis carentibus; nam pueri infideles, usum rationis assecuti, non sunt simpliciter sub patria potestate quoad ea quae jus naturale et divinum respiciunt, adeoque consentientes, invitis parentibus, per se licite baptizantur. Ad rem 5. *Thomas*: “Postquam [parvulus] . . . incipit habere usum liberi arbitrii, jam incipit esse suus; et potest quantum ad ea quae sunt juris divini vel naturalis, sibi ipsi providere; et tunc est inducendus ad fidem non coactione, sed persuasione; et potest etiam invitis parentibus consentire fidei, et baptizari” (2-2, q. 10, a. 12).

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

1. *VALIDITATEM* Baptismi parvulorum infidelium quorumcumque, invitis parentibus, docent communissime theologi; *negant vero pauci*, praecipue *Durandus* (In 4 Sent., dist. 4, q. 7, a. 13) qui ea in nititur ratione quod ad validitatem sacramenti requiritur intentio subjecti, in adultis propria, in parvulis aliena.

Sententia Durandi, quam Cajetanus *alienissimam a ratione* et Suarez *jalsam* appellat, sic refertur et judicatur a *Benedicto XIV*: “Durandus in IV Sent., dist. IV, q. vii, a. 13 . . . si hoc sacramentum [baptismus] hebraeorum aut infidelium filiis, invitis parentibus, impertitum fuerit, illud esse irritum omnino existimat . . . Verum haec Durandi opinio singularis nusquam aut plausum aut existimationem nacta est, quod revera constet baptismum esse ratum ac validum, quotiescumque baptizantis voluntas cum forma et materia necessaria accedat” (*Ep. “Postremo mense”* ad Vicesgerentem in Urbe, 28 febr. 1747, n. 26).

2. *QUOAD LICEITATEM* vero minor fuit concordia theologorum saltem antiquorum. *Conveniunt* omnes in docendo 1. per se licitum esse baptizare parvulos parentum baptizatorum sive sint catholici sive haeretici sive schismatici, 2. saltem per accidens in quibusdam casibus licitum esse baptizare infantes infidelium non baptizatorum (cf. infra ad finem Conci. 5).

Controversia reducitur ad hoc: Utrum per se licitum sit baptizare invitis parentibus parvulos infidelium sive legibus propriis viventibus sive principi christiano subjectorum. Triplex autem datur sententia:

a. *Affirmant Scotus* (In 4 Sent., dist. 4, q. 9, n. 2), *G. Bid, Esliis* (In 4 Sent., dist. 6, 2) *et* plures alii e schola scotistica. *Ratio* quam adducunt est quia principis est compellere subditos ad oboediendum divinis mandatis et quia potius est jus principis in parvulos quam jus ipsorum parentum.

Sententia *Scoti*, quae, post infra citanda documenta *Benedicti XIV*, ab omnibus theologis derelicta est et a *S. Thoma* (cf. infra, Conci. 5, 4 ratio) vocatur *periculosa*, ab aliis *erronea* vel *temeraria*, sic refertur a praefato Pontifice in supracitato documento: “*Scotus* . . . censuit laudabiliter posse Principem imperare, ut invitis etiam parentibus Hebraeorum atque infidelium infantuli baptizentur, dummodo id potissimum prudenter caveatur, ne iidem infantes a parentibus occidantur” (Denz. 1482).

b. *Negant simpliciter Capreolus* (In 4 Sent., dist. 5, q. 1, a. 3), *Marsilius* (In 4 Sent., dist. 4, a. 4, dub. 2), *Catharinus* et alii pauci. *Ratio* est quia in Baptismo talium parvulorum habetur laesio juris naturalis parentum et periculum futurae apostasiae a fide.

c. *Negant sub distinctione omnes alii theologi*, docentes parvulos non posse licite baptizari invitis parentibus si hi sint principi Christiano subjecti politice tantum seu *ut cives*, posse vero si hi subiciantur etiam serviliter seu *ut mancipia*. Nam in primo casu, non vero in altero, urgent *rationes* invocatae a secunda sententia, ut fusius dicetur in Conclusionem.

Haec sententia sibi vindicat tum auctoritatem *S. Thomae* qui primam ejus partem explicite docet in tribus locis notatis in textu articuli (secundam vero partem *S. Doctor* nonnisi indirecte innuit, quatenus in q. 68, a. 10, ad 2 et 2-2, q. 10, a. 12, ad 3, ait ideo eos parvulos baptizari non posse quia eorum parentes sunt servi principum servitute civili, in quo innuitur eos baptizari posse si parentes sint servi ut mancipia), tum praecipue auctoritatem *Benedicti XIV*, qui eam commentans et late applicans in duobus auctoritativis documentis (*Epist. “Postremo mense”*, 28 febr. 1747 et *Epist. “Probe te meminisse”*, 15 dec. 1751 ad Vicesgerentem in Urbe) ait in primo documento post citatam nec laudatam sententiam *Scoti*: “Praevaluit (tamen) in tribunalibus *S. Thomae* sententia . . . atque inter theologos canonumque peritos vulgatio est” (Denz. 1482), in altero vero documento: “Docet (*S. Thomas*) infantes infidelium sine parentum consensu nequaquam baptizari posse: eaque doctrina et ab aliis communiter recepta et cum aliorum tribunalium ecclesiasticorum, tum etiam supremae hujus Inquisitionis sententiis atque judiciis roborata atque confirmata est”.

Hanc *Benedicti* doctrinam confirmarunt subsequencia documenta *S. Officii*, 12 jan. 1769 et 17 aug. 1777.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Parvuli Infidelium, Etiam Invitis Parentibus, Semper Valide Baptizantur.

Probat.

Intentio parentum non requiritur ad essentiam aut validitatem sacramenti; si quae autem intentio in parvulo requiratur haec non alia est quam ipsa communis intentio Ecclesiae, ut dictum est in art. 10, Conci. 1. Ergo dummodo adsit materia, forma et intentio ministri, parvuli infidelium valide baptizantur.

Ad rem *Augustinus, Epist. 98 (ad Bonijactum), 2*: “Ut [parvulus] . . . possit regenerari per officium voluntatis alienae, cum offertur consecrandus, facit hoc unus Spiritus, ex quo regeneratur oblatus. Non enim scriptum est, Nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium vel ministrantium fide; sed, ‘Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto’ ” (M.L. 33, 360).

Conclusio 2. Parvuli Infidelium, Sive Licite Sive Illicite Baptizati, Ipso Facto Sub Ecclesiae Potestate Et Tutela Constituuntur.

Probat.

Per Baptismum valide susceptum et characteris christiani impressionem homo constituitur subditus et membrum Ecclesiae; ex quo consequitur tum obligatio subjecti vitam catholicam ducendi Ecclesiaeque legibus oboediendi, tum *jus correlativum Ecclesiae*, quod cum sit altioris ordinis praevalet juri naturali parentum.

Cum tali jure Ecclesiae intime connectitur ejusdem officium parvulos baptizatos *sub sua tutela* revocandi ac quantum fieri potest parentibus infidelibus subtrahendi ut in vita catholica educantur et conserventur. Ad rem *Benedictus XIV*: “Si [parvuli] jam sacramento initiati essent, aut detinendi sunt aut ab Hebraeis parentibus recuperandi tradendique Christi fidelibus, ut ab illis pie sancteque informantur; hic enim baptismi licet illiciti, tamen veri validique, effectus est” (Denz. 1490).

Hanc Ecclesiae doctrinam in praxim deduxit *Pius IX* in famoso casu *Edgardi Mortara*. Cum enim hic, infans judaeus, Bononiae a. 1858 fuisset in periculo mortis baptizatus a quadam ancilla. Papa jussit ut parentibus judaeis subtraheretur et catholice educaretur; quod fructuosissime obtentum est, cum Edgardus subinde non solum in fide perseveravit sed et canonicus regularis lateranensis factus est. Inaniter autem Judaei et Liberales in suis periodicis hanc agendi rationem im-

pugnarunt ac contradictionis cum doctrina Benedicti XIV arguerunt.¹

Dices. Ex hac doctrina sequeretur parentes jure suo privari per injustam actionem ministri illicite baptizantis; nemo autem per actionem injustam potest suo jure privari.

Resp. Directa et proprie dicta causa per quam eliditur jus parentum est impressio characteris et consequens jus Ecclesiae, non vero ipsa injusta actio ministri quae est tantum indirecta et improprie dicta causa seu occasio.

Instes. Cum gratia non destruat naturam nequit gratia Baptismi et jus in ea fundatum destruere jus naturale parentum.

Resp. In casu non habetur proprie destructio juris naturalis parentum sed ejus subordinatio juri supernaturali Ecclesiae, sicut nihil in natura per gratiam destruitur sed isti subordinatur. Imo sicut in multis gratia perficit naturam, ponendo in ea aliquid in quo eminenter continetur et superatur quidquid est perfectionis in aliqua proprietate naturali, puta substituendo finem supernaturalem fini naturali, ita in casu gratia Baptismi jus parentum perficit, ei substituendo jus Ecclesiae.

Conclusio 3. Parvuli Infidelium Baptizatorum, Seu Haeticorum, Schismaticorum Et Apostatarum, Per Se Licite Baptizantur.

Probatum.

Ratione suscepti Baptismi, parentes sunt subditi Ecclesiae, ratione vero parentum etiam parvuli indirecte eidem subduntur. Ergo Ecclesia potest urgere obligationem quam parentes habent media salutis, praecipue Baptismum, filiis procurandi, ac, ipsis invitatis, parvulos baptizare.

Per accidens tamen, praecipue in modernis contingentibus tam diffusae tum privatae tum publicae apostasiae a fide, talis Baptismus *plerumque non expedit*, cum gravia secum ferat incommoda, puta odium et persecutionem fidelium, et *saepe illicitus evadit* ob periculum fidei in quo parvulus, infideli familia circumdatus, necessario versatur (cf. documenta *S.C. de Propaganda fide*, 17 aug. 1777, et *S. Officii*, 21 jan. 1777).

Haec, ut patet, applicanda sunt, proportione servata, etiam his quae dicuntur in Conci. 2. 4 et 5.

Conclusio 4. Parvuli Infidelium Non Baptizatorum, Qui Ut Mancipia Principi Christiano Subiciantur, Per Se Licite Baptizantur.

Probatum.

Jure servitutis, seu realis dominii per jus gentium introducto, potest

¹Cf. "*La Civiltà Cattolica*", an. 9 (1858), Scr. 3, v. 12, p. 385 sq.

princeps filios mancipiorum a parentibus separare (cum imo possit eos vendere et alienare), adeoque a jure paterno separatos baptizare. Aliunde autem periculum fidei per ipsam separationem avertitur. Ad rem *Benedictus XIV*: “Ex auctorum sententia, nequaquam denegatum dominis jus est offerendi filios mancipiorum suorum infidelium ad sacrum baptismatis fontem” (*Ep. “Probe te meminisse”, 15*).

Nec valet opponere jus parentum in filios esse inalienabile utpote in lege naturali fundatum; *nam* non omne jus naturale est inalienabile, ut patet de jure libertatis quod amitti potest sive voluntarie, ut si quis in servitum seipsum redigat, sive coacte, ut in poenam vel jure belli.

Conclusio 5. Parvuli Infidelium Non Baptizatorum, Tum Propriis Legibus Viventium Tum Christiano Principi Politice Tantum Subjectorum, Per Se Illicite Baptizantur.

Probat.

5. *THOMAS* in q. 68, a. 10 *quattuor rationes* assignat, quas longius evolvit in 2-2, q. 10, a. 12 et Quodlib. 2, a. 7:

1 RATIO. EX VIOLATIONE JURIS NATURALIS.

Parvuli qui “nondum habent usum liberi arbitrii, secundum jus naturale sunt sub cura parentum, quamdiu ipsi sibi providere non possunt ... Et ideo contra justitiam naturalem esset, si tales pueri invitis parentibus baptizarentur; sicut etiam si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus” (*q. 68, a. 10*).

Haec injuria parentibus fieret non tantum per hoc quod filii ab eis separarentur, nam etiam si haec separatio locum non haberet, dupliciter jus parentum laederetur: *primo* per ipsam collationem Baptismi, nam “puer, antequam usum rationis habeat, naturali ordine ordinatur in Deum per rationem parentum, quorum curae naturaliter subjacet; et secundum eorum dispositionem sunt circa ipsum divina agenda” (2-2, q. 10, a. 12, ad 4); *secundo* per id quod collationem Baptismi sequeretur, nam parentes eo ipso “amitterent jus patriae potestatis in filios jam fideles” (*ibid., Sed contra*).

Dices. Lex naturalis cedere debet legi supernaturali; ergo jus parentum quod fundatur in lege naturali cedere debet juri divino parvulos baptizandi quod fundatur in lege supernaturali.

Resp. cum Cajetano: “Potest dupliciter intelligi Deum, qui est universorum Dominus, dominium seu legem fidei Christianae instituisse: uno modo, ut impleatur salvis naturae legibus; alio modo, ut non obstantibus naturae legibus impleatur . . . [Jamvero] Deus non sic legem fidei instituit ut voluerit pro ea servanda legem naturae solvi, quamvis hoc posset; sed instituit ut per media secundum naturae ordi-

nem instituta lex fidei impleatur; ut patet ex maxima [Gratia perficit, non destruit naturam]; et in communi, quia divina sapientia *disponit omnia suaviter*, et infima per media reducit in summum; et in proposito, quia statuit ut adultus media propria ratione ac voluntate legem fidei impleat, quia suae curae naturaliter commissus est, puer autem media ratione et voluntate parentum, quorum curae naturaliter commissus est” (In 2-2, q. 10, a. 12, n. 4 et 5).

Unde nulla est oppositio et collisio inter jus naturale parentum et jus divinum, sed hoc illud servat et perficit, quatenus statuit ut quibus naturaliter commissa est cura filiorum committatur etiam eorum spiritualis cura. Nec etiam cogitari potest oppositio inter jus parentum et jus quod ipsi parvuli habent ad Baptismum suscipiendum; nam iterum, propter praefatam accommodationem juris supernaturalis juri naturali, jus Baptismi suscipiendi non simpliciter datur parvulis sed tali modo, *è.* ut Baptismum suscipiant per parentum voluntatem.

Instes 1. Jus parentum cum sit naturale non se extendit ad res supernaturales, qualis est Baptismus, adeoque non laeditur cum ipsis invitis parvulus baptizatur.

Resp. Jus parentum quamvis primo et directe, attenda sola generatione, respiciat tantum res naturales, tamen consequenter et *indirecte*, attenda elevatione ad ordinem supernaturalem et lege Baptismi, extenditur ad res supernaturales, ita ut parvuli nonnisi dependenter a parentum voluntate debeant ordinari in Deum etiam ut auctorem gratiae. Ad rem *S. Thomas*: “Homo ordinatur ad Deum per rationem, per quam Deum cognoscere potest. Unde puer, antequam usum rationis habeat, naturali ordine ordinatur in Deum per rationem parentum, quorum curae naturaliter subjacet; et secundum eorum dispositionem sunt circa ipsum divina agenda” (q. 68, a. 10, ad 3).

Instes 2. Parentes nolentes parvulos baptizare jure suo abutuntur; unde possunt eo privari a publica auctoritate.

Resp. Tales parentes jure suo abutuntur *contra legem supernaturalem* non vero contra legem naturalem, adeoque nequeunt eo privari a publica auctoritate quae ultra limites legis naturalis nullatenus extenditur.

Nec valet instare eos agere contra ipsam legem naturalem qua tenentur filiis procurare salutis media ac ideo etiam Baptismum. *Nam* lex naturalis eos ad hoc obligat non directe sed *indirecte* tantum.

“In tantum enim lege naturali tenentur parentes procurare suis parvulis baptismum, posita sufficienti promulgatione fidei, in quantum lex naturalis dictat esse obediendum praeceptis suorum superiorum. Hoc autem modo non dicimur proprie obligari jure naturali, sicut non dici-

mur obligari jure naturali ad audiendam missam, ad servandam quadragessimam, etc. Et hujusmodi legis naturalis transgressio non sufficit ut princeps possit parentes repugnantes jure suo privare; alioquin posset pariter cogere adultos ad suscipiendum baptismum, quia et ipsi simili modo peccant contra legem naturalem nolentes baptizari. Immo ex eadem ratione posset princeps saecularis se immiscere omnibus spiritualibus et supernaturalibus.”¹¹

2 RATIO. EX PERICULO FIDEI.

“Esset [enim] periculosum taliter filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent propter naturalem affectum ad parentes” (*q. 68, a. 10*).

3 RATIO. CONFIRMATUR EX RATIONE PROVIDENTIAE DIVINAE IN STATU LEGIS NATURAE, in quo parvuli salvabantur in fide parentum, seu potius per signum fidei protestativum ab ipso parentum arbitrio determinandum, “per quod datur intelligi, quod ad parentes pertinet providere filiis de sua salute, praecipue antequam habeant usum rationis” (2-2, *q. 10, a. 12*).

4 RATIO. EX AUCTORITATE SEU PRAXI ECCLESIAE.

“Maximam habet auctoritatem Ecclesiae consuetudo, quae semper est in omnibus aemulanda; quia et ipsa doctrina catholicorum doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Unde magis standum est auctoritati Ecclesiae quam auctoritati vel Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscumque doctoris. Hoc autem Ecclesiae usus nunquam habuit quod Judaeorum filii invitibus parentibus baptizarentur, quamvis fuerint retroactis temporibus multi catholici principes potentissimi, ut Constantinus et Theodosius, quibus familiares fuerunt sanctissimi episcopi, ut Silvester Constantino, et Ambrosius Theodosio; qui nullo modo praetermisissent ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi. Et ideo *periculosum videtur hanc assertionem de novo inducere*, ut praeter consuetudinem in Ecclesia hactenus observatam, Judaeorum filii invitibus parentibus baptizentur” (2-2, *q. 10, a. 12*).

*Facta autem quae quandoque ex historia in contrarium adducuntur non magnum pondus habent nec veram faciunt difficultatem.*¹⁵

Per accidens autem in quibusdam casibus possunt tales parvuli licite baptizari (etiam a privatis) quia nec jus parentum laeditur nec periculum fidei inducitur nec Ecclesiae praxi contradicatur.

Tres praecipue casus assignantur a theologis, a *Benedicto XIV* (Ep. “Postremo mense”) et ab ipso *Codice J.C.*TM

¹¹*Billuart*, De bapt., diss. 3, a. 4, obj. 1, inst. 3, t. 8, Parisiis, 1904, p. 443.

¹⁴Cf. *Tourndy*, De bapt., q. 3, a. 3, obj.; *Billuart*, De bapt., diss. 3, a. 4, obj. 2.

¹⁵Cf. *Diet. Théol. Cath.*, art. Baptême des infidèles, col. 344 sqq.

1. “Infans infidelium, etiam invitis parentibus, licite baptizatur, cum in eo versatur vitae discrimine, ut prudenter praevideatur moriturus, antequam usum rationis attingat” (Codex, *can. 750, § 1*; cf. *Benedictum XIV*, Denz. 1484).

In hoc casu periculum apostasiae cum morali certitudine excluditur ob ipsam moralem certitudinem mortis secuturae; quoad jus vero parentum, quidam dicunt ipsum cessare in casu periculi mortis, quia attentata voluntate Dei salvifica censendum est Deum non ita salutem parvuli voluntati parentum ligare ut in periculo mortis ob eorum pravam dissensum irreparabiliter amittatur, alii dicunt ejus materialem violationem licite permitti ob gravem causam, i.e. salutem parvuli, quae compensat leve damnum parentibus illatum.

2. “Extra mortis periculum, dummodo catholicae eius educationi cautum sit, licite baptizatur si . . . saltem unus [ex parentibus vel tutoribus] . . . consentiat” (Codex, *ibid. § 2, 1*; cf. *Benedictum XIV*, Denz. 1486).

In hoc casu periculum apostasiae removetur per curam parentis fidelis; jus autem parentis infidelis non consentientis eliditur in collisione cum jure altiori parentis fidelis seu ut dicitur cedit in favorem fidei.

3. “Extra mortis periculum, dummodo catholicae eius educationi cautum sit, licite baptizatur . . . si parentes, idest pater, mater, avus, avia, vel tutores desint, aut ius in eum amiserint, vel illud exercere nullo pacto queant” (Codex, *ibid., § 2, 2*; cf. *Benedictum XIV*, Denz. 1485).

Id autem potest evenire *vel* ex eo quod parentes fiunt mancipia, puta jure belli (tunc jus in filios amittunt, ut dictum est in Conci, praec.), *vel* ex eo quod filios derelinquunt (tunc juri suo implicite renuntiant), *vel* ex eo quod ex variis circumstantiis, etiam si injuste, parvuli ita a parentibus separantur ut non sit spes reditus ad illos (tunc exercitium sui juris habere nequeunt ac mortui reputantur parvulis, nec ideo ulla injuria eis infertur parvulos baptizando, cum nihil ipsis subtrahatur).

ART. 13. Utrum Minister Validi Baptismi Sit Quilibet Homo, Legitimus Vero Per Se Solus Ordinatus (q. 67, a. 1-5).

«

STATUS QUAESTIONIS

1. Ut dictum est in superiori tractatu (art. 35; cf. Introd. hujus Capituli), ad *validitatem* sacramenti duo tantum requiruntur in ministro, i.e. deputatio Christi et intentio sacramenti; manet hic determi-

nandum utrum praefata Christi deputatio quoad sacramentum Baptismi sit collata cuilibet homini aut solis ordinatis vel baptizatis, seu utrum in ministro Baptismi requiratur character Ordinis vel Baptismatis.

2. Quaestionem quoque de *legimitate* dogmatice tantum attingimus, quatenus haec fundatur in his quae ex lege divina sequuntur ex ipsa ratione sacramenti Ordinis, per quod homo ordinatur ad sacramenta ministranda; attamen de modo quo ex lege ecclesiastica haec legitimitas determinata est aliquid dicendum erit, ut vitentur confusiones quae oriuntur quandoque ex variis nominibus et divisionibus quae circa ministrum Baptismi in manualibus circumferuntur.

PARS NEGATIVA

QUIDAM ANTIQVI HAERETICI mulieribus legitimam potestatem tribuebant Baptismum extra casum necessitatis et solemniter conferendi. Ita:

Marcion, de quo *Epiphanius*, Haer. 42, 4, ait: "Mulierculis potestatem baptizandi facit" (M.G. 41, 700).

Peputiani, de quibus *Augustinus*, De haer. 27, ait: "Tantum dantes mulieribus principatum, ut sacerdotio quoque apud eos honorentur" (M.L. 42, 31; cf. Epiph., Haer. 49).

Collyridiani, qui videntur mulieribus concessisse omne ministerium sacerdotale; ait enim *Epiphanius* (Haer. 79, 1-3) apud eos mulieres "panem. . . in nomine Mariae offerre", eis obicit quod nequidem B. Virgo facultatem baptizandi habuit et "diaconissarum in ecclesia ordo . . . non . . . ad sacerdotii functionem aut ullam eiusmodi administrationem institutum est, sed ut muliebris sexus honestati consulatur, sive ut baptismi tempore adsit, sive ut inspiciat si quid passa sit aut molestiae pertulerit, sive ut, cum nudandum est mulieris corpus, interveniat, ne virorum qui sacris operantur aspectui sit exposita, sed a sola diaconissa videatur" (ed. Dindorf, 3, 531).

Quaedam famosa mulier, cujus historia sic narrat *Firmilianus* in sua Epist. ad Cyprianum, 10: "Emersit istic subito quaedam mulier, quae in exstasim constituta propheten se praeferret et quasi sancto Spiritu plena sic ageret. . . Atque illa mulier quae prius per praestigias et fallacias daemonis multa ad deceptionem fidelium moliebatur, inter caetera quibus plurimos ceperat, etiam hoc frequenter ausa est, ut et invocatione non contemptibili sanctificare se panem et Eucharistiam facere simularet, et sacrificium Domino sine sacramento solitae praedicationis offerret, baptizaret quoque multos usitata et legitima verba interrogationis usurpans, ut nil discrepare ab ecclesiastica regula videretur" (M.L. 3, 1212 sq.).

Contra hanc haeticarum *mulierum petulantiam* sic acriter invehitur *TERTULLIANUS*:

De praescript. 41: “Ipsae mulieres haeticae, quam procaces! quae audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan et tingere” (M.L. 2, 68).

De bapt. 17: “Petulantia autem mulieris quae usurpavit docere, utique non etiam tinguendi jus sibi pariet, nisi si quae nova bestia evenerit similis pristinae: ut quemadmodum illa baptismum auferebat, ita aliqua per se eum conferat. Quod si quae Paulo perperam ascripta sunt, exemplum Theclae ad licentiam mulierum¹⁷ docendi tinguendique defendunt; sciant in Asia presbyterum, qui eam scripturam construxit, quasi titulo Pauli de suo cumulans, convictum atque confessum id se amore Pauli fecisse, loco decessisse. Quam enim fidei proximum videretur, ut is docendi et tinguendi daret feminae potestatem, qui ne discere quidem constanter mulieri permisit? *Taceant, et domi maritos suos consulant* (II Cor. xiv)” (M.L. 1, 1328 sq.).

De virgin, vel. 9: “Non permittitur mulieri in ecclesia loqui (I Cor. xiv, 34; I Tim. ii, 12), sed nec docere, nec tinguere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii sortem vindicare” (M.L. 2, 950).

Contra eandem mulierum petulantiam agunt *CONST. APOST.* 3, 9, 1 sq.; 28, 6 et *CONC. CARTE. IV* (a. 398), can. 100, in quo dicitur: “Mulier baptizare ne praesumat” (Mansi, 3, 959).

Inter Protestantes, CALVINISTAE reiciunt, et quidem simpliciter, Baptismum laicorum. Id mirum est si quis attendat ad generalem doctrinam Novatorum de indole et efficacia sacramentorum (cf. De sacr. in gen., art. 33-36); consequentius igitur alii Protestantes, imprimis Lutherus (De captiv. bab., n. 94; Predigt von der heiligen Taufe, n. 98), potestatem baptizandi in casu necessitatis omnibus, etiam feminis, concedunt.

Calvinus scribit: “Quod autem multis abhinc seculis, adeoque ab ipso fere Ecclesiae exordio usu receptum fuit, ut in periculo mortis laici baptizarent, si minister in tempore non adesset, non video, qua firma ratione defendi queat” (Inst, christ., l. 4, c. 15, 20). Non constat autem an Calvinus reiciat solam liceitatem vel etiam validitatem talis Baptismi; quoad hoc etiam dividuntur ejus discipuli, inter quos *Vossius* (De bapt., disp. 10, th. 12) ipsam validitatem negat.

Etiam inter *THEOLOGOS SCHISMATICOS* plures habentur errores et discrepantiae de ministro Baptismi tum validi tum legitimi. Eorum doctrinam sic compendiose tradit *Jugie*:

“Urgente necessitate, christianus laicus quilibet, etiam femina, *modo sit orthodoxus*, licite ac valide baptismum conferre potest. Ita libri symbolici dicti, et theologi recentiores fere omnes. Quidam tamen contradicunt.

“Extra casum necessitatis, baptismus a laico orthodoxo collatus ab omnibus habetur ut *illicitus*, et a non paucis etiam ut *invalidus*. Hanc

¹⁷ Reicit Tertullianus auctoritatem apocryphi libri “Acta Pauli” ex quo videtur deduci Apostolum potestatem baptizandi Theclae contulisse.

ultimam sententiam tenent Photius, Mesoloras, Dyovuniotis, etc.

“Rascolniki *bezpopovtsy*, apud Russos, validitatem baptismi a laicis collati variis argumentis ex sacra Scriptura et historia ecclesiastica desumptis acriter propugnant. Cum enim inter eos non sit sacerdos, res summi illorum interest. Porro, quamvis inter eos minister sacramenti sit semper laicus, ultra casum necessitatis thesim non extendunt: siquidem docent, tempore Antichrist!, quod jam advenisse credunt, omnem hierarchiam, omne sacerdotium verum cessare ac vacare, ita ut tantum remaneant pii laici.”¹⁸

PARS AFFIRMATIVA

Nota Theologica.

Ministrum *validi* Baptismi esse quemlibet hominem est *de fide* definita in Cone. Later. IV. Ministrum *legitimum* non esse quemlibet Christianum est *de fide* definita in Cone. Trid.; esse vero *ex officio* ipsum sacerdotem est saltem *theologice certum* ex Cone. Flor. *In casu necessitatis* ministrum legitimum esse quemlibet hominem est etiam *de fide* aequivalenter in eadem definitione Cone. Later. IV et formaliter in ordinario Ecclesiae magisterio contenta.

Documenta Ecclesiae.

1. QUOAD MINISTRUM VALIDI BAPTISMI.

Cone. Eliberitanum a. 300, *can. 38*: “Loco peregre navigantes aut si ecclesia proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum, ita ut si supervixerit ad episcopum eum perducatur, ut per manus impositionem perfici possit” (Kirch, *Ench. Hist. Eccl.*, 3401). *Nota* autem Concilium nequaquam pro invalido habere Baptismum collatum a peccatore vel bigamo, sed tantum praecipere ut ubi copia laicorum habeatur alii quam praedicti Baptismum conferre debeant.

Nicolaus I, resp. ad consulta Bulgarorum (a. 866), c. 104, citat, in art. 6, Prob. 3, Obj. (p. 68).

Cone. Later. IV, cap. 1 De fide catholica definit: “Sacramentum [Eucharistiae] nemo potest conficere, nisi sacerdos, qui rite fuerit ordinatus. . . Sacramentum vero baptismi. . . a quocumque rite collatus proficit ad salutem” (Denz. 430).

Cone. Florentinum, Decr. pro Armenis: “Minister hujus sacramenti est sacerdos, cui *ex officio* competit baptizare. In causa autem necessitatis non solum *sacerdos vel diaconus*, sed etiam laicus vel mulier,

¹⁸Thcol. Orientalium, t. 3, De bapt., a. 5, n. 1, Parisiis, 1930, p. 87 sq.

immo paganus et haereticus baptizare potest, dummodo formam servet Ecclesiae et facere intendat, quod facit Ecclesia” (Denz. 696).

Cf. *Catechismus Cone. Trid., Rituale Romanum et Codex J.C.* mox citanda.

2. QUOAD MINISTRUM LEGITIMUM.

Cone. Carth. IV citatum in Parte Neg.

Cono. Florentinum nuper citatum.

Cono. Tridentinum, sess. 7, can. 10 de sacr. in gen.: “Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem: A.S.” (Denz. 853).

Catechismus Cone. Trid., p. 2, c. 2, q. 23 sq. distinguit triplicem classem ministrorum: ministros *ordinarios* i.e. “episcopos et sacerdotes . . . quibus datum est, ut *iure suo*, non extraordinaria quadam potestate, hoc munus exercent”, ministros *extraordinarios* i.e. diaconos “quibus sine episcopo aut sacerdotis *concessu*” non licet Baptismum ministrare, et ministros *necessitatis* i.e. omnes sive viros, sive feminas, sive catholicos sive acatholicos quoslibet.

CODEX J.C. (necnon *Rituale Rom.*, t. 2, c. 1, n. 12 sqq.) statuit:

Can. 738, § 1: “Minister *ordinarius* baptismi sollemnis est sacerdos; sed eius collatio *reservatur* parochi vel alii sacerdoti de eiusdem parochi vel Ordinarii loci licentia, quae in casu necessitatis legitime praesumitur.”

Can. 741: “*Extraordinarius* baptismi sollemnis minister est diaconus; qui tamen sua potestate ne utatur sine loci Ordinarii vel parochi licentia, iusta de causa concedenda, quae, ubi necessitas urgeat, legitime praesumitur.”

Can. 742, § 1: “Baptismus non sollemnis, de quo in can. 759, § 1, potest *a quovis* ministrari, servata debita materia, forma et intentione”; §2: “Si tamen adsit sacerdos, diacono *praeferatur*, diaconus subdiacono. clericus laico et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare, vel nisi femina noverit melius formam et modum baptizandi.”

Can. 744: “Adultorum baptismus, ubi commode fieri possit, *ad loci Ordinarium deferatur*, ut, si voluerit, ab eo vel ab eius delegato sollemnius conferatur.”

CONCLUSIO

Conclusio 1. Minister Validi Baptismi Est Quilibet Homo, Nec In Eo Sexus Masculinus Aut Character Baptismi Vel Ordinationis Aut Alia Conditio Requiritur Praeter Generalem Conditionem Ministri Sacramenti

Seu Intentionem Faciendi Quod Facit Ecclesia. Unde Sive Ordinatus, Sive Laicus, Sive Mulier, Sive Non Baptizatus, Valide Baptizat.

Probatur 1. EX TRADITIONE.

Ratio necessaria non alia est quam ipsa voluntas Institutoris, quae nobis innotescit per doctrinam, sensum et praxim Traditionis (quam magisterium Ecclesiae collegit in expressis documentis supra relatis).

Ex Scriptura quidem nihil certi colligi potest. Probabile est Apostolos, adhuc laicos, Baptismum administrasse ante passionem Christi (cf. textus cit. in Conci, seq.). Inter fideles, laici ac mulieres in casibus necessitatis baptizasse non leguntur. Ipsum *Ananiam* qui Paulum baptizavit (*Act. 9, 10 sqq.*) laicum fuisse ostendi nequit.

Ex verbis tamen Apostoli (*I Cor. 14, 34 sqq.*; *1 Tim. 2, 11 sqq.*) probari nequit exclusio *mulierum* a ministerio Baptismi in casu necessitatis; referuntur enim ad earum subjectionem tum in Ecclesia tum in familia, vel si placet ad earum exclusionem a magisterio et aliis officiis quae auctoritatem important.

Quoad Patres.

Quemlibet hominem esse ministrum validi Baptismi non asseritur sub hac explicita et generali forma. Attamen id implicite involvitur in eorum principiis et in eorum assertionibus de casibus potius determinatis, ac paulatim veluti connaturaliter evolvitur et explicitatur in posteriori theologia et in Ecclesiae documentis.

Primus casus determinatus qui considerationi Patrum occurrit est **CASUS LAICI BAPTIZANTIS IN NECESSITATE**; cuius Baptismi liceitas et validitas affirmatur.

Tertullianus, De bapt. 17: “Etiam laicis jus est. Quod enim ex aequo accipitur, ex aequo dari potest, nisi episcopi jam aut presbyteri, aut diaconi vocantur discentes. Domini sermo non debet abscondi ab ullo. Proinde et baptismus aequae Dei census ab omnibus exerceri potest” (M.L. 1, 1327). Ibidem ait quod in casu necessitatis laicus non baptizans “reus erit perditionis hominis, si supersederit praestare, quod libere potuit” (M.L. 1, 1328).

Cone. Eliberitanum a. 300 supra cit.

Hieronymus, Dial, contra Lucij. 9: “Si tamen necessitas cogit, scimus etiam licere laicis. Ut enim accipit quis, ita et dare potest” (M.L. 23, 173).

Augustinus, Cont. epist. Parmeniani, 15, 29: “Quanquam etsi laicus aliquis pereunti dederit Baptismum necessitate compulsus, quod cum ipse acciperet, quomodo dandum esset addidit, nescio an pie quisquam dixerit esse repetendum. Nulla enim cogente necessitate si fiat,

alieni muneris usurpatio est: si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est. Sed et si nulla necessitate usurpetur, et a quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit non potest dici non datum, quamvis recte dici possit illicite datum. Illicitam autem usurpationem corrigit reminiscentis et poenitentis affectus. Quod si non correxerit, manebit ad poenam usurpatoris quod datum est, vel ejus qui illicite dedit, vel ejus qui illicite accepit; non tamen pro non dato habebitur” (M.L. 43, 71).

Gelasius, Epist. 9, 7: “Absque episcopo vel presbytero baptizare [diaconi] non audeant, nisi, praedictis fortasse officiis longius constitutis, necessitas extrema compellat. Quod et laicis Christianis facere plerumque conceditur” (M.L. 59, 51).

Ipsae *narrationes alibi relatae* (cf. De sacr. in gen., p. 488 sq.; hic, art. 6, Conci. 3, p. 75) de Baptismo collato a S. Athanasio puero, a mimo in theatro et a quodam laico in arena deserti, quamvis essent historica veritate destitutae, ostendunt sensum Traditionis de validitate Baptismi a laico administrati.

Inter laicos quibus facultas baptizandi conceditur etiam *mulieres* implicite comprehenduntur, quae ceterum numquam ab administrando Baptismo necessitatis explicite excluduntur. Impugnationes autem Baptismi mulierum quas citavimus in Parte Negativa manifeste respiciunt Baptismum solemnem; unde *Gratianus* verbis Cone. Carth. supra citatis addit glossam “Nisi necessitate cogente” (Decr., p. 3, dist. 4, c. 20, M.L. 187, 1800).

Primae explicitae affirmationes juris mulierum habentur saec. 11:

S. Petrus Damianus († 1072) in *Serm. 69* scribit: “Baptismi gratiam *omni homini, vel omni sexui tradidit auctoritas antiquorum*; confirmationis autem insigne sola pontificalis persona suae vindicat dignitati” (M.L. 144, 898).

Urbanus II († 1094) in *Epist. 271* ad Vitalem presbyterum Brixiensem ait: “Super quibus consulit nos tua dilectio, hoc videtur nobis ex sententia respondendum; ut et baptismus sit, si *instante necessitate femina* puerum in nomine Trinitatis baptizaverit” (M.L. 151, 529).

CASUS BAPTISMI AB HAERETICO COLLATI valde signanter positus est in controversia Rebaptizantium et Donatistarum ac resolutus est contra istos in sensu validitatis sacramenti.

CASUS DENIQUE BAPTISMI COLLATI AB INFIDELI seu a non baptizato non consideratur a prioribus Patribus. Primus *Augustinus* hunc casum explicite proponens in duobus locis, quamvis non audeat absolutam et auctoritativam decisionem proferre, cum, ut ipse ait, haec ex discussione et decisione alicujus Concilii expectanda esset,

tamen tamquam ex propria opinione affirmative resolvit, docens se non dubitare Baptismum rite *a quibuscumque* collatum validum esse: ¹

Contra Epist. Parmen. 2, 13, 30: “Et haec quidem alia quaestio est, utrum et ab iis qui numquam fuerunt christiani possit Baptismus dari: nec aliquid temere inde affirmandum est sine auctoritate tanti concilii quantum tantae rei sufficit” (M.L., 43, 72).

De bapt. 7, 53, 101 sq.: “Solet etiam quaeri, utrum approbandum sit Baptisma, quod ab eo qui non accepit, accipitur, si forte hoc curiositate aliqua didicit quemadmodum dandum sit . . . Sed nobis tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententiae, quae nullo in catholico regionali concilio coepta, nullo plenario terminata sunt . . . Verumtamen si quis forte me in eo concilio constitutum, ubi talium rerum quaestio versaretur, non praecedentibus talibus, quorum sententias sequi mallet, urgeret ut dicerem quid ipse sentirem: si eo modo affectus essem, quo eram cum ista dictarem; *nequaquam dubitarem habere eos Baptismum, qui ubicumque, et a quibuscumque, illud verbis evangelicis consecratum*, sine sua simulatione, et cum aliqua fide accepissent; quanquam eis ad salutem spiritualem non prodesset, si charitate caruissent, qua catholicae insererentur Ecclesiae . . . Ubi autem neque societas ulla esset ita credentium, neque ille qui ibi acciperet, ita crederet, sed totum ludicre et mimice et joculariter ageretur, utrum approbandus esset Baptismus qui sic daretur; divinum iudicium per alicujus revelationis oraculum, concordi oratione et impensis supplici devotione gemitibus implorandum esse censerem” (M.L. 43, 242 sq.).

Caeterum ex ipso principio fundamentalis quod Augustinus alique invocabant contra Rebaptizantes et Donatistas, scilicet sacramentum habere efficacitatem a Christo, non vero a virtute vel dispositionibus ministri qui est merum instrumentum, sequitur nihil in infideli obstare quominus sit minister Baptismi. Et hoc idem principium magnum certe influxum habuit in progressum cognitionis hujus generalis doctrinae: quemlibet hominem esse ministrum validi Baptismi.

Isidorus IUsp. († 636) principium Augustini repetit et transmittit, inquit: “Baptismus . . . non est hominis, sed Christi; ideoque nihil interest haereticus, an fidelis baptizet” (M.L. 83, 222).

Jam a. 757 *Cone. Compendicnsc (can. 12)* docebat: “Si quis baptizatus est a presbytero *non baptizato*, et sancta Trinitas in ipso Baptismo invocata fuerit, baptizatus est” (cf. Hefele, *Histoire des conciles*, trad. Leclercq, t. 3, 378).

¹Ne confundes hanc quaestionem cum altera de valore et efficacia sacramenti ficti collati et suscepti, ab Augustino in eodem loco agitata, de qua diximus in superiori tractatu, art. 36, p. 447 sq.

Walajridus Strabo († 849), *De rebus eccles.*, c. 26, scribit: “Si a diacono vel quolibet alio homine baptizatus, casu ante confirmationem transierit, credendum non est perire propter hoc quia sub fide qua credidit poterit esse salvus, si eum post commissa peccata non perimant . . . Unde quicumque vel ab haereticis in Trinitate baptizantibus, vel *ab alio quolibet homine* sub appellatione legitima ejusdem sanctae Trinitatis fuerit baptizatus, rebaptizari non debet, ne invocatio summae dignitatis annullari videatur . . . In hoc tamen et similibus *non tribuitur quibuscunque baptizandi indiscreta licentia*, cum concilio Carthaginensi mulieres prohibeantur baptizare: sed demonstratur per haec ubi *inevitabilis necessitas* poscit, melius baptizari ubicunque et a quocunque in nomine Trinitatis quam periclitantem sine remedio deperire” (M.L. 114, 958).

A. 866 *Nicolaus I* in supracitata *resp. ad consulta Bulgarorum* absque ulla dubitatione rescribit pro valido habendum esse Baptismum collatum a Judaeo vel pagano.

Petrus Damianus († 1072), *Serm. 69* supra cit.

Gratianus († 1158), *Decret.*, p. 3 de *Consecr.*, dist. 4, c. 23, refert ex Isidoro Hisp.: “Romanus Pontifex non hominem judicat, qui baptizat, sed spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, *licet paganus sit*, qui baptizat” (M.L. 187, 1800).

Cone. Later. IV et determinatius *Cone. Flor.*, hanc traditionalem doctrinam in explicitam formam collegerunt et proposuerunt.

Dices I. In controversia cum Rebaptizantibus et Donatistis tum ab his tum a defensoribus doctrinae catholicae supponebatur *laicum* non posse valide Baptismum administrare. Nam illi ad probandam invaliditatem sacramenti administrati ab haereticis arguebant ex principio “Nemo dat quod non habet”; catholici vero, admissio tali principio, respondebant ministros haereticos non amittere characterem in ordinatione acceptum adeoque posse baptizare (cf. *Augustinum*, De bapt. 1, 1, 2).

Resp. Rebaptizantes, non distinguentes inter effectum validitatis sacramenti (qui est character indelebilis) et effectum gratiae, dicebant ministrum haereticum amittere potestatem conferendi Baptismum adeoque invalide baptizare, nemo enim dat quod non habet seu nemo applicat potestatem quam non habet (in quo implicite videntur docere nullum laicum valide baptizare posse).

Augustinus vero respondet ministrum haereticum non amittere potestatem adeoque valide baptizare, non quod tale principium ipse admittat aut laicum invalide baptizare putet, sed ut directe et veluti ad hominem respondeat adversariis. Etenim S. Doctor in textu supra

citato explicite asserit laicum valide baptizare et ex illo ejus principio, tam signanter contra adversarios invocato, nempe valorem sacramenti non pendere a qualitate et conditionibus ministri qui est simplex instrumentum sed unice a virtute Christi causae principalis, sequitur non solum in laico sed etiam in pagano nihil esse quod opponatur rationi ministri Baptismi.

Caeterum nec ipsi Rebaptizantes *directe* negarunt laicum posse valide baptizare, sed praecipua et directa quaestio erat de ministro haeretico; cum enim confunderent validitatem et fructum sacramenti, negabant ministrum haeticum posse dare fidem et gratiam quam ipse non habet, et in hoc sensu saepius applicabant praedictum principium “Nemo dat quod non habet” (cf. De sacr. in gen., art. 39).

Dices 2. Supracitata verba *Tertulliani* et *Hieronymi* videntur negare paganos posse baptizare.

Resp. Ea verba non necessario in eo sensu accipienda sunt ut tantum qui baptismum suscepit illum conferre posse dicatur, sed potius significare videntur Baptismum ab omnibus indiscriminatim (ex aequo) conferri posse sicut ab omnibus indiscriminatim suscipi potest. Qui sensus confirmatur ex verbis *Tertulliani*: “Baptismus *aeque* Dei census *d) omnibus* exerceri potest”. Minus clara sunt verba *Hieronymi*, qui tamen videtur ipsam sententiam *Tertulliani* sub breviori forma exscribere. Unde quamvis hi Doctores de facto loquantur de laicis, non tamen ex eorum verbis exclusio paganorum a ratione ministri deduci potest.

Dices 3. *Gregorius III* (f 741) in epist. ad Bonifacium archiepisc. (Ep. 1, c. 1), ait: “Eosdemque, quos a paganis baptizatos esse asseruisti, si ita habetur, ut denuo baptizes in nomine sanctae Trinitatis mandamus (De Consec. dist. 4)” (M.L. 89, 577).

In *Capitularibus Caroli Magni* legitur: “Praecipimus, ut qui a paganis baptizati sunt, denuo a Christi sacerdotibus in nomine sanctae Trinitatis baptizentur, et postea ab episcopis crismentur, quia aliter Christiani nec dici nec esse possunt.” Imo: “Si quis presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur et ordinetur iterum et omnes, quos prius baptizaverit” (Benedicti Diaconi Capit. Collectio, l. 3, n. 401 et l. 2, n. 94, M.L. 97, 849. 760).

Resp. Ratio prioris praescriptionis, iterandi Baptismum a paganis collatum, fuit fundatum dubium de recta applicatione materiae et formae aut de existentia verae intentionis (juxta dicta in superiori tractatu, art. 39, p. 488). Ratio vero alterius praescriptionis, repetendi Baptismum collatum a presbytero non baptizato, fuit probabiliter persistens error donatisticus de dependentia valoris sacramenti a

conditionibus ministri, qui fuit causa controversiae mediaevalis de Rcordinationibus (cf. eundem art. 39).

Caeterum supracitata documenta *Cone. Compendiensis et Nicolai I*, quae sunt eiusdem aetatis, clare affirmant valorem Baptismi collati a pagano et a sacerdote non baptizato. Unde S. *Thomas* recte observat textum Gregorii III esse intelligendum in eodem sensu ac verba Nicolai I, scilicet Baptismum collatum a pagano, absque forma Trinitatis, esse in hac forma repetendum.

Dices 4. Patres docent quemlibet in solo casu necessitatis habere facultatem baptizandi; ex quo non sequitur quemlibet simpliciter et in omni casu valide Baptismum conferre.

Resp. Bene id sequitur; nam casus necessitatis non mutat essentiam potestatis quamvis influere possit in rationem liceitatis; unde qui in uno casu valide baptizat, in omni casu id valide facit.²⁰

Probatur 2. EX RATIONE CONVENIENTIAE.

Attenta ex una parte salvifica et universali *Providentia divina* et ex alia parte *extrema necessitate Baptismi*, summe conveniens fuit ut, quemadmodum materia hujus sacramenti instituta est in *communissimo* elemento aquae quod ubique reperiri potest, ita et minister validae collationis constitueretur *quilibet homo* absque ulla distinctione sexus alteriusve conditionis, ne propter defectum Baptismi homo salutis suae dispendium pateretur, cum parvulis aliter subveniri non possit, adulti vero nequeant sine Baptismo plenam remissionem consequi et quantum ad culpam et quantum ad poenam.

Nec aliunde in muliere, laico aut pagano, quidquam deprehendi potest quod rationi ministri validitatis obsit. Nam minister est tantum *instrumentum*; “instrumentum autem non agit secundam propriam formam aut virtutem, sed secundum virtutem ejus a quo movetur. Et ideo accidit instrumento, inquantum est instrumentum, qualemcumque formam vel virtutem habeat, praeter id quod exigitur ad rationem instrumenti” (g. 64, a. 5).

Praeterea *in muliere non obstat sexus*, secundum quem ipsa est tantum principium passivum generationis; nam “in generatione carnali masculus et foemina operantur secundum virtutem propriae naturae; et ideo foemina non potest esse principium generationis activum, sed passivum tantum. Sed in generatione spirituali neuter operatur in virtute propria, sed instrumentaliter tantum per virtutem Christi; et ideo

¹ De his aliisque obiectionibus, quae contra argumentum ex Traditione afferri possunt, confer *Tournely, Hilluart et Perrone* in hac quaestione; item *Corblct*, Histoire du sacrement de baptême, Paris, 1881, t. 1, p. 353.

eodem modo potest vir et mulier in casu necessitatis baptizare” (a. 4, ad 3).

Item non obstat *ratio subjectionis* quae sicut in familia ita in communitate religiosa convenit mulieri, juxta doctrinam Apostoli (1 Cor. 14, 35); *nam* “sicut mulieri non permittitur publice docere, potest tamen privata doctrina vel monitione aliquem instruere, ita non permittitur ei publice et solemniter baptizare, sed tamen potest baptizare in necessitatis articulo” (ib., ad 1).

In *laico* non obstat *dejectus characteris Ordinis*, tum quia absque tali caractere salvari potest ratio instrumenti et deputationis Christi, tum quia laico conceditur tantum id quod est strictae necessitatis in Baptismo, ordinatis vero utpote potestatem habentibus reservatur quidquid pertinet ad ejus solemnitatem, uti ordinaria administratio, praecedentia in ipso casu necessitatis, applicatio variorum sacramentalium quae praecedunt vel concomitantur sacramentum (a. 3, ad 1 et 2).

Nec valet *instare* quod si ex ratione necessitatis Baptismi sequeretur laicum posse baptizare, ex eadem ratione legitime argueretur ipsum posse etiam sacramentum Poenitentiae administrare. *Nam* “poenitentia non est tantae necessitatis sicut baptismus; potest enim per contritionem suppleri defectus sacerdotalis absolutionis, quae non liberat a tota poena, nec etiam pueris adhibetur. Et ideo non est simile de baptismo, cujus effectus per nihil aliud suppleri potest” (ib., ad 3j).

In *pagano* non obstat defectus characteris baptismalis, tum quia talis character cum sit potentia passiva magis ordinatur ad recipiendum quam ad conferendum, tum quia non est character ministri qui producit characterem in baptizato sed sola virtus Christi principalis agentis (unde cum agitur de instrumentis non valet simpliciter arguere ex illo principio “Nemo dat quod non habet”), tum quia absque eo caractere salvari potest ratio instrumenti et deputationis Christi (a. 5, ad 1).

Nec *obstat* ejus *separatio ab Ecclesia* (cujus minister esse debet omnis qui baptizat). *Nam* “ille qui non est baptizatus, quamvis non pertineat ad Ecclesiam re vel sacramento, potest tamen ad eam pertinere intentione et similitudine actus, inquantum scilicet intendit facere quod facit Ecclesia, et formam Ecclesiae servat in baptizando: et sic operatur ut minister Christi, qui virtutem suam non alligavit baptizatis, sicut nec etiam sacramentis” (ib., ad 3).

Conclusio 2. Legitimus Minister Baptismi Per Se Est Solus Homo Ordinatus; Sacerdos Quidem Est Minister Ordinarius, Principalis Si Sit

Episcopus, Secundarius Si Sit Presbyter; Diaconus Vero Est Minister Extraordinarius. Per Accidens Tamen Seu In Casu Necessitatis Legitimus Minister Est Quilibet Homo, Servato Jure Praecedentiae Ordinati.

Probatur 1. EX SCRIPTURA ET TRADITIONE.

Juxta *Scripturam* Christus *ipsos Apostolos*, mox episcopos ordinaturus, ad baptizandum misit ante suam passionem (cf. *Joan.* 3, 22-26; 4, 1 sq.; et dicta in art. 2, Conci. 1, p. 32); *Apostolis eonimque successoribus* (imprimis *episcopis*) solemne praeceptum baptizandi omnes gentes dedit ante Ascensionem (*Matth.* 28, 18 sq.).

Plures ex primis Ecclesiae neophytis ipsi Apostoli baptizarunt; hoc de seipso testatur *Paulus* inquit: “Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum et Cajum, ne quis dicat, quod in nomine meo baptizati estis. Baptizavi autem et Stephanae domum; ceterum nescio si quem alium baptizaverim. Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare” (7 *Cor.* 1, 14-17; cf. *Act.* 16, 14. 33).

Non omnes tamen primos fideles fuisse ab ipsis Apostolis baptizatos patet tum ex iisdem verbis Pauli, tum ex *Act.* 2, 41 ubi dicitur eadem die tria millia fidelium baptizatos esse, quod per duodecim Apostolos factum esse inverisimile est, tum ex *Act.* 10, 48: “Et jussit eos baptizari”, ubi innuitur S. Petrum nec Cornelium centurionem ejusque familiam per seipsum baptizasse.

Diaconos ex Apostolorum *commissione* ad baptizandum missos fuisse patet ex ministerio *Philippi* diaconi, qui in Samaria baptizavit viros et mulieres necnon Simonem Magum, atque descendens a Jerusalem in Gazam baptizavit eunuchum reginae Candacis (*Act.* 8, 12. 13. 38).

Jam ex ipsis *Traditionis* documentis relatis in praec. Conci, apparet legitimum ministrum esse per se solum ordinatum, cum nonnisi in casu necessitatis laicis jus administrandi competere dicatur.

Notanda tamen est discretio quae inde a primis saeculis fit *inter episcopum, presbyterum et diaconum*, et diversa ratio qua ipsi ministri legitimi dicuntur.

Cum enim initio Ecclesiae ex una parte cura totius populi esset immediate in manu episcopi et ex alia parte Baptismus in quibusdam praecipuis festis, ut Paschate et Pentecoste, ac solemniori modo una cum Confirmatione et Eucharistia administraretur, *Baptismi collatio episcopo specialiter reservabatur*, quatenus id fiebat in ejus praesentia, quatenus neophyti post acceptam ablutionem a presbytero, ministrante diacono, ab episcopo ungebantur et *confirmabantur* ac ab eodem Mis-

sam celebrante *Eucharistiam* accipiebant, et quatenus saltem licentia episcopi ad baptizandum requirebatur.²¹

Postmodum vero, ob multiplicationem ecclesiarum, praecipue ab episcopali sede distantium, et ob separationem collationis Baptismi a duobus aliis sacramentis, Baptismi administratio diaconis et praecipue presbyteris devolvi oportuit.

Ex quibus apparet Traditionem habuisse ut *legitimos ministros* Baptismi (extra casum necessitatis; cf. dicta in Conci, praec. et in Parte Neg.) episcopum, presbyterum et diaconum (quos *Tertullianus* dicit *jus habere* baptizandi), ita tamen ut *episcopo* competat quamdam *principalitatem*, quatenus potest aliquo modo sibi Baptismum reservare (ad honorem sacerdotii et unitatem Ecclesiae, ut ait Hieronymus); *presbytero* competat veluti *ordinarium* officium baptizandi, quamvis ex licentia vel potius salvo jure episcopi (unde etiam praesente episcopo presbyteri Baptismum administrare solebant et *Gelasius II* supra cit. ait diaconum non posse baptizare sine licentia episcopi vel presbyteri); *diacono* vero competat jus baptizandi modo *extraordinario* et suppletivo.

In moderno jure (cf. *Codicem* supra cit.) Baptismi solemnis collatio reservatur parochi vel alio sacerdoti aut diacono, a parochi vel *Ordinario loci* licentiam habenti; solemnior administratio Baptismi adultorum aliquatenus reservatur Ordinario loci; omnis sacerdos tamen vocatur minister *ordinarius*, diaconus vero *extraordinarius*.

Ad rem faciunt sequentia *testimonia*:

IGNATIUS, ad Smyrn. 8, 2: "Non licet *sine episcopo* neque baptizare neque agapen celebrare; sed quodcumque ille probaverit, hoc et Deo est beneplacitum, ut firmum et validum sit omne quod peragitur" (ed. Funk 1, 282).

TERTULLIANUS, De bapt. 17: "Dandi quidem *habet jus summus sacerdos*, qui est episcopus. De hinc presbyteri et diaconi, *non tamen sine episcopi auctoritate*, propter Ecclesiae honorem. Quo salvo, salva pax est" (M.L. 1, 1326 sq.).

HIERONYMUS, Dial, contra Lucij. 9: "Non quidem abnuo hanc esse Ecclesiarum consuetudinem, ut ad eos qui longe a majoribus urbibus per presbyteros et diaconos baptizati sunt, episcopus ad invocationem sancti Spiritus manum impositurus excurrat . . . Et multis in locis idem factitatum reperimus, *ad honorem potius sacerdotii quam ad legem necessitatis*. Alioqui si ad episcopi tantum imprecationem Spiritus sanctus defluit, lugendi sunt qui in villulis, aut in castellis, aut in remotioribus locis per presbyteros et diaconos baptizati ante dormierunt quam ab episcopis inviserentur. Ecclesiae salus in summi sacerdotis dignitate pendet cui si non exsors quaedam et ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schismata quot sacerdotes. Inde venit ut sine chrismate et episcopi jussione, neque presbyter, neque diaconus jus habent baptizandi. Quod frequenter,

²¹Cf. *Perrone*, De bapt., c. 3, in notis; *Duchesne*, Origine du culte chrétien, Paris, 1889, p. 324.

si tamen necessitas cogit, scimus etiam licere laicis. Ut enim accipit auis ita ut dare potest" (MX>. 23, 172 sq.).

GELASIUS II supra cit.

CONSTIT. APOST. 3, 11: "Neque reliquis clericis potestatem baptizandi facimus . . . nisi tantum episcopis et presbyteris ministrantibus diaconis" (MG 1, 787). Cf. *Can. Apost. 50*.

Probatur 2. *EX RATIONE*.

SOLUS ORDINATUS est per se seu *ex officio legitimus* minister Baptismi; nam officialis deputatio ad sacra tradenda confertur per sacramentum seu characterem Ordinis.

Inter ordinatos autem *SOLUS SACERDOS* est minister *ordinarius seu vi proprii officii*; nam ipse solus habet potestatem in corpus Christi eucharisticum ex qua derivatur potestas in corpus Christi mysticum, cujus pars est potestas baptizandi.

Quod sic ostenditur a S. *Thoma*:

"Sacerdotes ad hoc consecrantur ut sacramentum corporis Christi conficiant . . . Illud autem est sacramentum ecclesiasticae unitatis, secundum illud Apostoli [1 Cor. x, 17]: 'Unus panis et unum corpus multi sumus omnes qui de uno pane et de uno calice participamus'. Per baptismum autem aliquis fit particeps ecclesiasticae unitatis; unde et accipit jus ad mensam Domini accedendi. Et ideo sicut ad sacerdotem pertinet consecrare Eucharistiam (ad quod principaliter sacerdotium ordinatur), ita ad proprium officium sacerdotis pertinet baptizare; ejusdem enim videtur esse operari totum, et partem in toto disponere" (a. 2).

Inter sacerdotes autem *EPISCOPUS* est minister *principalis*, *PRESBYTER* vero *secundarius*; nam episcopis in persona Apostolorum Christus primo et directe tamquam pastoribus commisit curam animarum seu officium docendi et baptizandi (Matth. 28, 18 sq.). Ad rem *Canones Apostolorum, 39*: "Presbyteri et diaconi absque sententia episcopi nihil peragant; ipse enim est, cui commissus est populus Domini et a quo de animabus eorum ratio poscetur" (ed. Funk 1, 590); et *Anonymus De Sacramentis, 3, 1, 4*: "Licet . . . et presbyteri fecerint [Baptismi caeremonias], tamen *exordium ministerii* a summo est sacerdote" (M.L. 16, 451).

Unde episcopis pertinet regulare administrationem Baptismi presbyteris commissam eamque quibusdam conditionibus (puta licentiae) subicere; non ita tamen ut eam sibi ipsis simpliciter reservent, nam ipsis tanquam superioribus potius et directius convenit superius ministerium doctrinae et praedicationis quam inferius ministerium colla-

tionis sacramentorum; quo sensu *presbyter est minister Baptismi magis proprie et directe quam episcopus*, salvo superiori jure istius.

Ad rem S. *Thomas*: “Utrumque officium, scilicet docendi et baptizandi, Dominus apostolis injunxit, quorum vicem gerunt episcopi, aliter tamen et aliter. Nam officium docendi commisit eis Christus, ut ipsi per se illud exercerent, tanquam principalissimum; unde et ipsi apostoli dixerunt [Act. 6, 2]: ‘Non est aequum nos relinquere verbum Dei, et ministrare mensis’. Officium autem baptizandi commisit apostolis, ut per alios exercendum. Unde et Apostolus dicit [1 Cor. 1. 17]: ‘Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare’; et hoc ideo quia in baptizando nihil operatur meritum et sapientia ministri, sicut in docendo ... in cujus signum nec ipse Dominus baptizavit. sed discipuli ejus, ut dicitur Joan. iv. Nec tamen per hoc excluditur quin episcopi possint baptizare, quia quod potest potestas inferior, potest et superior; unde et Apostolus dicit [ibid.] se quosdam baptizasse” (a. 2, ad I).

Quam doctrinam confirmat S. Doctor *ex analogia et ratione societatis*, addens: “In qualibet republica ea quae sunt minora, pertinent ad minores, majora vero majoribus reservantur ... Et ideo ad minores civitatis principes pertinet disponere de infimo populo; ad summos autem principes pertinet disponere ea quae pertinent ad majores civitatis. Per baptismum autem non adipiscitur aliquis nisi infimum gradum in populo Christiano. Et ideo baptizare pertinet ad minores principes Ecclesiae, id est ad presbyteros, qui tenent locum septuaginta duorum discipulorum Christi” (ib., ad 2).

DIACONUS tandem, et ipse solus, est minister *extraordinarius*, seu ex officio quidem *sed non vi proprii officii*. Diaconus enim vi proprii officii est minister sacerdotis tum in docendo tum in baptizando; ad rationem autem ministri pertinet ut ex justa causa et ex legitima licentia locum accipiat principalis potestatis. Unde diaconus ex una parte est minister extraordinarius, seu non vi proprii officii, et ex alia parte est minister per se, seu ex officio, nam ex proprio officio et ordinatione habet quod possit extraordinarie delegari.

Ex quo intelligitur discrimen inter presbyterum et diaconum baptizantes *ex licentia*; haec enim in presbytero est tantum *conditio* agendi, tantum enim requiritur ad hoc ut ille propriam potestatem exercere possit, in diacono vero est *causa* agendi seu causa potestatis legitime baptizandi, ex ordinatione enim diaconus non consequitur potestatem baptizandi sed tantum *ut possit* ex delegatione eam obtinere. In quo sensu intelligenda sunt verba episcopi ordinantis ad Diaconos: “Provehendi, filii dilectissimi, ad Leviticum ordinem, cogitate magnopere, ad quantum gradum Ecclesiae ascenditis. Diaconum

enim oportet ministrare ad altare, baptizare, et praedicare” (*Pontificie, Rom.*, De ordinatione diaconi). Id autem *in aliis inferioribus ministris non verificatur* etiamsi (quod nunquam de facto contigit) ab auctoritate ecclesiastica ad solemniter baptizandum deputarentur.

Per accidens et in casu necessitatis quilibet homo, qui est minister validus, est etiam minister legitimus Baptismi. Id ostendit eadem ratio convenientiae allata in Conci, praec. Frustra enim cuilibet homini competeret facultas Baptismum valide conferendi, si ejus usus numquam nec in casu necessitatis ei liceret. Casus autem necessitatis est periculum mortis (*Codex J.C.*, can. 759), in locis vero missionum potest etiam esse difficultas adeundi sacerdotem.

Attamen etiam in casu necessitatis ipsa ratio deputationis exigit ut *servetur jus praecedentiae* quod habet minister ordinatus, semper enim id quod est per se prius est eo quod est per accidens; imo inter ipsos laicos aliae rationes, praesertim ratio dignitatis, fundant convenientiam juris praecedentiae quod statuitur in *Codice J.C.* (can. 742 supra cit.) et magis determinate exponitur a Juristis.²²

Conspectus igitur divisionis ministri Baptismi sic exhiberi potest:

Attento jure divino, juxta ea quae exposuimus:

minister <i>validitatis</i> :	<i>quilibet homo</i>
minister <i>legitimus</i>	
<i>per se</i> seu ex officio	
<i>ordinarius</i> seu ex vi proprii officii:	<i>sacerdos</i>
<i>principalis</i> quamvis non directus:	<i>episcopus</i>
<i>secundarius</i> sed directus:	<i>presbyter</i>
<i>extraordinarius</i> seu ex vi commisi officii:	<i>diaconus</i>
<i>per accidens</i> seu non ex officio sed ex necessitate:	<i>quilibet homo,</i> servato ordine dignitatis

Attento jure ecclesiastico hodierno, juxta Codicem supra cit.:

minister <i>validitatis</i> :	<i>quilibet homo</i>
minister <i>legitimus</i>	
<i>Baptismi solemnis</i> (vel publici vel solemnitatis)	
<i>ordinarius</i> :	<i>sacerdos</i>
de jure:	<i>Ordinarius loci</i> <i>vel parochus</i>
ex licentia Ordinarii loci vel parochi:	<i>omnis presbyter</i> <i>diaconus</i>
<i>extraordinarius</i> :	
<i>Baptismi non solemnis</i> (vel privati vel necessitatis) :	<i>quilibet homo,</i> servato hoc dignitatis ordine: sacerdos, diaconus, subdiaconus, clericus, laicus, vir, femina, pater vel mater baptizandi

n Cf. *Cappdlo*, De bapt., n. 147.

ART. 14. Utrum Plures Possint Esse Simul Ministri Ejusdem Baptismi (q. 67, a. 6).

CONCLUSIO

Conclusio 1. Plures Possunt Eundem Baptismum Valide Administrare, Dummodo Unusquisque Applicet Sive Materiam Sive Formam, Forma In Persona Singulari Ponatur Vel Intendatur Et Simul Ab Omnibus Pronuntietur.

Probatur.

1. *BAPTISMUM INVALIDUM ESSE SI UNUS MATERIAM APPLICET, ALTER FORMAM PRONUNTIET*, patet ex eo quod non verificetur sensus formae “Ego te baptizo” aut aequivalentis formae graecae “Baptizetur [i.e. a me] servus Dei”; nam Baptismus consistit in materia simul et forma; imo nec verificaretur sensus formae pluralis “Nos te baptizamus” (quae tamen ut mox dicitur est invalida), nam sic neuter baptizat; “si enim duo sint quorum unus unam partem libri scribat, et alius aliam, non erit propria locutio: Nos scripsimus librum istum, sed synecdochica, inquantum totum ponitur pro parte” (*ad 3*).

Patet non idem esse casum ejus qui, dicens formam, baptizandum aquae naturaliter fluenti supponit (imo in eam proicit), nam ille actionem, juxta communem aestimationem, ablutivam ponit quamvis utatur naturae concursu.

Adverte cum *Cajetano*³ S. Thomam “superius, q. Ixvi, art. 5, ad 4, afferre duas alias rationes ad excludendam eandem formam, scilicet, *Nos te baptizamus*. Prima ratio est, quia actus multiplicatur secundum multiplicationem agentium, si perfecte ab unoquoque agatur. Sed baptismus est actus ab unoquoque baptizante perfectus. Ergo unus baptismus non est a duobus. Secunda ratio est, quia mutaretur forma baptismi dicendo, *Nos baptizamus*: quia dicere *nos* non est idem dicere quod *ego et ego*, sed, *ego et iste*.”

Plures tamen theologi in contrariam sententiam inclinant. Ipse *Cajetanus*, praemisso quod S. Thomas suam sententiam proponit non assertive sed opinative, ait:

“In hac difficultate neutram audeo partem asserere. Intellectui autem meo magis apparet verum esse quod perfectus minister baptismi potest ex duabus personis partialiter concurrentibus integrari: ea ratione quia ad Christum, principaliter baptizantem, non refert pluribus

ⁿComm. in hunc art., n. 2; cf. ibidem longam tractationem hujus quaestionis et responsionem ad obiectiones Scoti, Durandi et Petri de Palude.

partialibus instrumentis simul uti ad unum baptisma, dummodo forma, materia et intentio debitae serventur . . . Et certe, quantum est ex veritate formae, posset unus in articulo necessitatis baptizari a duobus, quorum alter esset mutus et alter esset mancus, muto abluente et manco proferente verba, ad evitandos omnes scrupulos, secundum formam Graecorum, et dicente, *Baptizetur servus Christi*, etc.: tunc enim nullum penitus apparet inconveniens ex parte formae in ministrorum pluralitate . . . Videtur autem quod in tali casu potius pro baptismo indicandum esset” (In h. 1., n. 11 et 20).²¹

2. *BAPTISMUM INVALIDUM ESSE SI FORMA IN PLURALI PONATUR* (Nos te baptizamus) vel intendatur (Ego, i.e. commune ego vel nos ut unum, te baptizo; Baptizetur, i.e. a nobis, servus Dei), scilicet si ministri intendant baptizare non individualiter sed collective, patet ex eo quod talis intentio est “contra rationem ministerii: homo enim non baptizat nisi ut minister Christi, et vicem ejus gerens; unde sicut unus est Christus, ita oportet esse unum ministrum, qui Christum repraesentet . . . Et ideo contraria intentio videtur excludere baptismi sacramentum” (*in corp.*).

3. *SI A SINGULIS MATERIA ET FORMA PONITUR ET A SINGULIS FORMA IN SENSU SINGULARI DICITUR, BAPTISMUS EST VALIDUS*; attamen si simul ab omnibus forma profertur, *singuli Baptismum conferunt*, secus ille tantum confert qui prius verba profert. Utrumque patet ex ipsa efficacia sacramenti; positis enim materia, forma et intentione, nihil deest ad integritatem sacramenti quod illico existit et operatur.

Ad rem S. *Thomas*: “Si . . . uterque diceret: Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, uterque exprimeret suam intentionem, quasi ipse singulariter baptismum conferret; quod posset contingere in eo casu in quo contentiose uterque aliquem baptizare conaretur; et tunc manifestum est quod ille qui prius verba proferret, daret baptismi sacramentum; alius vero, quantumcumque jus baptizandi haberet, nihil faceret; et si verba pronuntiare praesumeret, esset puniendus tanquam rebaptizator. Si autem omnino simul ambo verba proferrent, et hominem immergerent aut aspergerent, essent puniendi de inordinato modo baptizandi, et non de iteratione baptismi, quia uterque intenderet non baptizatum baptizare; et uterque, quantum est in se, baptizaret” (*in corp.*).

Adverte autem quod quamvis ex parte ministrorum et ex parte materiae et formae sacramentum a pluribus administratum sit *multiplex*, tamen ex parte Christi agentis principalis ejusque virtutis et ex parte

²¹ Cf. S. *Alphonsus*, *Thcol. Moral.*, De bapt., n. 119.

subjecti et effectus est *unum*; unde *S. Thomas* ad finem textus nuper citati addit: “Nec traderent aliud et aliud sacramentum; sed Christus, qui est unus interius baptizans, unum sacramentum per utrumque conferret,” (cf. *Cajetanum* In h. 1., n. 9. 12. 18; item *S. Thomam*, q. 82, a. 2, ubi de concelebratione Missae).

Conclusio 2. Plures Eundem Baptismum Ministrare Non Licet Nec Convenit.

Probatur.

Talis modus Baptismum administrandi: 1. prohibetur a *sensu et praxi Ecclesiae*, quae nunquam eum permisit; 2. ab *omnibus theologis* reicitur qui de eo loquuntur tanquam de “inordinato modo baptizandi” (incorp.); 3. non convenit ipsi rationi *spiritualis generationis* quae per Baptismum confertur, non enim est conveniens unum a pluribus generari; 4. non convenit ipsi rationi *ministri Christi*, sicut enim unus est Christus ita convenit ut unus individualiter sit minister qui Christum repraesentat.

Nec valet obicere liceitatem et convenientiam *concelebrationis Eucharistiae*. Nam:

1. Haec permittitur ex *praxi Ecclesiae*; etenim “secundum consuetudinem quarumdam ecclesiarum, sicut apostoli Christo coenanti concoenaverunt, ita novi ordinati episcopo ordinanti concelebrant” (g. 82, a. 2) et in Pontificali Romano dicitur quod neomystae “concelebrant Pontifici”.

2. Eadem commendatur praedicto *exemplo Christi*, dum “Christus non legitur simul baptizasse cum apostolis, quando injunxit eis officium baptizandi, et ideo non est similis ratio” (ibid., ad I).

3. Ipsa convenit *rationi Eucharistiae* quae est “sacramentum unitatis ecclesiasticae, quae attenditur secundum hoc quod multi sunt unum in Christo” (ibid., ad 3); sacerdotes autem sunt etiam unum in sacerdotio Christi.

4. Item convenit *rationi sacramenti sacerdotalis* (cujus nempe minister nequit esse laicus); per concelebrationem enim apte significatur unitas ministrorum in sacerdotio Christi. Quae ratio convenit etiam aliis quatuor sacramentis sacerdotalibus (i.e. Conf., Poen., Extr. Unct., et Ord.); unde in antiqua Ecclesia *Extrema Unctio* a septem sacerdotibus et *ordinatio episcopalis* a duobus vel tribus episcopis administrabatur.

Matrimonium autem nec licite nec valide conferri potest a pluribus ministris, quia minister est ipsum subjectum nec potest unus vir sacramentaliter uniri cum pluribus mulieribus aut vicissim, cum corrumpetur significatio hujus sacramenti quae refertur ad individuum

unionem Christi cum Ecclesia; ceterum patet virum et mulierem non esse duos ministros Matrimonii (quamvis uterque sit minister) sed unum, ut requirit indoles hujus sacramenti quod est essentialiter contractus.

NOTA. Ex dictis patet discrimen inter Baptismum a pluribus administratum et *Baptismum a pluribus susceptum*. Potest enim valide, convenienter et in casu necessitatis licite, unus Baptismus a pluribus suscipi. Ideo enim “plures simul non possunt unum baptizare, quia actus multiplicatur secundum multiplicationem agentium, si perfecte ab unoquoque agatur [i.e. si unusquisque ponat materiam et formam ac intendat collective baptizare]. Possunt tamen, si necessitas exigit, plures simul baptizari, quia nullus eorum reciperet nisi unum baptismum; sed tunc oportebit dicere: *Ego baptizo vos*; nec erit mutatio formae, quia *vos* nihil aliud est quam *te* et *te*; quod autem dicitur *nos*, non est idem dicere quod *ego* et *ego*, sed *ego* et *tu*, et sic jam mutaretur forma” (g. 66, a. 6, ad 4; cf. *Cajetanum*, In q. 67, a. 6, n. 15 et 19).

Unde non est simile de baptizante et de baptizato quia ille qui baptizat, i.e. Christus, est unus, ac ideo etiam minister qui ei associatur debet esse unus; ille vero qui baptizatur non est unus sed multi homines, non enim Christus baptizatur aut homines in Christo tanquam in subjecto baptizantur, sed in seipsis multi baptizantur ut per effectum unius Baptismi fiant unum in Christo (hic, ad 2).

CAPUT V

DE CAEREMONIIS ET SACRAMENTALIBUS BAPTISMI

Absoluta tractatione de essentia seu causis hujus sacramenti, restat ut aliquid dicamus de ejus caeremoniis et sacramentalibus, quae sunt veluti *ACCIDENTIA*, seu potius exteriora indumenta *BAPTISMI SOLEMNIS*.

In tractatu praecedenti (Cap. IX) sufficienter dictum est de convenientia institutionis caeremoniarum ab Ecclesia, de distinctione inter caeremonias et sacramentalia proprie dicta et de horum efficacitate. Restat ut ostendatur convenientia caeremoniarum (quarum plures sunt sacramentalia) quae *hodie* in administratione Baptismi solemnis observantur, omissis illis quae in antiqua Ecclesia addebantur quaeque una cum modernis caeremoniis, magnificis commentariis a Patribus exornantur.¹

Praecipuae inter illas erant: depositio vestium pro immersione; triplex immersio; immediata susceptio Confirmationis et Eucharistiae; usus aliquarum Ecclesiarum lavandi pedes baptizatorum in imitationem Coenae Christi, vel imponendi capiti sacrum velamen aut coronam in signum regalis sacerdotii cujus omnis Christianus fit particeps; osculum pacis; porrectio lactis et mellis; delatio vestis candidae per totam octavam Paschae.

ART. 15. Utrum Convenienter Assignentur Caeremoniae Et Sacramentalia Baptismi (q. 66, a. 10; q. 67, a. 7; q. 71).

STATUS QUAESTIONIS

Caeremoniae quae nunc in Baptismo solemni adhibentur, quaeque fere omnes ab antiquissima traditione descendunt, dupliciter a doctoribus dividi solent:

1. *Juxta ordinem celebrationis*. Relate enim ad ipsam essentiam sacramenti aliae *praecedunt*, scilicet consecratio aquae benedictae,

¹Cf. *Did. Thiol. Calli.*, art. Baptême, col. 213 sqq.; art. Catechuménat, col. 1968 sqq.; *Tertullianum*, De corona, 3 cit. in superiori tract., p. 555; De bapt. 7. 8. 19. 20. *Ambrosium*, De mysteriis, 2. 3. 4. 6. 7. 8; alios Patres citatos in *Diet. Thcol. Cath.*, ibidem. Cf. praeterea opera *Visconti*, *Dtiguél* et *Dolger*, citata in p. 13 sq.

statio baptizandi ad fores Ecclesiae, *catechismus*, *exorcismus*, abrenuntiatio Satanae, immissio salis in os, narium et aurium sputo linitio, signum crucis, prima *unctio olei catechumenorum* in pectore et inter scapulas; aliae *concomitant*, scilicet circumstantia *temporis* et loci, impositio nominis, assistentia *patrini* levantis de sacro fonte, forma liturgica verborum, trina ablutio; aliae *subsequuntur*, scilicet secunda *unctio chris-matis* in vertice, impositio *vestis* candidae, traditio *cerei accensi* (cf. *Catechismum Cone. Trid.*, p. 2, c. 2, q. 69).

2. *Juxta circumstantias actuum moralium*. *Quis*: statio ad fores Ecclesiae, catechismus, exorcismus, abrenuntiatio Satanae, salis immissio, sputo linitio, signum crucis, unctiones olei, impositio vestis et traditio cerei. *Quid*: forma verborum et trina ablutio. *Ubi*: circumstantia loci. *Quibus auxiliis*: assistentia patrini. *Cur*: intentio manifestata in responsionibus ad interrogationes: Quid petis? Abrenuntias Satanae? Vis baptizari? *Quomodo*: variae caeremoniae enumeratae sub verbis Quis et Quid. *Quando*: circumstantia temporis.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Convenienter Assignantur Caeremoniae Quae Essentiam Sacramenti Praecedunt.

1. *CONSECRATIO AQUAE BAPTISMALIS*, quae fit in pervigilio Paschatis et Pentecostes per varias orationes, signa crucis et olei infusionem, convenienter significat efficaciam aquae provenire ex virtute Spiritus S. et meritis passionis Christi. Eam autem esse simplicem caeremoniam nec ad essentiam sacramenti pertinere, dictum est in art. 3, p. 42-44 (cf. *Catechismum Cone. Trid.*, l. c., q. 60).

2. *STATIO BAPTIZANDI AD FORES ECCLESIAE* significat separationem ejus a corpore Ecclesiae, cum nonnisi per Baptismum tanquam per januam homo (etiam interiorius per contritionem sanctificatus) fiat membrum Ecclesiae et domum salutis ingrediatur ici. *Catechismum Cone. Trid.*, l. c., q. 61).

3. *CATECHISMUS* convenienter praeponitur, etiam in Baptismo parvulorum. Nam “baptismus est fidei christianae sacramentum, cum sit quaedam professio fidei christianae. Ad hoc autem quod aliquis fidem accipiat, requiritur quod in fide instruat, secundum illud Rom. x, 14, ‘Quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine praedicante?’ Et ideo ante baptismum convenienter praecedit catechismus. Unde et Dominus praeceptum baptizandi discipulis tradens, praemittit doctrinam baptismo, dicens: ‘Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos’ ” (q. 71, a. 1; cf. *Catech. Cone. Trid.*, l. c., q. 62 sq.).

Patet autem quod catechismus iste qui fit in Baptismo est tantum quoddam *compendium caeremoniale* praeviae ac sufficientis instructionis circa dogmata fidei et Christianas obligationes, quae requiritur in adulto baptizando quaeque in antiqua Ecclesia subiciebatur longae illi et accuratae disciplinae praeparatoriae quae *Catechumenatus* vocabatur.²

Dices 1. Prius homo debet accipere vitam quam doctrinam, adeoque prius baptizari in spiritualem vitam quam in ea catechizari.

Resp. “Vita gratiae, in qua regeneratur aliquis per baptismum, praesupponit vitam naturae rationalis, in qua homo potest esse particeps doctrinae” (*q. 71, a. 1, ad 1*).

Dices 2. Parvuli utpote doctrinae incapaces inconvenienter catechizantur.

Rcsp. “Sicut mater Ecclesia, ut supra dictum est (quaest. Ixix, art. 6 ad 3), accommodat pueris baptizandis aliorum pedes, ut veniant, et aliorum cor, ut credant; ita etiam accommodat eis aliorum aures, ut audiant, et intellectum, ut per alios instruantur; et ideo eadem ratione sunt catechizandi qua sunt baptizandi” (*ibid., ad 2*).

Advertas autem “quod ille qui pro puero baptizato respondet, *Credo*, non praedicat puerum crediturum, cum ad legitimos annos pervenerit; alioquin diceret, *Credet*; sed profitetur fidem Ecclesiae in persona pueri cui communicatur, cujus sacramentum ei tribuitur, et ad quam obligatur per alium; non est enim inconveniens quod aliquis obligetur per alium in his quae sunt de necessitate salutis. Similiter etiam pater pro puero respondens, promittit se operam daturum ad hoc quod puer credat; quod tamen non sufficeret in adultis usum rationis habentibus” (*ibid., ad 3*).

4. *EXORCISMUS* (consistens in oratione, increpatione, insufflatione, signo crucis, manuum impositione) convenienter Baptismo praeponitur.

Nam “quicumque sapienter aliquod opus facere proponit, prius removet impedimenta sui operis. . . Diabolus autem hostis est humanae salutis, quae homini per baptismum acquiritur; et habet potestatem aliquam in hominem ex hoc ipso quod subditur originali peccato, vel etiam actuali. Unde convenienter ante baptismum expelluntur daemones per exorcismos, ne salutem hominis impediunt; quam quidem expulsionem significat *exsufflatio*. *Benedictio autem cum manus impositione* praecludit expulso viam, ne redire possit” (*q. 71, a. 2; cf. Catech. Cone. Trid., l. c., q. 64; Augustinum, De pecc. merit, et remiss. l, 34; De pecc. orig. 40; Contra Julian. 5*).

²Ci. *Dici. TMol. Cath.*, art. Catéchuménat, col. 1968 sqq.

5. *ABRENUNTIATIO SATANAE*, quae vocari solet *votum baptismale*. In antiqua Ecclesia catechumenus, ad Occidentem versus, manu extensa Satanae abrenuntiabat (cf. *Cyrrill. Hier.*, Catech. 19, 2-8), dein ad Orientem conversus, Christo adhaerebat (cf. *Pseudo-Dionysium*, De eccl. hier. 2, 1, 6).

6. “*SAL* autem in os missum, et narium et aurium *SPUTO LINITIO*, significat receptionem doctrinae fidei quantum ad aures, et approbationem quantum ad nares, et confessionem quantum ad os” (*ibid.*; cf. *Catech. Cone. Trid.*, 1. c., q. 65 et 67; *Augustinum*, Confes. 1,11; *Isidorum*, De offic. 2, 20). Rubrica Ritualis Rom. (Tit. 2, c. 2, n. 13) de usu salivae leviter reformata est per decretum S.C. Rituum 14 jan. 1944 (cf. *Acta Apost. Sedis*, vol. 36, 20 jan. 1944).

7. *SIGNUM CRUCIS*. ‘Obsignantur praeterea signo crucis frons, oculi, pectus, humeri, aures; quae omnia declarant, baptismi mysterio sensus baptizati aperiri ac roborari, ut Deum excipere, praeceptaque eius intelligere ac servare possit’ (*Catech. Cone. Trid.*, q. 66).

8. *UNCTIO OLEI IN PECTORE ET INTER SCAPULAS* conveniens est ad significandam aptitudinem hominis ad pugnandum contra daemones.

Ad rem S. *Thomas*: “Primo baptizandus inungitur oleo sancto et in pectore et in scapulis, quasi *athleta Dei*, ut Ambrosius dicit [De sacr. 1,2], sicut pugiles inungi consueverunt. Unde, sicut Innocentius III dicit in quadam Decr. de sacra Unctione [Cap. Cum venisset], ‘baptizandus in pectore inungitur, ut per Spiritus sancti donum errorem abjiciat et ignorantiam, et fidem rectam suscipiat, quia justus ex fide vivit. Inter scapulas autem inungitur, ut per Spiritus sancti gratiam excutiat negligentiam, et torporem, et bonam operationem exerceat, quia fides sine operibus mortua est, ut per fidei sacramentum sit munditia cogitationum in pectore, et per operis exercitium fortitudo laborum in scapulis, ut per dilectionem operetur’ ” (q. 66, a. 10, ad 2).

Conclusio 2. Convenienter Assignantur Caeremoniae Quae Essentiam Sacramenti Concomitant.

1. *CIRCUMSTANTIA TEMPORIS ET LOCI*. *Codex J.C.*, can. 772: “Etiam sollemnis baptismus qualibet die administrari potest; decet tamen adulatorum baptismum, secundum antiquissimum Ecclesiae ritum, conferri, si fieri commode queat, in pervigilio Paschatis et Pentecostes, praecipue in metropolitanis aut cathedralibus ecclesiis.” *Can.* 773: “Proprius baptismi sollemnis administrandi locus est baptisterium in ecclesia vel oratorio publico.”³

³Cf. *Diet Thiol. Cath.*, art. Baptistère, col. 379 sqq.

In antiqua Ecclesia administratio Baptismi communissime observabatur in pervigilio Paschatis et Pentecostes; subinde accesserunt alia festa majora, ut Epiphania, Natalis Domini, festum S. J. Baptistae et Apostolorum.

Convenientia usus baptizandi *in pervigilio Paschatis et Pentecostes*, qui adhuc a Rituali et Codice commendatur, apparet ex eo quod Baptismus "habet efficaciam ex passione Christi, secundum illud Rom. vi, 3: 'Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus'; et ex Spiritu sancto, secundum illud Joannis iii, 5: 'Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto/ etc. Et ideo sollemnis baptismus agitur in Ecclesia et in vigilia Paschae, quando fit commemoratio dominicae sepulturae et resurrectionis ejusdem (propter quod et Dominus post resurrectionem praeceptum de baptismo discipulis dedit), ut habetur Matth. ult., et in vigilia Pentecostes, quando incipit celebrari solemnitatis Spiritus sancti; unde et apostoli leguntur ipso die Pentecostes, quo Spiritum sanctum receperant, tria millia hominum baptizasse" (*q. 66, a. 10, ad 1; cf. Leonem M., Epist. 16, 5 cit. in art. 9*).

2. *IMPOSITIO NOMINIS. Rituale Romanum, tit. 2, c. 2, n. 70*: "Quoniam iis qui baptizantur, tamquam Dei filiis in Christo regenerandis, et in ejus militiam adscribendis, nomen imponitur, curet parochus, ne obscoena, fabulosa, aut ridicula, vel inanium deorum, vel impiorum ethnicorum hominum nomina imponantur, sed potius, quatenus fieri potest, Sanctorum, quorum exemplis fideles ad pie vivendum excitentur, et patrociniis protegantur" (*cf. Catechismum Cone. Trid., 1. c., q. 73*).

3. *ASSISTENTIA PATRINI LEVANTIS DE SACRO FONTE*. Hujus convenientia sic explicatur a S. *Thoma*: "Spiritualis regeneratio, quae fit per baptismum, assimilatur quodammodo generationi carnali . . . In generatione autem carnali parvulus nuper natus indiget nutrice et paedagogo. Unde et in spirituali generatione baptismi requiritur aliquis qui fungatur vice nutricis et paedagogi, informando et instruendo eum, quasi novitium in fide, de his quae pertinent ad fidem et vitam Christianam; ad quod praelati Ecclesiae vacare non possunt circa communem curam populi occupati; parvuli enim et novitii indigent speciali cura praeter communem; et ideo requiritur quod aliquis suscipiat baptizatum de sacro fonte, quasi in suam instructionem et tutelam.

"Et hoc est quod Dionysius dicit [Eccl. hier., cap. ult.]: 'Divinis nostris ducibus/ id est, apostolis, 'ad mentem venit, et visum est suscipere infantes secundum istum sanctum modum, quod naturales pueri

parentes traderent puerum cuidam docto in divinis paedagogo, et reliquum sub ipso puer ageret, sicut sub divino patre, et salvationis sanctae susceptore' ” {*q. 67, a. 7; cf. Catech. Cone. Trid., 1. c., q. 25-29*).

“Quamobrem sapientissime a sancta ecclesia constitutum est, ut non solum is, qui baptizat, cum baptizato, sed etiam susceptor cum eo, quem suscipit, et cum eius veris parentibus *affinitate* devinciantur ita, ut legitima nuptiarum foedera inter hos omnes iniri non possint, atque inita dirimantur” {*Catechismus Cone. Trid., 1. c., q. 26*).

4. *FORMA LITURGICA VERBORUM ET TRINA ABLUTIO.*

De his sufficienter dictum est in art. 5 et 6.

Conclusio 3. Convenienter Assignantur Caeremoniae Quae Essentiam Sacramenti Subsequuntur.

1. *SECUNDA UNCTIO CHRISMATIS IN VERTICE.* “Post baptismum . . . , ut Rabanus dicit [Lib. instit. cleric., c. 28], ‘statim signatur in cerebro a presbytero cum sacro chrismate, sequente simul et oratione, ut Christi [capitis] regni particeps fiat, et a Christo [i.e. Uncto] Christianus possit vocari;’ vel, sicut Ambrosius dicit [De sacr. 3, 1], ‘unguentum super caput effunditur, quia sapientis sensus in capite ejus, in vertice inungitur, ut sit paratus omni petenti de fide reddere rationem’ ” {*q. 66, a. 10, ad 2; Catech. Cone. Trid., 1. c., q. 70*).

2. *IMPOSITIO VESTIS CANDIDAE.* “Vestis illa candida traditur baptizato, non quidem ea ratione quod non liceat ei aliis vestibus uti, sed in signum gloriosae resurrectionis, ad quam homines per baptismum regenerantur, et ad significandam puritatem vitae, quam debent post baptismum observare, secundum illud Rom. vi, 4: ‘In novitate vitae ambulemus’ ” (ibid., *ad. 3; cf. Catech. Cone. Trid., 1. c., q. 71; Ambrosium, De iis qui initiantur, 7*).

Olim baptizati hanc vestem deferebant per totam octavam Paschae eamque deponebant in dominica octavae quae propterea vocatur *Dominica in Albis*. Verba quae habentur in Introitu Missae hujus Dominicae: “Quasi modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo lac concupiscite” (ex 1 Petr. 2, 2) alludunt ad antiquam caeremoniam porrigendi baptizatis *lac et mei* in signum novae et spiritualis infantiae.

3. *TRADITIO CEREI ACCENSI.* “Deinde cereus ardens in manum traditur, qui ostendit, fidem caritate inflammata, quam in baptismo accepit, bonorum operum studio alendam atque augendam esse” {*Catech. Cone. Trid., 1. c., q. 72; cf. Augustinum, Enarr. in Psal. 65*).

Ad eandem spiritualem lucem referuntur parabola evangelica de virginibus quae lampadem suam inextinguibilem servant (Matth. 25. 1 sqq.) et verba Christi: “Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona” (Matth. 5, 14-16).

CAPUT VI

DE SUPPLETIVIS BAPTISMI, SEU DE TRIPLICI BAPTISMO FLUMINIS, FLAMINIS ET SANGUINIS

Absolutis his quae directe pertinent ad sacramentum Baptismi, restat ut in hoc et sequenti capite dicatur de his quae ad ipsum ab extrinseco referuntur.

Hic agitur de *SUPPLETIVIS BAPTISMI*, seu de mediis salutis quae valent Baptismum supplere quoad principalem ejus effectum qui est prima gratia sanctificans; et quidem in duobus prioribus articulis statuitur id competere tum *actui contritionis* (art. 16) tum *martyrio* (art. 17), in tertio vero (art. 18) explicatur quomodo haec duo media salutis accipiant inde necessariam relationem ad Baptismum ejusque nomen, ac synthetice colligitur doctrina de *TRIPLICI BAPTISMO FLUMINIS, FLAMINIS ET SANGUINIS*, a qua praesens Caput titulum accipit.

Ex quo apparet intimum ligamen quo praesens quaestio connectitur cum quaestione in art. 9 agitata de *absoluta Baptismi necessitate*, cujus est veluti complementum, ibidem enim dictum est Baptismum esse ad salutem absolute necessarium, salva exceptione ex natura rei (actu contritionis) aut positiva revelatione (martyrio) probanda. Item apparet maximum momentum hujus quaestionis quoad intelligentiam mediorum salutis a Deo praestitorum omnibus hominibus, etiam parvulis et infidelibus, quibus possibilitas Baptismi suscipiendi deficiat.

ART. 16. Utrum Actus Caritatis Seu Perfectae Contritionis Cum Voto Baptismi Valeat Baptismum Ipsum Supplere Quoad Principalem Ejus Effectum (q. 68, a. 2; q. 66, a. 11; Suppi., q. 5, a. 3).

STATUS QUAESTIONIS

In art. 9 dictum est Baptismum esse necessarium in re vel in voto; de hoc Baptismi voto in actu caritatis contento nunc agitur. *Quaeritur: an* actus caritatis seu contritionis valeat Baptismum supplere, *an* in eo necessario includatur votum Baptismi, *an suppleat* Baptismum quoad

principalem tantum ejus effectum, i.e. collationem primae gratiae sanctificantis, non vero quoad ipsam gratiam sacramentalem qua talem nec a fortiori quoad alterum effectum qui est character.

Eadem prorsus quaestio recurrit in tractatu *De Poenitentia*; eadem enim ratione et iisdem principiis statuitur actum contritionis cum voto sacramenti Poenitentiae supplere ejusdem principalem effectum. Ne autem inutiles fiant repetitiones tractabimus hic tantum quaestionem de efficacitate actus contritionis cum voto sacramenti (Baptismi vel Poenitentiae); in tractatu vero *De Poenitentia* fiet quaestio *de natura contritionis* (quae est dolor de peccato ex motivo caritatis seu amicitiae Dei) et simul complebitur eadem quaestio *de efficacitate ejusdem*, cum demonstrabitur contritionem in omni casu et in omni gradu, ipsamque solam, esse causam justificationis extrasacramentalis.

PARS NEGATIVA

PROTESTANTES, concorditer ad suam doctrinam de justificatione per solum actum fidei seu fiduciae in Christum, negant quemlibet actum poenitentiae (in sensu catholico intellectae) habere influxum in justificationem, imo, ut fusius explicabitur in tractatu *De Poenitentia*, dicunt doctrinam Ecclesiae de contritione justificante, vel generice de poenitentia salutari, esse non solum falsam ex parte objecti, tum quia nequit homo peccato corruptus elicere liberum actum quo peccato contradetur tum quia non potest actus humanus esse causa justificationis, sed etiam immoralem, quia reddit homines hypocritas et magis peccatores, cum, adhuc peccatis inquinati, reputent se esse justificatos.

QUIDAM THEOLOGI SAEC. 12, quos suppresso nomine memorant et impugnant Hugo a S. Victore (*De sacram.*, I. 2, p. 6, c. 7), Bernardus et Petrus Lombardus, ita exaggerarunt Baptismi necessitatem ut docerent absque Baptismo vel martyrio neminem remissionem peccatorum obtinere etiamsi actum contritionis eliciat cum voto sacramenti, provocantes ad quosdam textus Patrum, praecipue Augustini, de quibus infra in Parte Affirm, sermo erit. “Dicunt aliqui, ait Petrus Lombardus, nullum adultum in Christum credere vel charitatem habere sine baptismo, nisi sanguinem fundat pro Domino . . . introducentes testimonia Aug. . . .” (*Sent.*, I. 4, dist. 4, η. 5, M.L. 192, 848).

Praecipuus inter eos est *Abaelardus*, quem, reticito nomine, acriter impugnat S. Bernardus (*Epist.* 77, 2, 6-8 ad Hugonem a S. Victore, infra citand., p. 195 et 198).

In sua *Theologia Christiana*, l. 2, scribit: “Sed fortasse illud majori

admiratione suscipitur, quod in Consolatione super morte Valentiniani imperatoris ad sorores ipsius beatus scripserit Ambrosius. Ubi quidem praedictus sanctus omnino astruere intelligitur, eum a se jam catechizatum, sed nondum baptizatum, ex antea vitae bonis operibus veniam impetrasse post mortem, et sortem electorum sine baptismi gratia percepisse, cum hoc *non solum Evangelio, verum et sanctis doctoribus adversari penitus videatur*. Unde Augustinus De orthodoxa fide: ‘Baptizatis tantum interesse salutis, nullum catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam aeternam habere credamus, excepto martyrio, ubi tota baptismi sacramenta complentur’ (M.L. 178, 1204 sq.).

In Expos, in ep. ad Rom., 1. 2, c. 4, magis doctrinaliter ait: ‘Hoc quidem [scilicet absoluta necessitas Circumcisionis praedicata in Gen. 17, 14] objectioni in nostri quoque sacramenti institutione, id est baptismi redundare videtur, cum videlicet propter aquae tantum absentiam deesse nonnullis baptismum contingat, quem in aqua solummodo Dominus constituit, *nec tamen eos cum vel ipsi ad hoc nitantur, vel alii propter eos, salvandos esse definimus absque baptismo, nisi interveniat martyrrium*. Providentiae itaque divinae omnem ejus dispositionem committentes, qui solus novit quare hunc elegerit, illum vero reprobaverit, auctoritatem Scripturae quam ipse dedit immobilem teneamus, ut videlicet tempore circumcisionis nullos de semine Abrahae sine illa mortuos temere asseramus salvari, nisi forte pro Domino interfecti sint, sicut de innocentibus creditur’ (M.L. 178, 845 sq.).

Illud notatu dignum est Petrum Lombardum aliosque magnos doctores illius aetatis absolutam efficacitatem contritionis ante sacramentum strenue defendisse, etsi aliunde docerent eiusdem necessitatem in sacramento; solus *Hugo a S. Victore* (De sacram., 1. 2, p. 14, c. 8) ex hac sententia inductus est ad efficaciam actus contritionis quodammodo mitigandam, dum distinguit duas solutiones a peccato, alteram ab ipsa macula peccati seu mentis obduratione, quam tribuit contritioni ante sacramentum, et alteram a debito damnationis, quam tribuit ipsi Poenitentiae sacramento.

Eundem errorem, signantius etsi cum quadam restrictione, renovavit saec. 16 *BAIUS*, docens actum caritatis et contritionis simul existere posse cum statu peccati, nec justificare sine actuali susceptione sacramenti nisi in casu necessitatis vel martyrii. Ejus doctrina relate ad utrumque sacramentum Baptismi et Poenitentiae sic compendiatur et damnatur a *Pio V*:

Prop. 31: ‘Caritas perfecta et sincera, quae est ‘de corde puro et

conscientia bona et fide non ficta' [1 Tim 1, 5], tam in catechumenis quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum."

Prop. 32: "Caritas illa, quae est plenitudo legis, non est semper coniuncta cum remissione peccatorum."

Prop. 33: "Catechumenus iuste, recte et sancte vivit, et mandata Dei observat, ac legem implet per caritatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quae in baptismi lavacro demum percipitur."

Prop. 70: "Homo existens in peccato mortali, sive in reatu aeternae damnationis, potest habere veram caritatem et caritas etiam perfecta potest consistere cum reatu aeternae damnationis."

Prop. 71: "Per contritionem etiam cum caritate perfecta et cum voto suscipiendi sacramentum coniunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti" (Denz. 1031. 1032. 1033. 1070. 1071).

Non defuit *unus vel alter theologus posttridentinus*, qui, ut exponitur in tractatu De Poenitentia, hanc doctrinam sub molliori forma proposuerit, aliquam tantum restrictionem imponens efficacitati actus contritionis ac docens hunc ante sacramentum justificare tantum si est in gradu intensiori, vel in solo casu necessitatis, vel si in eo habetur votum explicitum sacramenti saltem ubi agitur de homine qui praedicationem evangelicam et existentiam sacramenti cognovit.

PARS AFFIRMATIVA

Nota Theologica.

Actum contritionis cum voto sacramenti ante Baptismum (vel Poenitentiam) justificare, dici potest *saltem theologice certum*, ut patet ex Cone. Trid. mox citando et ex damnatione doctrinae Baii. Plures theologi id dicunt theologice certum, alii saltem theologice certum, quidam proximum fidei, quidam de fide.

Documenta Ecclesiae.

Innocentius II († 1143) in *epist. "Apostolicam Sedem"* ad episc. Cremonensem, ait: "Inquisitioni tuae taliter respondemus: Presbyterum, quem sine unda baptismatis extremum diem clausisse (litteris tuis) significasti, quia in sanctae matris Ecclesiae fide et Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum, et coelestis patriae gaudium esse adeptum (ex auctoritate sanctorum Patrum Augustini atque Ambrosii) asserimus incunctanter. Lege (frater) super octavo libro Augustini de civitate Dei, ubi inter cetera legitur: 'Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus religionis, sed ter-

minus necessitatis excludit.' Librum etiam beati Ambrosii de obitu Valentiniani idem asserentis revolve. Sopitis igitur quaestionibus doctorum Patrum sententias teneas, et in ecclesia tua iuges preces hostiasque Deo offerri iubeas pro presbytero memorato" (Denz. 388).

Innocentius III (f 1216) in *epist. ad Bertoldum* episc. Metensem, declarans invalidum Baptismum cujusdam Judaei qui, solus inter Judaeos, seipsum baptizaverat (cf. textum cit. in superiori tract., art. 34), addit: "Quamvis, si talis continuo decessisset, ad coelestem patriam protinus evolasset *propter sacramenti fidem, etsi non propter fidei sacramentum*" (Denz. 413).

CONC. TRID., *sess. 6, cap. 4*: Justificatio impii seu "translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et *adoptionis filiorum* [Rom. 8, 15] Dei, per secundum Adam Iesum Christum Salvatorem nostrum . . . post Evangelium promulgatum *sine lavacro regenerationis aut eius voto fieri non potest*, sicut scriptum est: 'Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei'" (Denz. 796).

Sess. 7, can. 4 de sacr. in gen.: "Si quis dixerit, sacramenta novae legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, et *sine eis aut eorum voto* per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint: A.S." (Denz. 847).

Scss. 14, cap. 4: "Docet [Sancta Synodus] . . . etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni *sine sacramenti voto, quod in illa includitur*, non esse adseribendam" (Denz. 898).

Inepte quidam, ut *Estius*, verbum "aliquando" referunt tantum ad secundum membrum "hominemque Deo reconciliare" ac si Concilium doceat charitatem perfectam non semper justificare: ipsa enim dispositio verborum ostendit vocem "aliquando" referri ad duo membra "contritionem caritate perfectam esse contingere" et "hominem Deo reconciliare", et quidem simul et *copulative* ita quod sensus non sit "aliquando contritionem esse perfectam et aliquando ipsam justificare" sed "aliquando esse perfectam adeoque justificantem".

Ceterum mens Patrum erat hanc doctrinam solemniter definire addendo (inter can. 5 et can. 6, sess. 14) sequentem canonem: "Si quis negaverit per contritionem qua paenitens, coopérante divina per Christum Jesum gratia, dolet de peccatis propter Deum, cum proposito confitendi et satisfaciendi . . . remitti peccata, anath. sit".¹ Ratio quare haec verba omitterentur fuit ne tam gravi censura affici viderentur

¹ *Thciner*, Acta Cone. Trid., t. 1, p. 892.

Hadrianus VI et *Caietanus* (Opusc. 4 De attritione et contritione, q. 1) qui videbantur contrarium docuisse.²

Catechismus Cone. Trid., p. 2, c. 5, q. 34: “Ipsa certe contritio nunquam illi grata et accepta esse non potest. Nam inquit Propheta [Ps. 50, 19]: ‘Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias.’ Quin etiam statim, ut eam mentibus nostris concepimus, peccatorum remissionem nobis a Deo tribui, alio loco eiusdem Prophetae verba illa declarant [Ps. 31, 5]: ‘Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei.’ Atque eius rei figuram in ‘decem leprosis’ [Luc. 17, 14] animadvertimus, qui a Salvatore nostro ad sacerdotes missi, antequam ad illos pervenirent, a lepra liberati sunt. Ex quo licet cognoscere, verae contritionis, de qua supra dictum est, eam vim esse, ut illius beneficio omnium delictorum veniam statim a Domino inpetremus.”

PIUS V damnavit supra relatas propositiones *Baii*. Frustra ad vim hujus damnationis enervandam quis dicet in prop. 31-33 agi tantum de charitate intensa vel de charitate habituali; nam omnis charitas quantumvis parva vocatur perfecta charitas et in prop. 33 manifeste est quaestio de charitate etiam actuali.

Eadem doctrina de efficacitate perfectae contritionis implicite continetur in ea *Ecclesiae praxi* secundum quam ad quasdam *indulgentias* acquirendas non exigitur praevia confessio sed tantum actus contritionis, quamvis nulla indulgentia sine statu gratiae participari possit, et ad *sacramentorum vivorum susceptionem*, quae certe statum gratiae requirit, non praescribitur praemittenda confessio, unice excepta susceptione *Eucharistiae* et quidem supposita copia confessoris, propter specialem hujus sacramenti reverentiam et majorem certitudinem status gratiae (cf. *Cone. Trid.*, sess. 13, cap. 7 et can. 11; *Suppi.*, q. 5, a. 1, ad 3).⁸

Scriptura.

Haec doctrina formaliter implicite continetur in frequentibus textibus in quibus actui charitatis tribuuntur effectus status gratiae, i.e. remissio peccatorum, divina dilectio, Dei manifestatio et inhabitatio, divina filiatio:

Deui. 4, 29: “Cumque quaesieris ibi Dominum Deum tuum, invenies

²Cf. *Thciner*, ibici., p. 595; *Pallavicini*, *Historia Cone. Trid.*, 12, 10, 27.

⁸Hoc praeceptum Ecclesiae, a *Cone. Trid. firmatum, fundatur in 1 Cor. 11, 28* in quo Apostolus requirit “probationem et iudicium” ante susceptionem Eucharistiae; descendit ex antiqua *consuetudine Ecclesiae* (cf. *Didache*, 14, 1; *Epist. Bamabae*, 19, 12; *Cyprianum*, *Epist.* 74, 21); conveniens ostenditur a *S. Thoma* (*Suppi.*, q. 5, a. 1, ad 3).

eum; si tamen toto corde quaesieris, et tota tribulatione animae tuae.”

1 Reg. 16, 7: “Homo . . . videt ea quae parent, Dominus autem intuetur cor.”

Prov. 8, 17: “Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me, invenient me.”

Ibid. 10, 12: “Universa delicta operit caritas.”

Psal. 31, 5: “Confitebor adversum me injustitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei.”

Psal. 50, 19: “*Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias.*”

Ezech. 18, 21 sq.: “Si autem impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quae operatus est, et custodierit omnia praecepta mea, et fecerit iudicium et justitiam, vita vivet et non morietur; omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor; in justitia sua, quam operatus est, vivet.”

Ibid. 33, 12: “Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua”.

Luc. 7, 47: “Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.”

Ibid. 10, 27 sq.: “Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo . . . hoc fac, et vives.”

Joan. 14, 21-23: “Qui . . . diligit me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum . . . Si quis diligit me . . . Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.”

Act. 10, 47: “Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi qui Spiritum sanctum acceperunt sicut et nos?” (cf. *Augustinum* infra cit.).

Coi. 3, 14: “Super omnia autem haec, charitatem habete, quod est vinculum perfectionis [τιλ«ότψ·ο?, i.e. justitiae]”.

1 Petr. 4, 8: “Charitas operit multitudinem peccatorum.”

1 Joan. 3, 14: “Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.”

Ibid. 4, 7. 8. 16: “Charitas ex Deo est; et omnis qui diligit, ex Deo natus est, et cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas est. .. Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.”

Patres Et Theologi.

Generaliter efficacitatem actus charitatis ad remittenda peccata et conferendam gratiam, saepius extollunt ad verba Scripturae provocantes.

Quandoque eandem efficaciam tribuunt ipsi *actui fidei*, quatenus attendunt ad principium omnis justificationis quod est prius in intel-

lectu per fidem quam in voluntate per charitatem, vel quatenus fidem accipiunt pro fide charitate formata seu pro tota dispositione subiectiva ad justificationem (cf. *Tertullianum* et *Bernardum* mox cit.).

Quandoque, ipsam relationem actus charitatis ad sacramentum *Baptismi* considerantes, explicitè asserunt illum ante sacramentum iustificare. Ante *Ambrosium* et *Augustinum* nonnisi rara et minus explicita habentur testimonia, imo saepe Patres ita urgent necessitatem Baptismi contra abusum dilationis ut nullum esse dicant medium salutis praeter Baptismum vel martyrium. Attamen *Tertullianus* (infra cit.) tam certe de efficacitate charitatis, quam “fidem integram” appellat, iudicat, ut inde inepte commendat dilationem susceptionis ipsius sacramenti; *Cyprianus* (infra cit.) docet defunctos, qui invalide (ut erronee putat) baptizati fuerint in haeresi et ad Ecclesiam conversi rebaptizati non fuerint, a misericordia divina salvari; *Anonymus de Rebaptismate* (infra cit.) docet “in Spiritu sancto homines posse sine aqua baptizari”.

AUGUSTINI vero et *AMBROSII* tam firma et explicita est doctrina ut *BERNARDUS* contra Abaelardum inclamet: “Ab his ergo duabus columnis, Augustinum loquor et Ambrosium, crede mihi, difficile avellor. Cum his, inquam, me aut errare, aut sapere fateor: credens et ipse, sola fide hominem posse salvari, cum desiderio percipiendi sacramentum: si tamen pio adimplendi desiderio mors anticipans, seu alia quaecunque vis invincibilis obviarit” (*Epist. 77, 8 ad Hugonem a S. Victore*, M.L. 182, 1036).

Sint quaedam testimonia:

QUOAD GENERALEM EFFICACITATEM CHARITATIS IN REMISSIONEM PECCATORUM (abstrahendo ab utroque sacramento Baptismi et Poenitentiae):

Chrysostomus, Horn. 7 in 2 Tim., n. 3: “Sicut ignis, in silvam ingressus, omnia purgare solet, sic caritatis fervor, quocumque inciderit, omnia tollit atque excindit . . . Ubi caritas est, omnia sublata sunt mala” (M.G. 62, 640).

Idem, *In S. Romanum mart. 1, 1*: “[Apostolus] plane sciebat caritate nihil esse majus, nihil ipsi par esse, nec ipsum quidem martyrium, quod caput est omnium bonorum . . . Nam caritas quidem etiam absque martyrio Christi discipulos facit; martyrium autem sine caritate facere id non potest” (M.G. 50, 607).

Augustinus, In 1 Joan., tract. 5, 10: “Redeat unusquisque ad cor suum: si ibi invenerit caritatem fraternam, securus sit, quia transiit a morte ad vitam” (M.L. 35, 2017).

Petrus Chrysologus, Serm. 94: “Vide ne desperes, homo, remansit tibi unde piissimo satisfacias creditori. Absolvi vis? Ama. *Caritas cooperiet multitudinem peccatorum* [1 Petr. 4, 8]. Negationis crimine quid peius? Et tamen Petrus amore solo valuit hoc delere, probante Domino, cum dicit: *Petre, amas me?* [Joan. 21, 15]. Inter omnia Dei praecepta amor obtinet principatum” (M.L. 52, 466).

Gregorius M., Horn. 33 in Evang., n. 4: “Quid, fratres mei, esse dilectionem credimus, nisi ignem? et quid culpam, nisi rubiginem? Unde nunc dicitur: ‘Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum’. Ac si aperte diceretur: Incendit plene peccati rubiginem, quia ardet valide per amoris ignem. Tanto namque amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno charitatis igne concrematur” (M.L. 76, 1241).

QUOAD EFFICACITATEM CARITATIS IN EFFECTUM BAPTISMI (et a fortiori ad effectum *Poenitentiae*)’.

Tertullianus, De Bapt. 18: “Si qui pondus intelligant baptismi, magis timebunt consecutionem quam dilationem: fides integra segura est de salute” (M.L. 1, 1331).

Cyprianus, Epist. 73, 23: “Sed dicit aliquis: Quid ergo fiet de his qui in praeteritum de haeresi ad Ecclesiam venientes sine baptismo admissi sunt? Potens est Dominus misericordia sua indulgentiam dare et eos qui ad Ecclesiam simpliciter admissi, in Ecclesia dormierunt, ab Ecclesiae suae muneribus non separare” (M.L. 3, 1170 sq.).

Idem, *De mortalitate, 17*: “In Dei servis, apud quos *confessio cogitatur et martyrium mente concipitur*, animus ad bonum deditus Deo iudice coronatur. Aliud est martyrio animum deesse, aliud animo defuisse martyrium. Qualem te invenit Dominus cum vocat, talem pariter et iudicat, quando ipse testetur et dicat: ‘Et scient omnes Ecclesiae quia ego sum scrutator renis et cordis’ (Apoc. ii, 23). Nec enim Deus sanguinem nostrum desiderat, sed fidem quaerit” (M.L. 4, 616; cf. Epist. 10, 5; Epist. 12, 1). Quamvis haec verba referantur ad baptizatos qui martyrium desiderant, tamen ex eis colligi potest mentem S. Doctoris esse dispositionem animae, seu fidem caritate inflammata, posse supplere effectum Baptismi sicut supplet effectum martyrii, quemadmodum ipsum martyrium supplet Baptismum.

Anonymus de Rebaptismate, 5: “Hoc non erit dubium *in Spiritu sancto homines posse sine aqua baptizari*, sicut animadversis baptizatos hos prius quam aqua baptizarentur, ut satisfacere et Joannis et ipsius Domini praedicationibus: quandoquidem et sine manus imposi-

tione apostolorum et sine lavacro, quod postea adepti sunt, gratiam repromissionis acceperint: et sic paulo ante emundatis cordibus eorum, Deus per fidem ipsorum etiam remissionem peccatorum simul eis largitus sit, ut hoc solum eis baptisma subsequens praestiterit, ut invocationem quoque nominis Jesu Christi acciperent, ne quid eis deesse videretur ad integritatem ministerii et fidei” (M.L. 3, 1238).

Ambrosius primus hanc doctrinam magis explicite proponit in noto textu orationis *De obitu Valentiniani II imperatoris* (qui in Galliis adhuc catechumenus occisus est), n. 51-53: “Sed audio vos dolere, quod non acceperit sacramenta baptismatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis est, nisi voluntas, nisi petitio? Atque etiam dudum hoc voti habuit, ut et antequam in Italiam venisset, initiaretur, et proxime baptizari se a me velle significavit; et ideo prae caeteris causis me accersendum putavit. Non habet ergo gratiam quam desideravit, non habet quam poposcit? Certe quia poposcit, accepit. Et unde illud est: ‘Justus quacunq̄ morte praeventus fuerit, anima ejus in requie erit’ (Sap. iv, 7).

“Solve igitur, Pater sancte, munus servo tuo, quod Moyses quia in spiritu vidit, accepit: quod David, quia ex revelatione cognovit, emeruit. Solve, inquam, servo tuo Valentiniano munus, quod concupivit. . . munus gratiae tuae . . . Qui habuit spiritum tuum, quomodo non accepit gratiam tuam? Aut si quia solemniter non sunt celebrata mysteria, hoc movet, ergo nec martyres, si catechumeni fuerint, coronentur; non enim coronantur, si non initiantur. Quod *si suo abluuntur sanguine, et hunc sua pietas abluit et voluntas*” (M.L. 16, 1435 sq.).

Augustinus, De bapt. 4, 21, 28; 22, 29; 25, 32: “Nec ego dubito catechumenum catholicum *divina charitate flagrantem* haeretico baptizato antepone; sed etiam in ipsa intus Catholica bonum catechumenum malo baptizato anteponimus; nec ideo tamen sacramento Baptismatis, quo iste nondum, ille jam imbutus est, facimus injuriam; aut catechumeni sacramentum sacramento Baptismi praeferendum putamus, cum aliquem catechumenum aliquo baptizato fidelioem melioremque cognoscimus. Melior enim centurio Cornelius nondum baptizatus Simone baptizato. Iste enim et ante Baptismum sancto Spiritu impletus est (Act. x), ille et post Baptismum immundo spiritu inflatus est (Id. viii, 13, 18, 19) . . .

“Baptismi sane vicem aliquando implere passionem, de latrone illo cui non baptizato dictum est, ‘Hodie mecum eris in paradiso’ (Luc. xxiii, 43), non leve documentum idem beatus Cyprianus assumit: quod etiam atque etiam considerans, invenio *non tantum passionem*

pro nomine Christi id quod ex Baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest . . .

“Quibus . . . ostenditur aliud esse sacramentum Baptismi, aliud conversionem cordis; sed *salutem hominis ex utroque compleri: nec si unum horum defuerit, ideo putare debemus consequens esse ut et alterum desit*; quia et illud sine isto potest esse in infante, et hoc sine illo potuit esse in latrone, complente Deo sive in illo, sive in isto, quod non ex voluntate defuisset: cum vero ex voluntate alterum horum defuerit, reatu hominem involvi” (M.L. 43, 172-176).

Bernardus, Epist. 77, 8 supra cit. Ibidem immediate prosequitur: “Solam interdum fidem sufficere ad salutem, et sine ipsa sufficere nihil. Quapropter etsi martyrium vicem Baptismi posse implere conceditur, non plane hoc facit poena, sed ipsa fides. Nam absque ipsa quid est martyrium, nisi poena? Quae ergo martyrio praestat, ut absque ulla dubietate *pro Baptismate reputetur*; ipsa ita infirma et imbecillis per se erit, ut quod dare alteri valet, sola non valeat obtinere? Et prorsus sanguinis pro Christo effusio magnae cujusdam fidei indubitata probatio est, non Deo tamen, sed hominibus. Sed qui si Deus profecto ad probandum quod vult, nullis indiget experimentis, aequae magnam in corde cujuspian in pace morientis inspicit fidem, martyrio quidem non interrogatam, martyrio tamen idoneam? Si recordatus fuerit homo, necdum se salutis percepisse mysterium, et dolens poenitensque toto desiderio expetierit, sed assequi mortis celeritate praeoccupatus nequiverit; damnabit fidelem suum Deus? damnabit, inquam, hominem pro se etiam paratum mori? . . . Pro certo, cum non aliunde martyrium, nisi ex fidei merito illam obtinuerit praerogativam, ut singulariter *vice Baptismi* secure suscipiatur: non video cur non ipsa aequae et sine martyrio apud Deum tantumdem possit, cui et sine martyrii probamento procul dubio innotescit. Possit sane tantumdem, dixerim, quantum ad salutis spectat obtentum, non autem ad meriti cumulum, *quo indubitanter martyrium antecellit . . . Quid planius, quod voluntas pro facto reputetur, ubi factum excludit necessitas?*” (M.L. 182, 1036 sq.).

Hugo a S. Victore, De sacr. 2, 6, 7: “Qui enim dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto; non addidit, vel effuso sanguine *vice aquae*, et tamen verum est quanquam hic scriptum non est. Nam si salvus est qui propter Deum aquam suscepit, quare non multo magis salvus est, qui propter Deum sanguinem fudit? *Plus enim est sanguinem dare quam aquam accipere . . .* Ergo in sanguine baptizatur, qui pro Christo moritur . . . et *habet baptisma suum in virtute sacramenti*, sine qua sicut sacramentum ipsum accepisse non prodest; ita

cum illa habetur, sacramentum habere non posse, non nocet . . . *Baptizari* [etiam] . . . *in voluntate* [i.e. per contritionem] *esse potest*, etiam quando non est in possibilitate; et idcirco juste bona voluntas cum devotione fidei suae non despicitur, quamvis ab eo quod foris est sacramento aquae percipiendo articulo necessitatis praepediatur” (M.L. 176, 452 sq.; cf. ibid. 1, 9, 5).

Petrus Lombardus, Sent., I. 4, dist. 4, n. 4 sq., traditionalem doctrinam sic resumit et determinat: “Sunt et alii, ut supra posuimus, qui suscipiunt rem et non sacramentum. Qui enim effundunt sanguinem pro nomine Jesu, etsi non sacramentum, rem tamen accipiunt . . . Nec tantum passio *vicem Baptismi implet, sed etiam fides et contritio*, ubi necessitas excludit sacramentum . . .

“*Regeneratio fit non tantum per baptismum, sed etiam per poenitentiam et sanguinem.* Unde auctoritas dicit, ideo Apostolum pluraliter dixisse fundamentum baptismatum, quia est *baptismus in aqua, in sanguine, in poenitentia*. Hoc autem non ideo dicit, quod sacramentum Baptismi fiat nisi in aqua, sed quia ipsius virtus, id est, sanctificatio, datur non modo per aquam, sed per sanguinem vel poenitentiam interiorius. *Ratio* etiam id suadet. Si enim non valentibus credere parvulis sufficit Baptismus, multo magis sufficit fides adultis volentibus, sed non valentibus baptizari; unde Aug.: Quaeris quid sit majus, fides an aqua? non dubito quin respondeam, fides. Si ergo quod minus est sanctificare potest, nonne quod majus est, id est, fides, de qua Christus ait: ‘Qui crediderit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet’ . . .

“Si [igitur] . . . aliquis habens fidem et charitatem voluerit baptizari, et non valet necessitate praeventus, supplet Omnipotentis benignitas quod sacramento defuerat. Dum enim solvere potest, nisi solvat, tenetur, sed *quod jam non potest et tamen vult, non imputat ei Deus, qui suam potentiam sacramentis non alligavit*” (M.L. 192, 847 sq.; cf. quae Magister habet de contritione justificante ante *sacramentum Poenitentiae*, ibid., dist. 17, 2).

Eandem doctrinam, quam referunt *Richardus a S. Victore* (De potestate ligandi et solvendi, 20), *Rotandus* (in Sententiis). *Auctor Summae Sententiarum* (5, 7), *S. Thomas* ad ultimam determinationem perduxit sub formali conceptu triplicis baptismi de quo dicitur in art. 18.

Duo autem principia, in quibus hanc doctrinam fundant, sunt illud Bernardi: “*Voluntas pro facto reputatur*, ubi factum excludit necessitas”⁴ et illud Petri Lombardi et S. Thomae “*Deus suam potentiam sacramentis non alligavit*”.

⁴Quoad hoc principium confer infra art. 18, p. 233 sq.

OBICIES. Non raro Patres asserunt catechumenos, quantumvis bene dispositos, *absque Baptismo vel martyrio* non justificari, impietatem ferre, salutem non consequi.

Ad rem faciunt sequentia testimonia:

Cyrillus Hier., Catech. 3, n. 4 et 10 cit. in p. 112. *Ibid., n. 4* signanter ait: "Neque si quis etiam virtutum operibus instructus signaculum per aquam non recipiat, ille caelorum regnum ingressurus est" (M.G. 33, 431).

Gregorius Naz., Orat. 40, 23, clare docet votum Baptismi absque sacramenti susceptione non prodesse; distinguit quippe tres classes eorum qui Baptismum non suscipiunt, i.e. eorum qui nullatenus curant de Baptismo, eorum qui illum desiderant sed ex ignavia vel mala voluntate susceptionem differunt et eorum qui bonam habentes voluntatem ac recte viventes a susceptione Baptismi ob ignorantiam vel alienam vim impediuntur; prioris autem et alterius classis homines dicit esse a Deo puniendos juxta meritum, postremos vero non quidem puniendos, utpote excusatos, aequae tamen caelestem gloriam amissuros.

Augustinus, In Joan., tract. 13, 3, 7 cit. in p. 113, ait catechumenum, quantumvis bene dispositum, absque Baptismo remissionem peccatorum non consequi. Praeterea id quod in *De bapt. 4, 22, 29* supra cit. dixerat de latrone in cruce converso absque Baptismo, expresse subinde retractavit in *Retract. 1, 26; 2, 18; 2, 55, 3* et *De anima 1, 9, 11; 3, 9, 12*, ubi docet latronem illum dici posse martyrem, vel Baptismum suscepisse, puta per aquam quae ex latere Christi effluxit.

Gennadius, De eccl. dogm. 74 cit. in p. 114, ait catechumenum in bonis operibus absque Baptismo vel martyrio defunctum non consequi salutem.

Fulgentius, De fide ad Petrum, 3, 41 cit. in p. 114, docet neminem absque Baptismo vel martyrio vitam aeternam ingredi. Magis explicitementem suam exprimit in *Epist. 12, 8, 19* (ad Ferrandum) ubi, interrogatus de salute alicuius juvenis catechumeni qui sensibus destitutus baptizatus fuerat antequam moreretur, respondet: "Illum utique adolescentem, quia credidisse et confessum fuisse novimus, ideo per sacramentum baptismatis salvum fuisse firmamus. *Qui si non baptizaretur, non solum nesciens, sed etiam sciens nullatenus salvaretur. Via enim salutis fuit in confessione, salus in baptisate.* Nam in illa aetate, non solum ei *confessio sine baptisate nihil prodesset*, sed nec ipsum baptismum non credenti neque confitenti ullatenus proficeret ad salutem. Ideo ergo illi Deus confessionem prodesse voluit, quia eum usque ad sanctam regenerationem in hac vita servavit" (M.L. 65, 388).

In antiqua Ecclesia defunctis absque sacramentis Baptismi et Poenitentiae denegabantur preces et sacrificia Ecclesiae, ut constat, v.g.

ex sequenti canone *Cone. Bracarenensis* (saec. 6): “Placuit, ut catechumenis sine redemptione baptismi defunctis simili modo non oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium, nam et hoc per ignorantiam usurpatum est” (M.L. 130, 570) et ex *Epist. 108, 3 Leonis M.* in qua iubetur: “Si . . . aliquis eorum pro quibus Domino supplicamus, quocumque interceptus obstaculo, a munere indulgentiae praesentis exciderit, et priusquam ad constituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non recepit, consequi exutus carne non poterit. Nec necesse est nos eorum qui sic obierint merita actusque discutere, cum Dominus Deus noster, cujus iudicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotale ministerium implere non potuit, suae iustitiae reservaverit: ita potestatem suam timeri volens, ut hic terror omnibus prosit, et quod quibusdam tepidis aut negligentibus accidit, nemo non metuat. Multum enim utile ac necessarium est ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur” (M.L. 54, 1012).

RESPONDETUR. *Generice* notandum est: 1. quod Patres quandoque ita absolutam necessitatem Baptismi urgent eiusque dilationis abusum reprehendunt, ut videantur denegare ipsam sufficientiam contritionis cum voto Baptismi quam plures, ut vidimus, in aliis locis explicite asserunt; 2. quod incisum “hominem absque Baptismo non justificari” multiplici sensu recte intelligi potest, scilicet vel quatenus desit plena dispositio seu perfecta fides et contritio, vel quatenus post acceptam justificationem ex voto Baptismi homo hoc votum adimplere praetermittit, vel quatenus ipsa contritio non ex se sed ex voto Baptismi justificat, vel quatenus difficilior ac ideo minus certa est justificatio ex opere operantis subiecti quam ex opere operato sacramenti, vel quatenus non nisi per Baptismum plena illa remissio obtinetur qua homo possit gloriam caelestem immediate ingredi.

Verba *Augustini* (In Joan., tract. 13, 3, 7) interpretari *debent*, ut patet ex ipso textu et ex similibus increpationibus S. Doctoris, de obligatione adimplendi votum Baptismi et de gravitate abusus dilationis.

Similiter interpretari possunt verba *Cyrilli Hier*, (ceterum cf. Catech. 13, 31 ubi de latrone in cruce), *Gennadii* et *Fulgentii* (De fide ad Petrum, 3, 41). S. *Thomas* verba Gennadii interpretatur de plena remissione quae in solo Baptismo et martyrio obtinetur, scribens: “Nullus pervenit ad vitam aeternam, nisi absolutus ab omni culpa et reatu poenae; quae quidem universalis absolutio fit in perceptione baptismi et in martyrio; propter quod dicitur quod *in martyrio omnia sacramenta baptismi complentur*, scilicet quantum ad plenam liberationem a culpa et poena. Si quis ergo catechumenus sit

habens desiderium baptismi, quia aliter in bonis operibus non moreretur, quae non possunt esse sine fide per dilectionem operante, talis decedens non statim pervenit ad vitam aeternam, sed patietur poenam pro peccatis praeteritis; ipse tamen 'salvus erit sic quasi per ignem' ut dicitur 1 Corinth, iii, 5" (ç. 68, a. 2, ad 2).

Augustinus in objectis locis *Retract*, et *De anima* nullo modo sententiam suam retractat sed tantum *aptitudinem exempli* latronis, quod in priori loco attulit ad ostendendam efficacitatem contritionis absque Baptismo. Ut enim necessitatem Baptismi *contra Pelagianos* fortius urgeat, ait *nec certo constare* ipsum latronem in cruce absque Baptismo aut martyrio salutem obtinuisse (ut ipse cum Cypriano et aliis prius dixerat) sed *dici etiam posse* latronem fuisse martyrem aut Baptismum quomodolibet, puta per aquam lateris Christi, accepisse.

Verba *Gregorii Naz.* et *Fulgentii* (Ep. 12 ad Ferrandum) *gravitatem jaciunt difficultatem*, unde quidam theologi, ut *Tournely* (*De bapt.*, q. 2, a. 2), dicunt hos Patres revera contradicere traditionali sententiae ceterorum.

Ad textum tamen *Gregorii Naz.* quidam dicunt in eo agi de iis catechumenis qui quamvis vitam rectam ducant tamen perfectam contritionem de praeteritis non habent; alii probabilius dicunt mentem S. Doctoris esse quod tales catechumeni "non habeant nisi infimum locum in beatitudine, scilicet per modum haereditatis tantum, sicut parvuli, non per modum mercedis; quia pariter S. Doctor dicit baptizatos in fine vitae, 'si post baptismum nihil boni egerint, ignis quidem supplicium a se excludere, praemium tamen seu gloriam non consequi:' quod catholice intelligi non potest, nisi quod non consequantur gloriam ut praemium, sed ut haereditatem tantum, sicque infimum gradum, ut parvuli".⁵

Fulgentii verba interpretari possunt de necessitate voti Baptismi et de stricte dicta gratia sacramentali regenerationis pleneque peccatorum remissionis quae per solum Baptismum confertur. Ait enim ibidem (9, 20): "Mysteria, quae ante bapisma in Ecclesia geruntur, *concipi spiritualem hominem jaciunt*, non renasci. Hinc est quod perveniet ad salutem, si quem secunda nativitas educet in lucem. Ad quam lucem illis homo mysteriis *praeparatur*, sed baptismatis sacramento *perducitur*. Hoc est quod superius dixi in illis mysteriis esse salutis officium, in baptisate salutis effectum; quem utique non infirmitatis incurio, sed *sola sibi potest negare mutatio voluntatis*" (M.L. 65, 388 sq.).

* *Büluart*, *De bapt.*, diss. 1, a. 6, obj. 4, *Inst.* 4, Parisiis, 1904, t. 8, p. 413.

In antiqua Ecclesia praedicta suffragiorum denegatio non ubique observabatur, ut patet ex supracitata Oratione Ambrosii de obitu Valentiani II et ex sequentibus verbis *Cone. Toletani XI* a. 675 {*can. 12*) celebrati in eadem ecclesia hispanica in qua supradictum *Cone. Bracarense*: “De his autem qui accepta poenitentia, antequam reconcilientur ab hac vita recesserint, *quamquam diversitas praeceptorum de hoc capitulo habeatur*. Illorum tamen nobis sententia placuit qui multiplici numero de hujusmodi humanius decreverunt, ut et memoria talium in ecclesiis commendetur, et oblatio pro eorum delicto a presbyteris recipiatur” (M.L. 130, 547).

Ceterum ratio quare in quibusdam ecclesiis suffragia denegarentur defunctis absque Baptismo aut Poenitentia non erat quia credebatur eos non esse salvos sed, ut apparet ex ipso objecto documento *Leonis M.*, sive ut receptio tantorum sacramentorum commendaretur dilationisque abusus extirparetur sive quia Ecclesia, cum sit externa societas, potest, ab interioribus hominum dispositionibus abstrahendo, reservare sua suffragia illis qui exteriori sacramenti vinculo sibi conjunguntur, quemadmodum omnes baptizandi (etiam si interiori contritione sunt jam sanctificati) jubentur ad fores Ecclesiae stare, quasi extra viam salutis adhuc constituti.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Actus Contritionis Seu Charitatis Antecedenter Ad Susceptionem Baptismi (Vel Poenitentiae) Valet Ad Justificationem Et Gratiam Sanctificantem Producendam Seu Ad Supplendum Ipsum Sacramentum Quoad Principalem Ejus Effectum.

Probat.

Necessitas Baptismi (vel Poenitentiae) nequit evacuare *propriam vim actus contritionis seu caritatis*. Jamvero huic proprium est justificare et gratiam sanctificantem conferre. Etenim:

1. *SCRIPTURA ET TRADITIO*, supra relatae, talem effectum caritati attribunt. Nec valet *opponere*:

a. Haec intelligi debere supposita susceptione Baptismi. *Nam*, ut modo dicitur, caritas ex se habet vim justificandi quam proinde non amittit etiam post impositam necessitatem Baptismi.

b. Deum diligere peccatores (cf. Joan. 4, 10; Rom. 5, 8); ergo ex hoc quod quis diligens Deum ab Eo redamatur non sequitur ipsum justificari. *Nam* Deus amat peccatores amore tantum benevolentiae, non vero illo amore amicitiae quo venit ad hominem, in ipso mansionem facit eumque filium constituit.

c. Etiam aliis virtutibus, ut fidei, timori et eleemosynae tribui justificationem (Rom. 5, 1; Eccli. 1, 27; Prov. 14, 27; Tob. 12, 9), quae tamen ex seipsis non justificant; ergo ex hoc quod justificatio tribuitur caritati non sequi eam ex seipsa justificare. *Nam ex* natura rei seu ex indole aliarum virtutum patet eas non posse ex seipsis justificare, ac ideo justificare ex alia dispositione cum ipsis concurrente easque informante (quae est praecise caritas); e converso ex indole caritatis, ut mox dicetur, apparet eam talem efficacitatem ex se habere. *Ceterum*, de nulla alia virtute efficacia justificativa tam absolute et instanter praedicatur nec alios effectus gratiae ei tribuuntur uti intima praesentia Dei et nativitas ex Deo.

2. *ACTUS CONTRITIONIS* necnon actus charitatis a quo ille procedit: a. *expellit peccatum* cui contradictorie opponitur tamquam conversio ad Deum aversioni ab eodem, ac consequenter *gratiam ponit* sine cuius infusione macula peccati quae est gratiae privatio auferri non potest; b. *necessario coniunctam habet gratiam*, tum *consequenter*, quatenus importat Deum amicum, adeoque redamantem, adeoque se homini unientem, adeoque gratiam infundentem (cf. 2-2, q. 23, a. 1; q. 27, a. 2), tum *concomitanter*, quatenus cum sit actus amicitiae importat hominem Deo amicum seu quodammodo in gratia constitutum, tum etiam *antecedenter*, quatenus actus amicitiae nequit procedere nisi a principio amicitiae qui est gratia, sive haec cum quibusdam accipiatur pro habituali gratia, sive cum aliis pro actuali gratia producente actum charitatis cui gratia habitualis tamquam effectus consequitur.

Ergo actus contritionis seu charitatis valet ad supplendum sacramentum Baptismi quoad principalem ejus effectum.

Nota. Quidam arguunt ex eo quod in *A.T.* sola contritio justificabat adultos nec convenit dicere in *N.T.* quod est lex caritatis et perfectior status eam amisisse efficacitatem suam. Attamen haec ratio non valet si admittatur existentia et necessitas Circumcisionis (ac remedii naturae) et Poenitentiae in antiqua lege, juxta dicta in superiori tractatu, art. 40.

Dices. Efficacitas contritionis videtur evacuare tum *absolutam necessitatem Baptismi*, non enim dici potest absolute necessarium quod aliunde regulariter suppleri potest, tum *veritatem formae baptismatis* “Ego te baptizo, i.e. tibi confero spiritualem gratiae ablutionem”, non enim abluere potest qui iam ablutus invenitur.

Resp. *Absoluta necessitas* alicuius medii, qui non ex rei natura sed tantum *ex positiva institutione* est necessarium, bene componi potest cum praesentia alterius medii cui coniungatur votum illius, ut dictum est in art. 9, resp. ad obj. 1. Ceterum Baptismus quoad quosdam effec-

tus, scilicet gratiam sacramentalem qua talem et characterem, per nullum medium suppleri potest.

Veritas formae baptismalis servatur etiam in catechumeno contrito, tum quia confertur ei secunda gratia quae de se est ablutiva non minus quam prima gratia, tum quia additur perfectior ablutio et regeneratio per gratiam sacramentalem qua talem. Idem dic quoad veritatem formae *Poenitentiae*.

**Conclusio 2. Actus Contritionis Vel Charitatis Necessario ^x rtat
Votum Baptismi Saltem Implicitum, Imo Vi Huius Voti Justificare
Dicendus Est.**

Probat.

Baptismus est omnibus absolute necessarius *necessitate medi* ad salutem. Ergo actus contritionis vel charitatis nequit justificare nisi una cum Baptismo seu *cum ordine ad illum et ex eius voto* (sine quo voluntas observandi omnia mandata quae in charitate includitur existere non potest), ita ut tale votum non sit tantum conditio efficacitatis charitatis (ut quidam minus recte dicunt), sicut est votum aliorum quae imponuntur *sub sola necessitate praecepti*, sed *causa* cum charitate concurrens, imo *ratio efficacitatis istius*, quae ideo gerit vices et nomen *Baptismi (flaminis)* et qua talis justificat, mentaliter et spiritualiter Christo incorporando.

Ad rem S. *Thomas*: “Sacramentum baptismi dupliciter potest alicui deesse: uno modo et re et voto, quod contingit illis qui nec baptizantur, nec baptizari volunt, quod manifeste ad contemptum sacramenti pertinet, quantum ad illos qui habent usum liberi arbitrii. Et ideo hi quibus hoc modo deest baptismus, salutem consequi non possunt, quia nec sacramentaliter, nec mentaliter Christo incorporantur, per quem solum est salus; *alio modo potest sacramentum baptismi alicui deesse re, sed non voto*; sicut cum aliquis baptizari desiderat, sed aliquo casu praevenitur morte, antequam baptismum suscipiat, et talis sine baptismo actuali salutem consequi potest, *propter desiderium baptismi*, quod procedit ex fide per dilectionem operante, per quam Deus interioriter hominem sanctificat, *cujus potentia sacramentis visibilibus non alligatur*” (q. 68, a. 2).

Patet autem sufficere votum Baptismi *implicitum*, quippe quod *vere et necessario* includitur in actu charitatis, sive illius qui necessitatem Baptismi ignorat, sive illius qui, eam cognoscens, actu de ipsa non cogitat vel, cogitando, Baptismum suscipere explicite fortasse non proponit.

Dices 1. Hoc ipso quod ponimus votum baptismi in contritione per-

fecta inclusum sufficere, baptismus non est magis necessarius necessitate mediis quam observatio aliorum praeceptorum, puta, jejunandi vel audiendi missam; quia pariter sine aliis praeceptis aut eorum voto nemo potest justificari; ergo vel votum baptismi non sufficit, vel baptismus non est necessarius necessitate mediis.

“*R. N. sequelam.* Aliter enim et aliter concurrunt votum baptismi et votum aliorum praeceptorum; cum enim baptismus sit a Christo institutus ut medium ad consequendam remissionem peccatorum et justificationem, justificatio dicit intrinsecum respectum ad illum et dependentiam ab illo, et ideo contritio cum voto baptismi concurret ad justificationem ut gerens vices baptismi. At vero cum alia praecepta non sint instituta ut media ad consequendam justificationem, sed propter alios fines, justificatio non dicit intrinsecum ordinem ad illa, neque eorum observatio positive concurret ad illam sicut baptismus, sed negative tantum tanquam removens peccatum quod illam impediret. Unde contritio, quantumvis includat votum aliorum praeceptorum, puta jejunii, non concurret ad justificationem ut vices gerens jejunii.”⁸

Dices 2. Si dicatur contritio justificare ex voto alterius mediis salutis, seu Baptismi, etiam dicendum est Baptismum justificare ex voto charitatis.

Resp. Neg. paritas. Nam Baptismus non agit ex opere operantis sicut charitas, sed ex opere operato, unde in charitate *votum* Baptismi includi potest et debet, non vero vicissim.

Dices 3. Si contritio justificaret ex voto sacramenti sequeretur talem justificationem esse tantum conditionatam.

Resp. Potest talis justificatio improprie dici *conditionata de praesenti* quatenus requiritur conditio voti sacramenti (quod proprius loquendo est causa justificationis una cum contritione, ut dictum est), non vero *conditionata de jure* quatenus requiratur ipsa sacramenti susceptio in re ad hoc ut justificatio sequatur. Posita igitur hac conditione seu causa, i.e. actu contritionis cum voto sacramenti, justificatio absolute confertur; obligatio autem quae remanet votum ipsum adimplendi, non est conditio justificationis obtinendae sed tantum *conservandae*, ita nempe quod, si ipsa non adimpleatur, justificatio iam acquisita per hoc novum peccatum amittatur.

Conclusio 3. Actus Contritionis Vel Charitatis Non Valet Supplere Baptismum (Vel Poenitentiam) Quoad Ceteros Eius Effectus Seu Quoad Gratiam Sacramentalem Stricte Dictam Et Quoad Characterem Baptismalem.

• *Billuart*, De bapt., diss. 3, a. 1, obj. 5, Parisiis, 1904, t. 8, p. 432.

Probatum ex eo quod ex una parte in Scriptura et Traditione hi effectus nulli alio medio quam ipsi sacramento tribuuntur et ex alia parte actus charitatis ex se ad eos nullatenus ordinatur, conversio enim ad Deum quae fit per actum charitatis requirit quidem gratiam sanctificantem, ut excludatur aversio a Deo seu peccatum, non vero impressionem characteris et collationem eorum quae integrant gratiam sacramentalem qua talem.

Ad rem S. *Thomas*: “Quando aliquis adultus poenitens ad baptismum accedit, consequitur quidem remissionem omnium peccatorum ex proposito baptismi, *perfectius* autem ex reali susceptione baptismi” (7. 69, a. 1, ad 2).

“Remissionem peccatorum aliquis consequitur ante baptismum, secundum quod habet baptismum in voto vel explicite vel implicite; et tamen cum realiter suscipit baptismum, fit plenior remissio quantum *liberationem a tota poena.*” (q. 69, a. 4, ad 2).

“[Actus contritionis potest supplere vicem sacramenti] quantum ad ultimum effectum, qui est justificatio a peccatis; sed quantum ad effectum qui est *res et sacramentum*, scilicet quantum ad characterem, non videtur quod per devotionem accedentis possit suppleri; quia *character nunquam imprimitur nisi per sacramentum*” (q. 64, a. 8, ad 2).

ART. 17. Utrum Martyrium, Cum Voto Baptismi In Adultis, Valeat Ex Opere Operato Et Abundantiori Modo Baptismum Ipsum Supplere Quoad Principalem Eius Effectum (q. 66, a. 11 et 12; In 4 Sent., dist. 4, q. 3, a. 3; Quodlib. 6, a. 4; Suppi., q. 96, a. 6; 2-2. q. 124).

STATUS QUAESTIONIS

1. Sermo de *martyrio* occurrit tum in *theologia morali* ubi consideratur *psychologice* ut actus virtutis fortitudinis, tum in tractatu de *Revelatione* ubi consideratur *philosophice et apologetico* ut miraculum et motivum credibilitatis revelationis, tum in *praesenti* tractatu in quo consideratur *dogmatice* ut causa justificationis seu medium privilegiatum quo suppletur Baptismus (vel Poenitentia).¹

2. *Martyrium complete spectatum definiri potest:*² Occisio in odium fidei illata et in eiusdem obsequium acceptata.

Prima pars definitionis (occisio in odium fidei illata) convenit mar-

¹Cf. *Billot*, De bapt., th. 24 in nota circa initium.

²Cf. 2-2, q. 124; Suppi., q. 96, a. 6; *Cajetanum*, In 2-2, q. 124; *Billuart*, De fortitudine, diss. 1, a. 2; *Diet. Théol. Cath.*, art. Martyre, col. 220 sqq.; *Benedictum XIV*, De servorum Dei beatif. et beatorum canoniz., Bononiae, 1737, l. 3, c. 11-22.

tyrio ut est quaedam poena seu, ut ita dicatur, opus operatum; altera pars (in eiusdem obsequium acceptata) convenit martyrio ut est quidam actus virtutis seu, ut ita dicatur, opus operantis. Ad idem redit quod alii dicunt: in martyrio tres condiciones requiri, i.e. occisionem, causam persecutoris seu odium fidei, obsequium seu liberam acceptationem subjecti, vel: martyrium considerari posse ex parte rei, ex parte agentis seu persecutoris et ex parte suscipientis. Horum enim duo priora referuntur ad martyrium ut est opus operatum, tertium vero ad martyrium ut est opus operantis.

a. Martyrium ut est poena, seu *opus operatum*, est occisio in odium fidei illata. Duo ergo importat.

Primo ex parte rei requiritur *occisio*. Non sufficit desiderata occisio seu desiderium martyrii, quamvis hoc desiderium intensissima charitate inflammatum possit ex opere operantis, vel tanquam baptismus flaminis, effectum martyrii meritorie obtinere, imo sub aliqua ratione superare. Hoc tantum sensu *B. Virgo* fuit eminenter martyr “per quamdam similitudinem” (2-2, q. 124, a. 4, ad 1).

Quidam dicunt requiri et sufficere vulnus de se mortale, quamvis mors non sequatur. Juxta *S. Thomam* vero sufficit vulnus etiam non de se mortale, ex quo mors de facto etiam post longius tempus sequatur; si vero mors non sequitur, sive quia vulnus non est mortale sive quia miraculose a Deo impeditur, non habetur ratio martyrii saltem proprie et perfecte (2-2, q. 124, a. 4; Suppi., q. 96, a. 6, ad 7). Unde *S. Joannes Evangelista* non est stricte et perfecte martyr; quidam tamen ob magnam propinquitatem eorum passionis cum martyrio recte ab Ecclesia inter martyres adnumerantur.

Quidam dicunt requiri ut vulnus ab homine *patienter* acceptetur, unde milites etiam in bello sancto morientes, non esse martyres quia non voluntarie sed necessitate occiduntur nec dum hosti resistunt similitudinem gerunt Christi tamquam ovis occisi. Attamen et hi ut veri martyres cum *S. Thoma* (2-2, q. 124, a. 5 corp, et ad 3; Suppi., q. 96, a. 6, ad 11) habendi sunt, nam voluntarie hosti se praebent occidendi, quamvis alia (accidentaliter) ratione ac Christus.

Secundo, ex parte agentis seu persecutoris requiritur quod causa agendi sit *odium Christi seu fidei* vel cujuslibet alterius virtutis; unde *Augustinus* advertendum monet “quod martyres veros *non jacit poena, sed causa*” (Epist. 89, 2, M.L. 33, 310; cf. In Psal. 34, Serm. 2, 13). Unde martyres sunt *J. Baptista* occisus ob defensionem inviolabilitatis matrimonii, *S. Thomas Cantuariensis* ob defensionem jurium Ecclesiae, sanctae virgines ob defensionem castitatis, imo milites, et a fortiori pro bono fidei in sacro bello contra haereticos (cf. 2-2, q. 124, a. 5

corp, et ad 3; Suppl., q. 96, a. 6, ad 9. 10 et 11; In epist. ad Rom., c.8,1. 7).

b. Martyrium ut est actus virtutis, seu *opus operantis*, requirit voluntariam perpeccionem mortis. Qui actus, ut docet S. *Thomas* (2-2, q. 124, aa. 2 et 3), est actus elicited a virtute fortitudinis; imperari vero potest ab aliis virtutibus, ut a poenitentia, castitate, justitia, et maxime a caritate a qua semper imperatur si insit in subjecto. *In parvulis*, qui sunt incapaces actus virtutis, martyrium habet imperfectam rationem; in ipsis enim tantum prima pars definitionis verificatur (cf. Suppl., q. 96, a. 6, ad 12).

3. Martyrium in hoc articulo *consideratur tantum primo modo*, i.e. ut poena et opus operatum; actus enim virtutis seu voluntaria mortis perpeccio in parvulis est impossibilis, in adultis vero se habet tantum ut conditio baptismi sanguinis ut in Conci. 3 explicabitur.

4. *Quaeritur* an martyrium, sicut ipse Baptismus aliaque sacramenta, influat *ex opere operato* (i.e. vi positionis actus) non vero tantum *ex opere operantis*, quamvis in adultis etiam ita concomitanter operetur. Nec est necesse cum quibusdam dicere martyrium influere quasi ex opere operato, vel ad modum operis operati, ut inde fiat distinctio ab influxu sacramenti; nam martyrium influit ex opere operato ad modum conditionis, sacramentum vero N.L. ad modum verae causae, quomodolibet tandem causa accipiatur sive physice sive moraliter sive intentionaliter.

5. *Quaeritur* de influxu martyrii *in principalem tantum effectum Baptismi* (i.e. in gratiam communem), ad exclusionem nempe tum characteris tum propriae gratiae sacramentalis qua talis; et cum dicitur illum abundantiori modo per martyrium conferri, id refertur tum ad baptisma flaminis seu contritionem, et signat martyrium non solum remissionem culpae, ut illud, conferre sed etiam remissionem totius poenae, tum ad Baptisma aquae, et signat martyrium quosdam secundarios effectus habere quibus accidentaliter praecellit ipsum sacramentum.

6. *Quattuor quaeruntur*: de efficacitate martyrii ex opere operato tum in *parvulis*, tum in *adultis*; de *dispositionibus* in adultis requisitis (inter quas est votum Baptismi); de *variis effectibus* et privilegiis martyrii.

PARS NEGATIVA

1. *QUIDAM ANTIQUI HAERETICI* meritum martyrii reiecerunt. Ita *Gnostici*, praesertim *Valentinus* et ejus asseclae, quos *Tertul-*

lianus appellat “martyriorum refragatores . . . salutem perditionem interpretantes . . . lucem in tenebras reformantes” (Adv. Gnosticos Scorpiace, 1, M.L. 2, 145. 147), hanc eorum sententiam citans: “Nec simplicitas ista [est], sed vanitas, imo dementia, pro Deo mori” (ibid., 146) ac de ipso Valentino scribens: “Speraverat episcopatum Valentinus, quia et ingenio poterat et eloquio. Sed alium *ex martyrii praerogativa loci potitum indignatus*, de Ecclesiae authenticae regulae abruptit” (Adv. Valentinianos, 4, M.L. 2, 581).

2. *PLURES THEOLOGI*, quaedam verba Scripturae, Patrum et S. Thomae (cf. infra, obj. 4) circa martyrii efficaciam interpretantes de propria virtute caritatis et contritionis quae cum eo connectitur, negarunt martyrium per se gratiam conferre *ex opere operato*. Inde in duplicem sententiam abierunt:

Quidam pauci docuerunt martyrium non prodesse parvulis eo quod non sint capaces actus caritatis. Ita *Richardus Armachanus* (aliter Fitzralph: filius Rudulphi) f 1360, archiepiscopus in Hibernia, qui docet (Summa in quaestionibus Armenorum, 1. 8, c. 37) SS. Innocentes non ex martyrio pro Christo sed ex circumcissione salutem obtinuisse, et *Card. Jacobus de Vitriaco* qui negat (Historia Occidentalis, c. 36) privilegium SS. Innocentium extendi ad alios parvulos qui pro Christo occiduntur.

Alii plures docuerunt martyrium ex opere operato prodesse parvulis per accidens et ex privilegio, adultis vero tantum ex opere operantis actus caritatis cujus sunt capaces. Ita *Bonaventzira, Soto, Ledesma, Vasquez, Bannez, Sylvius*. Horum quidam videntur loqui de efficacia ex opere operato in adultis; at cum simul dicant absque praevio actu caritatis martyrium efficaciam non habere, hanc de facto ad efficaciam operis operantis reducunt.⁹

PARS AFFIRMATIVA

Nota Theologica.

Martyrium supplere quomodolibet (i.e. abstrahendo a modo efficacitatis et a conditione parvuli vel adulti) sacramentum Baptismi quoad ejus principalem effectum, videtur *theologice certum* propter tam constantia et explicita Patrum testimonia quae ordinarium Ecclesiae magisterium continere videntur et propter praxim Ecclesiae colentis martyres ac pro eis orare recusantis.

Martyrium in *parvulis* supplere effectum Baptismi, adeoque saltem quoad parvulos ipsum habere efficaciam *ex opere operato*, non videtur

* Cf. *Migne*, Tbcoll. Cursus, t. 21, coi. 434 sqq., ubi haec ultima sententia probatur ut probabilis a *Collet*.

absque *temeritate* negari posse, tum propter cultum SS. Innocentium ut Christi martyrum, tum propter jugiter concordem sententiam theologorum; contrariam opinionem saltem temerariam vocant *Toleto* (In 3 p., q. 66, a. 11) et *Suarez* (Disp. 29, sect. 1, η. 3).

Etiam in *adultis* martyrium influere ex opere operato vel in eo non requiri actum contritionis, est sententia olim communior, nunc communis; contraria tamen opinio non videtur proprie dicta censura mulctari posse.

Documenta Ecclesiae.

Vix quidquam produnt, quod ad hanc quaestionem directe referatur, quamvis aliunde abundant Traditionis testimonia.

Cone. Trid. in *sess. 6 et 7* agere intendit de solis ordinariis causis justificationis per Christi legem institutis; unde non memorat martyrium, cujus efficacia est ex extraordinario privilegio et cujus existencia non ab intentione Christi sed a mala persecutorum voluntate dependet; memorat autem votum Baptismi (cf. in p. 192) seu contritionem, quia hujus efficacia est tum ex natura rei tum ex ipso Baptismo qui in ea continetur sub ratione voti.

Innocentius III in *Epist. "Cum Marthae"* ad Joannem Arch. Lugdunensem, a. 1202, resumens fere ad verbum celebrem sententiam Augustini (cf. Serm. 159, 1, 1 infra cit.), ait: "Cum sacrae Scripturae dicat auctoritas quod *injuriam jacet martyri qui orat pro martyre*, idem est ratione consimili de sanctis aliis sentiendum, qui orationibus nostris non indigent, pro eo quod cum sint perfecte beati, omnia eis ad vota succedunt, sed nos potius eorum orationibus indigemus, quos, cum miseri simus, undique mala multa perturbant" (M.L. 214, 1122).

In Missa et Officio SS. Innocentium, pueri bethlehemitici considerantur ab Ecclesia ut martyres Christi: "Deus, cujus *hodierno die praeconium Innocentes Martyres* non loquendo, sed moriendo *confessi sunt*" (Oratio in Missa et Officio). "A bimatu et infra cecidit multos pueros Herodes *propter Dominum*" (Ant. ad Laudes). "Salvete, flores Martyrum, quos . . . *Christi insecutor* sustulit . . . Vos *primae Christi victimae*" (Hymnus ad Laudes). "Innocentes *pro Christo* infantes occisi sunt" (Ant. ad Magnificat).

In Missa et Officio de Martyribus Ecclesia laudat excellentiam et fructus martyrii: "Hic est vere martyr, qui *pro Christi nomine* sanguinem suum fudit . . . ad caelestia regna pervenit" (Resp. lect. 8, Comm. unius martyris). "Viri sancti gloriosum sanguinem fuderunt pro Domino, amaverunt Christum in vita sua, *imitati sunt cum in morte sua*, et ideo coronas triumphales meruerunt" (Resp. lec. 2, Comm. plur. Mart.).

Scriptura.

Excellentia persecutionis et passionis pro Christo *in genere* saepissime exaltatur: cf. Matth. 5, 10-12; 10, 16-22; 20, 22 sq.; Marc. 10, 38 sq.; Luc. 12,50; Joan. 15, 13; Rom. 5,3-5; 8, 17 sq.; 1 Cor. 13,3; 2 Cor. 4, 17; 12, 10; 1 Petr. 2, 21; 1 Joan. 3, 16; Apoc. 2, 10; 6, 9-11; 7, 13-15.

Efficaciam martyrii praedicant sequentes textus, maxime si accipiuntur sub luce Traditionis:

Matth. 10, 32: ‘Omnis . . . qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo’ (cf. *Augustinum*, De civ. Dei et De anima infra cit.).

Luc. 9, 24: “Qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam” (cf. Matth. 10, 39; 16, 25; Marc. 8, 35).

Joan. 12, 25: “Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam”.

Joan. 15, 13: “Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis”. Quoad hunc textum confer obj. 4.

Patres.

Eorum doctrina traditur compendiose infra in Conci., praecipue 2, prob. 2 et synthetice in art. seq. Sufficiat hic quaedam documenta exscribere.

Irenaeus, Adv. Haer. 3, 16, 4: “Propter hoc et pueros eripiebat qui erant in domo David, bene sortiti illo tempore nasci, ut eos praemitteret in suum regnum; ipse infans cum esset infantes hominum martyres parans, propter Christum, qui in Bethleem natus est Iudae in civitate David, interfectos secundum Scripturas” (M.G. 7, 924).

Tertullianus, De bapt. 16: “Est quidem nobis etiam *secundum lavacrum*, unum et ipsum, sanguinis scilicet: de quo Dominus: ‘Habeo, inquit, baptismo tingui (Luc. xii, 50),’ cum jam tinctus fuisset. Venerat enim per ‘aquam et sanguinem’ (1 Joan, v, 6), sicut Joannes scripsit, ut aqua tingeretur, sanguine glorificaretur, proinde nos faceret aqua vocatos (Joan, xix), sanguine electos. Hos *duos baptismos* de vulnere perfossi lateris emisit, quia qui in sanguinem ejus crederent, aqua lavarentur: qui aqua lavissent, etiam sanguinem potarent. Hic est *baptismus, qui lavacrum et non acceptum repraesentat, et perditum reddit*” (M.L. 1, 1326).

Idem, *Apologeticum, 50*: “Quis non . . . pati exoptat, ut *totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam* ab eo compensatione sanguinis sui expediat? *Omnia enim huic operi delicta donantur*” (M.L. 1, 604).

Passio SS. Perpetuae et Felicitatis, 6, 4: “Et statim in fine spectaculi, leopardo objectus, de uno morsu ejus tanto perfusus est sanguine, ut populi revertenti illi *secundi baptismatis* testimonium reclamaverit: ‘Salvum lotum, salvum lotum’ ” (M.L. 3, 57).

Cyprianus, Epist. 73, 21: “Numquid potest vis baptismi esse major aut potior quam confessio, quam passio, ut quis coram hominibus Christum confiteatur et sanguine suo baptizetur? . . . Sciant igitur . . . catechumenos [mortuos sine Baptismo] . . . *nec privari baptismi sacramento, utpote qui baptizentur gloriosissimo et maximo sanguinis baptismo*, de quo et Dominus dicebat habere se aliud baptisma baptizari (Luc. xii, 50). Sanguine autem suo baptizatos et passione sanctificatos consummari et divinae pollicitationis gratiam consequi declarat in Evangelic idem Dominus, quando ad latronem in ipsa passione credentem et confitentem loquitur et quod secum futurus sit in paradiso pollicetur” (M.L. 3, 1168-1170).

Idem, *Epist. 56, 6*: “Christi nativitas a martyriis infantium statim coepit, ut ob nomen ejus a bimatu et infra qui fuerant necarentur: aetas necdum habilis ad pugnam *idonea exstitit ad coronam*: ut appareret *innocentes esse qui propter Christum necantur*, infantia innocens *ob nomen ejus occisa est*” (M.L. 4, 364).

Idem, *De exhortatione martyrii, praejatio, 4*: “Nos . . . qui. Domino permittente, primum *baptisma* credentibus dedimus, ad *aliud* quoque singulos praeparemus, insinuantes et docentes hoc esse *baptisma in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius*, baptisma in quo angeli baptizant, baptisma in quo Deus et Christus ejus exultant, baptisma *post quod nemo jam peccat*, baptisma quod fidei nostri incrementa *consummat*, baptisma quod nos de mundo recedentes *statim Deo copulat*. In aquae baptismo accipitur peccatorum remissa, in sanguinis baptismo corona virtutum” (M.L. 4, 680).

Origens, In Levit., hom. 2, 4: “Audi nunc, quanta sint remissiones peccatorum in evangeliiis. Est ista prima, qua baptizamur in remissionem peccatorum. Secunda remissio est in passione martyrii . . . Est adhuc et septima, licet dura et laboriosa, per paenitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrimis stratum suum” (M.G. 12,417).

Idem, *In lib. Judicum, hom. 7, 2*: “Hoc baptismo [i.e. martyrio] qui baptizatus fuerit, peccare jam ultro non potest” (M.G. 12, 980).

Cyrillus Hier., Catech. 3, 10 cit. in p. 112.

Gregorius Naz., Orat. 39, 17: “Novi etiam quartum baptismi genus praeter baptismum Moysis, Ioannis et Iesu, nempe quod martyrio et

sanguine comparatur, quo ipse quoque Christus baptizatus est, et quidem *eo ceteris augustius, quod nullis postea sordibus contaminatur*" (M.G. 36, 356; cf. *Damascenum*, De fide orth. 4, 9).

Basiliius, De Spiritu S., 15, 36 ait, comparans Baptismum martyrio, illum fuisse tantum in aliqua imitatione seu similitudine mortis Christi juxta Rom. 6, 3, hoc vero in veritate seu perfecta imitatione: "Sunt nonnulli, qui in certaminibus pro pietate *revera* [i.e. secundum rei veritatem] non imitatione [sicut fit in Baptismo] mortem pro Christo perpessi, nihil symbolis, quae sunt in aqua, opus habuerunt ad salutem nimirum in proprio baptizati sanguine" (M.G. 32, 132).

Chrysostomus, Serm. in S. Lucianum, 2: "*Neque miremini quod baptismum martyrium nuncuparim*; nam et hic Spiritus cum multa ad- volat ubertate, ac peccatorum abolitio et animae fit purgatio quaedam *mirabilis ac stupenda*; et *quemadmodum* ii qui baptizantur aquis, ita qui martyrium patiuntur proprio sanguine abluuntur" (M.G. 50, 522).

Ambrosius, De obitu Valentiniani, 53 cit. in art. praec., p. 197.

Augustinus, Serm. 159, 1, 1: "Perfectio tamen in hac vita nonnulla est, ad quam sancti martyres pervenerunt. Ideoque habet ecclesiastica disciplina, quod fideles noverunt, cum martyres eo loco recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipsis oretur: pro caeteris autem commemoratis defunctis oratur. *Injuria est enim, pro martyre orare*, cujus nos debemus orationibus commendari. Certavit enim contra peccatum usque ad sanguinem" (M.L. 38, 868; cf. In Joan., tract. 84, 1).

Idem, *De bapt. 4, 22, 29* cit. in art. praec., p. 197 sq.

De Civit. Dei, 13, 7: "Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, *tantum eis valet* ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis. Qui enim dixit, 'Si quis non renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum caelorum' (Joan, iii, 5): alia sententia istos fecit exceptos, ubi *non minus generaliter dixit*, 'Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in caelis est' (Matth. x, 32); et alio loco, 'Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam' (Id. xvi, 25). Hinc est quod scriptum est. 'Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus' (Psal. cxv, 15). Quid enim pretiosius quam mors, per quam fit ut et *delicta omnia dimittantur, et merita cumulati- us augeantur?*" (M.L. 41, 381).

Idem, *De anima, 1, 9, 10*: "Ex quo autem ab illo dictum est, 'Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest intrare in regnum Dei' (Joan, iii, 5); et alio loco, 'Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam' (Matth. x, 39): nemo fit membrum Christi, nisi *aut Baptismate in Christo, aut morte pro Christo*" (M.L. 44, 480).

Fulgentius, De fide ad Petrum, 3, 41 cit. in p. 114.

Gennadius, De cedes, dogm. 74 cit. ibidem.

Bernardus, Epist. 77 ad Hugonem Victorinum, 8 cit. in p. 198.

Hugo a S. Vietore, De sacr., l. 2, p. 6, c. 7 cit. in p. 198 sq.

Petrus Lombardus, Sent., l. 4, dist. 4, n. 4 et 5 cit. in p. 199.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Martyrium Supplet Baptismum In Parvulis, Nee Aliter Quam Ex Opere Operato.

Probatur 1. Ecclesia *PARVULOS BETHLEHEMITICOS*, ab Herode occisos, colit ut sanctos, idque *propter martyrium pro Christo* non vero propter circumcisionem. Etenim eos considerat ut martyres Christi (cf. supra Documenta Ecclesiae; Irenaeum, Adv. Haer. 3, 16, 4 supra cit.; Cyprianum, Ep. 56, 6 supra cit.; Augustinum, De gratia et libero arbitrio, 3, 23; Leonem M., Serm. 31, 3; Bernardum, Serm. de Innocentibus), nec Ecclesia colit ut sanctos parvulos morientes etiam post Baptismum, nec certum est SS. Innocentes fuisse omnes circumcisos, imo verisimile est quosdam fuisse incircumcisos, vel quia gentiles, vel quia infra octavum diem a nativitate, vel ob incuriam parentum.

Nec valet opponere hoc fuisse singulare privilegium quod nequit aliis parvulis extendi. *Nam* tota ratio talis privilegii est mors pro Christo, quae aequae valet pro omnibus parvulis qui ex causa fidei occiduntur.

Probatur 2. *SCRIPTURA* supra citata, absque ulla distinctione parvulorum et adultorum, promittit salutem omnibus qui pro Christo animam suam perdiderint; similiter Patres supra citati de efficacitate martyrii generice et absque distinctione saepe loquuntur (cf. v.g. Augustinum, De civ. Dei et De anima supra cit.), imo ipsi operi operato non vero operi operantis, seu dispositionibus subjecti, eam tribuunt (cf. Conci, seq.).

Nec valet opponere in Matth. 10, 32, Mare. 8, 35 et Joan. 12, 25, agi de eo qui *confitetur* Christum, *vult* animam perdere eamque *odio habet* pro Christo, adeoque de adulto. *Nam*, omisso quod haec verba non inveniuntur in Matth. 10, 39, confessio dupliciter intelligi potest, i.e. *subjective*, quae est in ore et voluntate, et *objective*, quae est in opere; unde in Matth. 16, 25 et Luc. 9, 24 mentio confessionis indifferenter citatur in uno membro textus et omittitur in alio, et Patres atque Ecclesia aiunt SS. Innocentes non ore sed opere, “*non loquendo sed moriendo*”, Christum confessos esse.

Conclusio 2. Martyrium Etiam In Adultis Supplet Baptismum Ex Opere Operato, LE. Non Vi Alicujus Disj sitionis Subjecti, Sed Vi Propria, Quatenus Est Conformatio Cum Morte Christi.

Probatum 1. *PATRES* ita de efficacia martyrii loquuntur ut eam non dispositionibus subjecti directe tribuant sed ipsi operi. *Nam* instanter martyrium appellant baptismum vel alterum baptismum, docent ipsum sicut Baptismum justificare ac vicem Baptismi supplere (cf. praecipue Augustinum, De civ. Dei supra cit.); quae obvio sensu carerent si efficacia martyrii non esset ex opere operato sed ex concomitante actu caritatis (qui ceterum nec semper adest, ut dicitur in Conci, seq.).

Praeterea, dicunt martyrium eadem ac Baptismum imo majorem efficaciam habere, “injuriam esse pro martyre orare” (juxta celebre effatum Augustini, ab Innocentio III resumptum), martyrium immediate conjungere cum Christo in gloria; quae soli operi operato convenire possunt, cum opus operantis caritatis non necessario remittat totam poenam peccati, potest enim quis vel leve martyrium pati vel cum parva caritate ad martyrium accedere post longam vitam peccati et ita non totius poenae remissionem consequi, nec ideo totum Baptismi effectum obtinere aut statum beatitudinis immediate ingredi.

Praeterea, connumerant martyrium *Baptismo et contritioni* quoad efficacitatem; ergo illud ab his distinguunt.

Praeterea, innuunt vel explicite (cf. Basilium supra cit.) docent rationem efficacitatis martyrii esse ipsam *perjectam imitationem mortis Christi*; quod actui caritatis non convenit, minus adhuc quam Baptismo aquae.

Praeterea, si efficacia martyrii esset ex dispositione subjecti seu contritione, non plene et simpliciter verificaretur traditionalis divisio baptismi fluminis, flaminis et sanguinis; nam quoad adultos supprimeretur baptismus sanguinis ac identificaretur cum Baptismo flaminis; unde oporteret sic illos baptismos distribuere: baptismum fluminis pro omnibus, baptismum flaminis pro adultis, baptismum sanguinis pro parvulis. Traditionalis vero sensus est tria baptismata omnibus hominibus indistincte praeberi, quamvis baptismus flaminis in parvulis per accidens verificari nequeat ob naturalem incapacitatem usus rationis.

Probatum 2. Martyrium vim habet ex opere operato in parvulis; ergo et in adultis. Utrobique enim eadem est ratio martyrii ejusque efficacitatis, scilicet passio pro Christo et in similitudinem mortis Christi; si quae differentia habetur, tota in eo consistit quod adulti sint dispositionum capaces, ac proinde eas afferre debeant quae ex natura rei

requiruntur ad efficacitatem ex opere operato, ut in Conci, seq. ostendetur.

Praesentia dispositionum in adultis nedum tollat rationem operis operati a martyrio, hoc potius nobiliter et efficacius reddunt, cum exinde evadat perfectior conformatio passioni Christi, qui “oblatus est quia ipse voluit” (Is. 53, 7), actus virtutis fortitudinis et ordinarie etiam actus meritorius ex caritate concomitante, quemadmodum Baptismus adulti est nobilior Baptismo parvuli ex parte subjecti.

Probatur 3. *EX CONGRUENTIIS RATIONIS*. Abstrahendo a fervore caritatis et contritionis, qui martyrio inesse potest et ordinarie inest, congruit ipsum martyrium ex opere operato habere efficacitatem, sive quia est opus maxime arduum, sive quia est aptum signum maximae dilectionis (cf. 2-2, q. 124, a. 3), sive quia utpote jactura propriae vitae continet sacrificium et contemptum omnis creati boni, sive quia est *maxima conjormatio cum passione Christi*.

Haec ultima ratio, quam innuunt Patres, praecipue Basilius supra citatus, sic evolvi potest cum S. Thoma (q. 66, a. 11 et 12): Baptismus aquae vim sanctificam habet propter symbolicam imitationem passionis Christi quam in se refert; ergo valde convenit ut martyrium eandem imo maiorem efficaciam habeat, cum sit expressior configuratio imo realis imitatio passionis Christi.

Nec ceterum aliunde quidquam obstat ex parte necessitatis et causalitatis Baptismi aquae. Nam utraque non ex natura rei sed ex institutione divina inducta est. Baptismus quidem pendet in causando a passione Christi ut a causa proxima et a Spiritu S. ut a causa remota, sed non vicissim; unde independenter a Baptismo potest passio Christi gratiam conferre per martyrium ut per aliam sui imitationem, sicut etiam potest Spiritus S., independenter sive a Baptismo sive a qualibet imitatione passionis Christi, immediate influere gratiam per actum charitatis.

Conclusio 3. In Martyrio Eaedem Dispositiones Requiruntur Et Saltem Per Se Sufficiunt Ac In Sacramentis Mortuorum, I.E. Non Requiritur Contritio Sed Sufficit Intentio Et Attritio Cum Voto Sacramenti (Baptismi Vel Poenitentiae).

Probatur.10

Haec conclusio est corollarium praecedentis. Tres continet partes.

”Cf. Suarez, Disp. 29, sect. 2 et 3; Billuart, Tract, de fortitudine, diss. 1, a. 2.

PRIMA PARS, i.e. *QUASDAM REQUIRI BONAS ANIMI DISPOSITIONES*, patet tum ex ratione martyrii quod est actus virtutis fortitudinis et voluntaria confessio fidei ac conformatio cum Christo, tum ex analogia Baptismi ad cuius effectum supplendum ordinatur martyrium, tum ex praxi et disciplina Ecclesiae quae sollicite curabat ut fidei confessores quantum fieri posset sacramentis Baptismi et Eucharistiae aliisque praesidiis munirentur ut paratiores ad martyrium properarent.

SECUNDA PARS, i.e. *NON REQUIRI CONTRITIONEM*, sequitur ex efficacia martyrii suppletiva Baptismi ex opere operato. Si enim requireretur contritio, haec justificaret ex seipsa ante martyrium, nec unquam martyrium suppleret Baptismum quoad principalem eius effectum, quamvis illum suppleret quoad augmentum gratiae et remissionem totius poenae simulque conferret alios proprios effectus.

Seria tamen hic *occurrit difficultas* propter quam positum est in conclusione incisum illud “*saltem per se*”. Scilicet: imminente mortis periculo, quilibet tenetur elicere actum charitatis seu contritionis; si igitur martyr praeceptum illud adimplet, jam accedit justificatus ad martyrium, si vero non adimplet, tunc neque per ipsum martyrium justificatur, utpote carens debita dispositione. Ergo martyrium semper cum charitate justificat, adeoque ex opere operantis.

5

Huic objectioni *quidam* probabiliter respondent negando praeceptum charitatis urgere pro martyre, cum ei adsit aliud medium salutis et remissionis peccatorum, nimirum ipsum martyrium, quemadmodum non urget pro homine qui in periculo constitutus resolvit suscipere Baptismum. *Alii probabilius* concedunt etiam pro martyre urgere praeceptum charitatis, non secus ac praeceptum sacramentum *Baptismi vel Poenitentiae* suscipiendi. Ratio est quia martyrium est medium salutis extraordinarium et privilegiatum, quod non excludit usum mediorum ordinariorum sed illum supponit, vel supplet in casu impotentiae; ac inde etiam erui potest differentia cum Baptismo, qui cum sit medium ordinarium justificationis, non necessario supponit actum contritionis quando imminet periculum mortis. z l .

Haec sententia est saltem tutior, adeoque in praxi sequenda, iuxta generale principium quod non licet usus opinionis speculative probabilis contra tutiorem, ubi agitur de medio necessario ad salutem. Neque in hac sententia efficacia martyrii evacuatur, tum quia est per accidens et ex concurrente praecepto quod requiratur actus contritionis non vero per se seu ex ratione dispositionis martyrii, tum praesertim quia *de facto actus charitatis inculpabiliter deesse potest*, ut si quis conetur conteri sed nonnisi actum attritionis eliciat, vel si repente raptus ad

martyrium non cogitet de peccatis suis, vel si in inadvertentia aut in somno martyrium patiatur.

TERTIA PARS i.e. IN MARTYRIO REQUIRITUR INTENTIO, ATTRITIO ET VOTUM BAPTISMI VEL POENITENTIAE.

Quod requiratur *votum Baptismi vel Poenitentiae* probatur ex eadem ratione nuper allata, quia scilicet haec sunt media ordinaria salutis (cf. Quodl. 6, a. 4). Nec tamen inde sequitur martyrium proprie loquendo justificare ex voto Baptismi, quemadmodum Baptismus flaminis, nam in martyrio votum Baptismi se habet ut mera conditio seu ut removens malam voluntatem non suscipiendi ordinaria salutis media, quod inde patet quod non semper votum requiritur, ut in parvulis, dum in contritione votum Baptismi se habet ut causa justificans (cf. art. seq., p. 234 sq. 236 sq.).

QUOAD RATIONEM ATTRITIONIS ET INTENTIONIS REQUISITAE EST QUIDAM DISSENSUS INTER THEOLOGOS.

Ad cujus intelligentiam nota quod, ut diximus in superiori tractatu (art. 23 et 25), in sacramento Baptismi sufficit intentio habitualis implicita et attritio habitualis implicita, in sacramento vero Poenitentiae requiritur saltem intentio virtualis et attritio actualis. In utroque tamen intentio et attritio sunt distincti actus; non enim attritio de peccatis continetur in intentione sacramentum suscipiendi. Quid igitur de martyrio? Requiriturne, sicut in praefatis sacramentis, attritio distincta ab intentione moriendi pro Christo vel haec sola sufficit? Item, sufficitne ut haec intentio sit habitualis implicita sicut in Baptismo? En breviter quid dicendum videtur:

1. Procul dubio in martyrio *REQUIRITUR ATTRITIO* de peccato gravi, quia sine poenitentia juxta Cone. Trid., sess. 14, cap. 1 et 4 (Denz. 894. 897) fieri nequit justificatio. Unde non sufficit intentio moriendi pro Christo, ut quidam theologi volunt.

Opponit Soto hanc intentionem importare amorem Dei seu dolorem de peccato. At hoc *negandum est*; nam intentio martyrii est formaliter actus elicited a fortitudine, unde non potest importare dolorem nisi prout imperatur a virtute charitatis vel poenitentiae, seu nisi ei addatur actus attritionis vel contritionis.

Opponit Suarez quod ad hoc ut martyrium justificet ex opere operato sufficit quod non habeatur obex, ut contingit in eo qui actu non advertit seu non cogitat de suo peccato. At *negatur suppositum*; scilicet non adesse obicem in eo qui attritionem saltem habitualement implicitam non habeat seu qui aliquo modo peccatum non retractaverit.

Provocat Suarez ad haec verba 5. *Thomae*: "Passio pro Christo

suscepta, sicut supra dictum est, obtinet vim baptismi; et ideo purgat ab omni culpa et veniali et mortali, *nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhaerentem*" (q. 87, a. 1, ad 2). At S. Doctor supponit quod voluntas cesset peccato inhaerere praecise per actum poenitentiae; unde etiam In 4 Sent., dist. 16, q. 2, a. 2, q. 2, ad 3, ubi repetit eadem verba, addit: "De aliis . . . qui moriuntur [in martyrio] dormientes, dicendum, quod dimittitur eis . . . veniale [peccatum] . . . quantum ad culpam *post-mortem*".

Relinquitur ergo quod, abstracte loquendo, sola intentio moriendi pro Christo, absque attritione, non sufficit. De facto tamen pie credendum est ac maxime congruit divinae providentiae ut non permittat aliquem qui sincere habet voluntatem maximum vitae bonum pro fide et virtute immolandi, frustra pati, sed res ita disponat ut ad sufficientem dispositionem ille ante martyrium adducatur; quinimmo ordinarie gratia Spiritus S. ad martyrium impellit ex ardore charitatis iam acquisitae ex opere operantis contritionis.

Patet autem non necessario attritionem actualem vel virtualem requiri sed *sufficere habituales etiam implicitas*; unde in martyrio non alia attritio requiritur quam ea quae sufficit ad fructuosam susceptionem Baptismi.

2. Nullum potest esse dubium quin requiratur *INTENTIO MORIENDI PRO CHRISTO*. Quaeri tantum potest an ipsa debeat esse actualis vel sufficiat habitualis, et an debeat esse habitualis explicita vel sufficiat implicita, quemadmodum ad validam susceptionem Baptismi. Dicimus quod *sufficit habitualis*, attamen probabiliter *debet esse explicita* et non tantum implicita.

Debet quidem esse explicita, quia martyrium est res valde onerosa et difficilis, unde eius intentio non videtur contineri in alia, puta in generali voluntate propriae salutis, sicut e contrario continetur intentio Baptismi. "Quapropter, si quis adultus dormiens causa fidei occidatur, absque eo quod antea de martyrio cogitaverit, probabile est quod non sit vere martyr: secus si coniectus in vincula martyrium subire proposuerit; sicut dormiens vere baptizatur, qui antea baptismum desideravit . . . Non est tamen improbabilis sententia contraria Cajetani hic art. 2, et Sylvii 3 p., q. 66, art. 11, quaeritur 3, nimirum justum aut peccatorem vere poenitentem, si omnia sua in Deum ut in finem retulerit, et dormiens occidatur propter Christum, absque eo quod explicitate de martyrio cogitaverit, esse martyrem, quia in ea dispositione censetur mors aliquo modo voluntarie suscepta."¹¹

Sufficit tamen voluntas habitualis, quia per se non requiritur maior

¹¹ Billuart, De fortitudine, diss. 1, a. 2, Consect., Parisiis, 1904, t. 8, p. 36.

intentio in subjecto sacramentorum, ut diximus in superiori tractatu; quia in eo qui sic est dispositus non habetur obex seu defectus attritionis, potest enim haec haberi etiam habitualiter implicite; quia martyrium supplet Baptismum et parem efficacitatem habet quantum patitur eius indoles; quia valde durum esset dicere frustraneam esse mortem alicujus, qui pro Christo in carcerem detrusus, in somno aut inadvertenter martyrium pateretur; quia non magis quam necessitas habitualis intentionis continetur in supra citatis verbis S. *Thomae* (q. 87, a. 1, ad 2; cf. In 4 Sent., dist. 16, q. 2, a. 2, q. 2, ad 3; *Cajetanum*, In q. 87, a. 1).

3. Ex dictis haec summatim colliguntur: ordinarie sane contingit martyrem cum contritione martyrium obire; martyr probabiliter tenetur actum contritionis elicere, sed si ad illum non pertingit vel si non potest, sufficit attritio; attritio debet esse actualis, sed propter inadvertentiam vel impotentiam sufficit habitualis etiam implicita; voluntas moriendi pro Christo debet esse actualis et explicita, sed propter impotentiam aut inadvertentiam sufficit habitualis implicita.

Conclusio 4. Effectus Martyrii Supplet Abundantiori Modo Principalem Effectum Baptismi.

Probatur.

Effectus Baptismi est duplex: character et gratia tum communis tum sacramentalis. Martyrium autem non supplet Baptismum quoad effectum qui est proprius ipsius *ut sacramenti*, i.e. quoad characterem (q. 64, a. 8, ad 2 cit. in art. praec., p. 207) et quoad gratiam sacramentalem qua talem; quapropter martyr sacramentum suscipere debet, occasione oblata. At effectus principalis Baptismi qui est gratia communis suppletur totaliter imo abundantiori quodam modo per martyrium.

Ad rem. S. *Thomas*:

In 4 Sent., dist. 4, q. 3, a. 3, q. 3: “In his quae sacramentalia sunt baptismus sanguinis non supplet vicem baptismi aquae, sicut est impressio characteris et hujusmodi, sed in eo quod est res tantum. *supplet totaliter vicem baptismi aquae* . . . Sicut enim in baptismo aquae liberatur ab omni culpa praecedente et poena, ita in baptismo sanguinis.” “Propter quod, addit in *3 p., q. 68, a. 2, ad 2*, dicitur quod in martyrio *omnia sacramenta baptismi complentur* [cf. Gennadium cit. in p. 114], scilicet quantum ad plenam liberationem a culpa et poena.”

In 4 Sent., dist. 4, q. 3, a. 3, q. 4: “Quantum ad ea quae sunt res et

non sacramentum excedit baptismus sanguinis, quia et gratia in baptismo sanguinis *magis augetur habenti, et amplior datur non habenti*, si impedimentum non adsit; et remissio peccatorum, quamvis non sit plenior, quia uterque omnem poenam et culpam tollit, tamen est in baptismo sanguinis efficacior et fructuosior, quia *secundis maculis non inquinatur*, ut Damascenus dicit [De fide orth. 4, 9]”.

3 p., q. 66, a. 12 assignans rationem omnium dictorum, scribit: “Effusio sanguinis pro Christo, et operatio interior Spiritus sancti dicuntur baptismata, inquantum efficiunt effectum baptismi aquae. Baptismus aquae efficaciam habet a passione Christi et a Spiritu sancto, ut dictum est. Quae quidem duae causae operantur in quolibet horum trium baptismatum, *excellentissime* tamen in baptismo sanguinis: nam passio Christi operatur quidem in baptismo aquae per quamdam figuralem repraesentationem; in baptismo autem flaminis vel poenitentiae per quamdam affectionem; sed in baptismo sanguinis per imitationem operis. Similiter etiam virtus Spiritus sancti operatur in baptismo aquae per quamdam virtutem latentem; in baptismo autem poenitentiae per cordis commotionem; sed in baptismo sanguinis per potissimum dilectionis et affectionis fervorem, secundum illud Joan, xv, 13: ‘Majorem hac dilectionem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis’ ” (cf. In 4 Sent., dist. 4, q. 3, a. 3, q. 4; *Bonaventuram*, In 4 Sent., dist. 4, p. 2, a. 1, q. 2).

VARII EFFECTUS ET PRIVILEGIA QUAE MARTYRIO ATTRIBUUNTUR, et quorum plures a Patribus laudantur, ad sequentes reduci possunt:

1. *Regeneratio vel justificatio* per ablationem omnis peccati sive originalis sive actualis tam venialis quam mortalis. Attamen cum peccatum veniale (ejusque poena) nonnisi per contritionem directe remittitur, martyri qui inadvertenter aut in somno occiditur, non remittitur nisi in momento separationis animae (cf. In 4 Sent., dist. 16, q. 2, a. 2, q. 2, ad 3). Idem dicendum est de martyre qui patitur in statu gratiae sed cum affectu ad aliquod veniale peccatum; hoc nempe vi martyrii remittitur una cum debita poena quando congrua adest dispositio, i.e. saltem in momento separationis animae.

2. *Augmentum gratiae* ex opere operato. Hoc imprimis sequitur ex efficacia martyrii ex opere operato seu ex eadem ratione qua probatur sacramenta mortuorum causare secundam gratiam ubi iam prima invenitur; ex eo quod secus accedens ad martyrium cum optima dispositione, seu cum caritate, esset in peiori conditione quantum ad hoc quam ille qui cum sola attritione accederet; ex eo quod secus parvuli

bethlehemitici iam circumcisi et parvuli Christianorum iam baptizati nihil ex martyrio acciperent, neque ex opere operato neque ex opere operantis.

3. Sive gratia prima sive secunda cum *maiori plentitudine*, ceteris paribus, confertur quam in Baptismo. Frustra tamen quis inquireret de gradu et modo.

4. Ipsa justificatio *firmius et securius* obtinetur, quia, ut aiunt Patres, baptismus sanguinis “secundis maculis non inquinatur” vel, ut aiunt quidam theologi, confert donum finalis perseverantiae, quamdam impeccabilitatem et confirmationem in bono. Hoc si referatur ad momentum separationis animae evidens est, nam perfectum martyrium completur morte, ut supra dictum est, unde si antequam mors sequatur martyr in peccatum incideret, hoc per ipsum martyrium deleretur.

Potest tamen etiam referri ad tempus quo martyrium durat usque ad momentum quo mors sequatur, idque dupliciter: primo quatenus *de jacto* in martyre peccatum moraliter impossibile est, ob ardorem intentionis qui agitat animam et languorem corporis quod iam causam mortis in se suscepit, secundo quia *de jure* ex quadam summa convenientia debetur ei, qui jacturam suae vitae pro Christo posuit, ut a divina providentia specialiter adjuvetur et a peccato praeservetur.

5. *Totalis remissio poenae*. In hoc baptismus sanguinis superat baptismum flaminis. Hunc tamen Baptismi aquae effectum martyrium supplet non prout pertinet ad gratiam sacramentalem qua talem, sed sub alia ratione, puta prout confert pleniorrem remissionem peccati sive quoad se sive quoad ejus effectum qui est poena, vel pressius prout martyrium est maximum opus poenale, ex quo convenit ut stet pro omni poena.

6. *Cultus Ecclesiae*. Sacrificia aliaque suffragia non offeruntur pro martyribus, sicut pro aliis quibuscumque defunctis etsi sanctissimis; unde vulgatum illud “Injuria est pro martyre orare”. Martyres etiam infantes ut sancti coluntur; non ita infantes mortui post Baptismum, quamvis et ipsi in coelis esse credantur. In processu Canonizationis de sola veritate martyrii inquiritur, nec causa de heroicitate virtutum instituitur sicut quoad alios sanctos. In antiqua Ecclesia poenae aliquae canonicae christianis lapsis remittebantur ad preces et commendationes martyrum (quam praxim inepte impugnavit *Tertullianus* iam Montanista in *De Pudicitia*, 22).

7. *Aureola*, praeter auream quae est communis omnibus beatis ut victoribus. “Ideo enim martyrium appellatur tam corona, quam baptisma; quia baptizat pariter et coronat” (*Pseudo-Cyprianus*, De singularitate clericorum, M.L. 4, 940).

8. *Efficacia in puerum in utero matris existentem ac cum ipsa vel in ipsa occisum*. Haec extensio privilegii, qua martyrium evadit pro parvulis medium salutis secundum quid facilius quam Baptismus, asseritur a pluribus theologis, ut *Soto*, *Toleto*, *Cajctano* (In 2-2, q. 124, a. 1) estque rationi consentanea, habetur enim in casu verum martyrium, etsi indirecte illatum.

9. *Quaedam perennitas in ratione medii privilegiati justificationis*. Probabile enim est martyrium justificasse etiam in *V.T.*, utique ex meritis et in fide passionis Christi futuri. Ratio deduci potest tum ex martyrio SS. *Innocentium* quod praecessit verba promissoria Christi, tum ex morte *Machabaeorum* aliorumque cui Patres tribuunt varios martyrii effectus (cf. *Cyprianum*, De exhortatione Martyrii, 11; *Tertullianum*, Scorpiace, 8), tum ex convenientiae rationibus enumeratis in Conci. 2, quae aequae valent pro *A.T.* Tamen plenior vis tribuenda est martyrio in *N.T.*, ut congruit perfectioni novae legis ejusque mediorum salutis; inter alia hoc est proprium *N.T.* quod martyrium, sicut etiam Baptismus, aperit januam regni coelorum. “Est ergo haec sententia, inquit *Suarez* (Disp. 29, sect. 3, η. 24), et pia et probabilis, quamvis nihil temere asserendum sit, cum antiqui nihil de hac re clare docuerint”.

RESPONSIO

Obj. 1. Si martyrium influeret ex opere operato, esset sacramentum.

Resp. Martyrium non est sacramentum quia non est signum gratiae, nec etiam est proprie loquendo causa gratiae, sicut sunt sacramenta *N.L.* ut fusius explicabitur in art. seq., Conci. 2.

Obj. 2. Efficacitas martyrii contradicit universali necessitati Baptismi, de qua in Joan. 3, 5.

Resp. Absoluta necessitas praedicata in Joan. 3, 5 constituit Baptismum unicum medium *ordinarium* salutis quin tamen excludat existentiam martyrii ut medii extraordinarii et privilegiati, quae imo ex fontibus revelationis eruitur.

Nota igitur quomodo ad invicem comparentur tria media salutis quae ex revelatione nobis proponuntur. Baptismus nempe est *ordinarium* medium salutis *ex positiva lege* inductum, sed nequit excludere efficaciam alterius medii *ordinarii ex natura rei* justificantis, i.e. contritionis, unde eam quodammodo informat, transiens in ejus votum, nec efficaciam alterius medii *extraordinarii* ex privilegio justificantis, unde ei adiungitur et transit in ejus votum ad modum conditionis.

Obj. 3. Martyrium est actus virtutis fortitudinis. Ergo nequit justificare parvulos, virtutis incapaces.

Resp. Martyrium formaliter justificat in quantum est passio seu similitudo Christi, non in quantum est actus virtutis, qui tamen in adultis requiritur in ratione dispositionis. Ceterum ipsa passio in similitudinem Christi vocari potest actus fortitudinis, non formaliter sed objective, et de ipsis parvulis dici potest quod Christum confiteantur objective, scilicet “non loquendo sed moriendo” (cf. Conci. 1, p. 215).

Ad rem S. *Thomas*: “Quidam dixerunt quod in innocentibus acceleratus est miraculose liberi arbitrii usus, ita quod etiam voluntarie martyrium passi sunt. Sed quia hoc per auctoritatem Scripturae non comprobatur, ideo melius dicendum est quod martyrii gloriam, quam in aliis propria voluntas meretur, illi parvuli occisi per Dei gratiam sunt assecuti. Nam *effusio sanguinis propter Christum vicem gerit baptismatis*. Unde sicut in pueris baptizatis per gratiam baptismalem meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam; ita et in occisis propter Christum meritum martyrii Christi operatur ad palmam martyrii consequendam” (2-2, q. 124, a. 1, ad 1; cf. Suppi., q. 96, a. 6, ad 12).

Obj. 4. *Scriptura, Patres* et S. *Thomas* efficaciam martyrii repetunt ex charitate; ergo martyrium non influit ex opere operato, sed ex opere operantis actus charitatis, vel saltem hunc actum requirit ut necessariam dispositionem. Huc faciunt:

JOAN. 15, 13 supra cit.; *1 COR. 13, 3*: “Et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest”.

AUGUSTINUS, Epist. 173, n. 6 (ubi invocatur *1 Cor. 13, 3*); *BERNARDUS, Epist. 77, 8, cit. in art. praec., p. 19S.*

S. *THOMAS, 2-2, q. 124, a. 2, ad 2* ubi ait: “Martyrium est actus charitatis ut imperantis, fortitudinis autem ut elicentis. Inde etiam est quod utramque virtutem manifestat. Quod autem sit meritorium, hoc habet ex charitate, sicut et quilibet virtutis actus. Et ideo sine charitate non valet.” *3 p., q. 66, a. 12*: “Virtus Spiritus sancti opera-

tur . . . in baptismo sanguinis per potissimum dilectionis et affectionis fervorem, secundum illud Joan, xv, 13 . . .". Ibid., ad 2: "Effusio sanguinis non habet rationem baptismi, si sit sine charitate. Ex quo patet quod baptismus sanguinis includit baptismum flaminis, et non e converso: unde ex hoc ipso probatur perfectior."

Resp. Non mirum est in his testimoniis martyrium saepe consociari charitati. Nam: 1. Semper habet sibi coniunctam charitatem consequenter seu ut eius effectum, quamvis non semper antecedenter seu ut dispositionem; imo a tali effectu quem supplet pro Baptismo aquae accipit rationem baptismi sanguinis et dicitur includere ac superare baptismum flaminis. 2. Saepe habet coniunctam charitatem etiam antecedenter et ex ea accipit rationem operis meritorii et satisfactory 3. Quamvis possit imperari ab aliis virtutibus tamen semper imperatur a charitate si haec adsit. 4. Est maximum opus quod imperari potest a charitate; est enim aptum signum maximae dilectionis et suprema conformatio cum passione Christi quae a charitate processit.

Ad singulos autem ex objectis textibus descendendo, respondetur:

Sensus *JOAN. 15, 13* est martyrium esse maximum inter exteriora signa dilectionis quae alicui dari possunt (2-2, q. 124, a. 3), non vero martyrium necessario supponere maximum actum caritatis, tum quia secus dicendum esset charitatem martyrum superare charitatem ceterorum sanctorum, etiam B. Virginis, tum quia potest aliquis etiam sine charitate imo ex corrupto motivo, puta vanagloria vel praesumptione, martyrium subire ut patet ex ipsis objectis textibus Apostoli (1 Cor. 13, 3) et Augustini.

In *1 COR. 13, 3* (et v. 1-2) caritas accipitur non in sensu determinato et specifico amoris amicitiae, sed in sensu generaliori *redae et supernaturalis intentionis* vel si placet amoris Dei qui initialiter invenitur in omni bona intentione. Sine hac igitur intentione omne opus, quantumvis mirabile vel arduum, et in specie ipsum martyrium, non prodest ad salutem.¹²

Ceterum etiam si charitas ibi accipiatur in proprio sensu *amoris amicitiae*, Apostolus quidem docet eam esse absolute necessariam ad salutem ita ut a nullo opere quamtumvis excellenti, ut martyrio, suppleri possit et nullum opus *ab ipsa separatum* salutem consequatur; sed inde non excludit alia opera valere ad salutem quatenus ad charitatem disponunt, uti fides, spes, amor initialis, attritio, vel charitatem producent, uti martyrium et ipse Baptismus. Unde verum est quod

¹²Cf. *Estium*, Comm, in h. 1.; *Hieronymum*, In Ep. ad Gal. (S, 15), l. 3 c. 5.

nihil mihi prodest si tradidero corpus meum charitatem autem non habuero, ob defectum nempe rectae intentionis et congruae dispositionis, sed multum mihi prodest si tradendo corpus meum, cum requisitis animi dispositionibus, inde charitatem habuero.¹³ *S. Thomas* (2-2, q. 124, a. 2, ad 2 cit. in obiectione) verba Apostoli interpretatur de valore meritorio martyrii qui a sola charitate procedit.

AUGUSTINUS in *Ep. 173, 6*, loquitur de defectu dispositionis in haeretico pertinaci qui martyrium subiret absque caritate, i.e. *absque unione cum Ecclesia* quae est vinculum charitatis: "Foris autem ab Ecclesia constitutus, inquit, et separatus a compage unitatis et vinculo charitatis, aeterno supplicio punireris, etiamsi pro Christi nomine vivus incendereris: hoc est enim quod ait Apostolus, 'Etsi tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest' " (M.L. 33, 755).

BERNARDUS cum in *Epist. 77, 8*, dicit martyrium *ex sola fide* vim suam habere, non accipit fidem determinate pro fide informata a charitate sed pro *fide in sensu generaliori*, quo sensu dicimus solam fidem in Christo justificare (i.e. per solam coniunctionem cum Christo unica causa salutis hominem salvari; cf. q. 69, a. 1, ad 2) sive extra sacramenta vel martyrium, per actum tamen fidei informatae a charitate, sive intra sacramenta vel martyrium (etiam sine fide informata a charitate, imo sine ulla fide subjectiva in parvulo), quae non valent justificare nisi *inquantum sunt protestationes fidei*.

In eodem sensu *Petrus Lombardus*, coetaneus Bernardi, accipit fidem, cum comparans ejus efficacitatem cum efficacitate *ipsius Baptismi* (in quo certe fides formata non requiritur) ait ex ore Hypponen-sis: "Unde Aug.: Quaeris quid sit majus, fides an aqua? non dubito quin respondeam, fides. Si ergo quod minus est sanctificare potest, nonne quod majus est, id est, fides, de qua Christus ait: 'Qui crediderit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet' " (Sent., l. 4. dist. 4, n. 5, M.L. 192, 848; verba quae hunc textum praecedunt citavimus in p. 199; cf. etiam *Innocentium III* [Denz. 413] et *S. Thomam*, q. 69, a. 1, ad 2).

5. *THOMAS*, 2-2, q. 124, a. 2, ad 2, instituens tantum comparationem *inter charitatem et fortitudinem* prout sunt principium martyrii, *obicienti* quod martyrium est *magis* actus charitatis quam fortitudinis quia "actus laudabilis ad illam virtutem *praecipue* pertinet quae ad ipsum inclinatur, et quae ab ipso manifestatur, et sine qua ipsum non valet", *respondet* martyrium esse a fortitudine ut eliciente et a charitate ut imperante, sed non dicit semper et a sola charitate martyrium

¹³Cf. *Billot*, th. 24, obiicitur secundo.

imperari ita ut, absente charitate, ab alia virtute imperari non possit; addit autem sine charitate martyrium non valere in ratione *operis meritorii*, non vero dicit ipsum non valere ut medium justificationis.

Quod ait in *q. 66, a. 12*, intelligi potest tum de charitate consequenti quae est effectus martyrii, tum de charitate antecedenti in casu quo adest, qui ceterum est casus ordinarius.

Quod dicit ibidem *ad 2*, intelligitur de charitate consequenti, ex qua martyrium accipit "*rationem baptismi*" in quantum scilicet supplet Baptismum quoad suum principalem effectum qui est caritas et gratia sanctificans.

Ceterum, quod S. Doctor sentiat martyrium justificare *ex opere operato* et absque dispositione charitatis apparet ex sequentibus. In *q. 87, a. 1, ad 2* ait quod "passio pro Christo suscepta, sicut supra dictum est, obtinet vim baptismi; et ideo purgat ab omni culpa et veniali et mortali, *nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhaerentem*"; homo autem habens *attritionem* non habet voluntatem inhaerentem peccatis.

Hoc idem dicit S. Doctor *In 4 Sent., dist. 16, q. 2, a. 2, q. 2, ad 3*; imo ibidem lectorem remittit ad alium locum eiusdem libri, i.e. *dist. 4, q. 3, a. 3, q. 3, ob. 1*, ubi expressis verbis docet martyrium *non agere ex solo opere operantis*. Hanc enim objectionem sibi proponit: "Videtur quod baptismus sanguinis non suppleat vicem baptismi aquae. Baptismus enim aquae habet efficaciam ex opere operato, baptismus autem sanguinis *solum ex opere operante*; unde sine charitate non prodest, ut dicitur 1 Corinth, xiii. Sed in pueris nihil habet efficaciam ex opere operante, quia usum liberi arbitrii non habent. Ergo in eis baptismus sanguinis non supplet vicem baptismi aquae".

Respondet autem: "Dicendum, quod baptismus sanguinis *non habet hoc tantum ex opere operante*, neque quantum ad poenam qua aliis martyrium explet: quam contingit non esse sufficientem ad satisfaciendum pro peccato; neque quantum ad devotionem justae voluntatis: quia contingit quod voluntate majori charitate informata aliquis sine martyrio non potest ab omni poena liberari, *sed hoc habet ex imitatione passionis Christi*; unde de martyribus dicitur Apocal. vii, 14: 'Laverunt stolas suas in sanguine agni'; et ideo pueri quamvis liberum arbitrium non habeant, si occidantur pro Christo, in suo sanguine baptizati salvantur" (cf. Apocryphum Comm, in *Sent, ad Hannibaldum*, l. 4, dist. 4, q. unica, a. 4, ad 3, ubi eadem verba habentur).

In *Quodlib. 4, a. 19*, S. Doctor expresse ponit quaestionem "Utrum aliquis absque perfecta charitate se possit martyrio offerre", cui affirmative respondet inquit: "Dicendum est, quod hoc opus quod est offerre se martyrio, vel etiam martyrium sufferre, potest facere non

solum caritas perfecta, sed etiam ille qui caret charitate, secundum illud Apostoli, I ad Corinth, xiii, 3: 'Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest.' Sed caritas perfecta hoc facit prompte et delectabiliter, sicut patet de Laurentio et Vincentio, qui in tormentis hilaritatem ostenderunt. Hoc autem non potest facere caritas imperfecta, vel etiam ille qui charitate caret."

Obj. 5. Martyrium non potest justificare ex opere operato; nam martyrium est opus completum in instanti mortis, in hoc autem instanti homo non est amplius in statu viae sed in statu termini (in quo nequit amplius justificari); etenim cum corruptio rei sit generatio alterius, res corrupta desinit non per ultimum sui esse sed per primum sui non esse, ut aiunt philosophi, unde compositum humanum tunc desinit (seu moritur) cum primo non est, ita ut instans mortis sit primum instans aeternitatis.

Resp. Ad hoc communiter theologi *respondent* "martyrium gratiam conferre in illo agonis Christiani instanti, in quo etsi nondum physice adsit mors, ob tamen inevitabilem mortis impendentis necessitatem, cursus vitae et martyrium *censentur moraliter consummata*: in quo instanti vel homo sic est viribus et sensibus destitutus ut amplius peccare non possit, vel a Deo sic regitur ut non peccet. Hoc autem instans licet a nobis designari non possit, sufficit quod Deo sit notum."¹⁴

Attamen haec explicatio licet *facilis et probabilis* non videtur evacuare difficultatem, tum quia supponit ad perfectam rationem martyrii sufficere quod cursus vitae sit *moraliter consummatus*, dum S. Thomas (cf. supra in Statu Quaest.) docet requiri *ipsam mortem physice secutam*, tum quia non valet ex ipsa ratione martyrii explicare effatum illud Traditionis "Martyrium secundis maculis non inquinatur" sed cogitur recurrere ad specialem assistentiam divinam.

Quapropter *melius alii* respondent martyrium efficaciam habere *in ipso instanti mortis*. Sed et hi dividuntur.

Quidam respondent martyrium influere in ipso instanti mortis, seu in ultimo instanti vitae quod sit *distinctum a primo instanti aeternitatis*. Sed hoc est contra objectam doctrinam philosophorum, rem nempe corruptam desinere in primo instanti sui non esse.

Unde melius juxta explicationem *Cajetani* (In 2-2, q. 124, a. 4, n. 7) respondetur martyrium efficaciam habere in ipso instanti mortis, quatenus hoc est simul *terminus vitae* (seu temporis martyrii) ac qua talis justificationem inducit, delens quoque quidquid mali in tempore praecedenti committi potuit, et initium aeternitatis ac qua talis jam justificatum hominem invenit. Sz *quis autem nolit admittere* quod in

¹⁴Billuart, De bapt., diss. 1, a. 6, obj. 3, Parisiis, 1904, t. 8, p. 416.

tali instanti homo mereri potest (cum sit simul initium status termini) ac renuat dicere cum Cajetano hominem mereri in eo instanti non ut est initium aeternitatis sed ut est terminus viae, poterit adhuc distinguere inter meritum martyrii et ejus efficacitatem ex opere operato, ac dicere in eo praecise instanti martyrem non mereri sed *tantum* justificari vel gratiam consequi *ex opere operato* martyrii; nec ullum in hoc esset inconveniens ex parte rationis status termini, tum quia ita in illo instanti in quo tempus meriti seu status viae terminatur nullum ponitur meritum sed tantum effectus operis operati, tum quia hic ipse effectus ponitur in eo instanti non ut est initium aeternitatis sed ut est terminus viae.

Hoc tamen inconveniens ex hac distinctione sequeretur quod ita non ipsum martyrium perfecte et simpliciter dictum (i.e. per mortem terminatum) sed tantum ejus inchoatio esset actus meritorius; quod videtur esse contra mentem Traditionis et S. Thomae (2-2, q. 124, a. 4, ad 4) qui considerant martyrium ut supremum actum meritorium quando ex caritate informatur.

ART. 18. Utrum Recte Fiat Distinctio Trium Baptismatum Fluminis, Flaminis Et Sanguinis (q. 66, a. 11 et 12; In 4 Sent., dist. 4, q. 3, a. 3; Quodl. 6, a. 4).

STATUS QUAESTIONIS

Hic articulus est *synthesis* trium articulorum praecedentium de necessitate Baptismi (art. 9), de efficacia contritionis (art. 16) et de efficacia martyrii (art. 17). Consideravimus namque Baptismum, contritionem et martyrium prout sunt causae ejusdem regenerationis effectus; nunc considerantur *sub communi et analogica ratione baptismi*, vel si placet secundum respectum quem contritio et martyrium habent ad Baptismum aquae, ex quo rationem et nomen baptismi participant.

Ex dictis in Introductione hujus tractatus, ubi de multiplici acceptione vocis baptismi et de multorum relatione vel analogia ad sacramentum Baptismi, facile apparet fundamentum *variarum enumerationum baptismorum* quae apud Patres et antiquos theologos inveniuntur. Celebriores sunt eae quas afferunt Nazianzenus et Damascenus.

Gregorius Naz. in *Orat.* 39, 17 cit. in p. 213 sq., numerat *quinque* baptismata, i.e. Moysis (in mari et nube), Joannis, Christi, sanguinis seu “baptisma . . . quod martyrio et sanguine comparatur” et poenitentiae seu “lacrimarum baptismum”.

Jo. Damascenus in *De fide orth.* 4, 9, octo recenset baptismata prae-

ter christianum baptismum, i.e. diluvii, in mari et nube, ablutionum legalium, Joannis, Christi a Joanne, poenitentiae, martyrii ac sanguinis, ignis et cruciatus inferni.

Hujus divisionis fundamentum et convenientiam ostendunt theologi medii aevi, ut *Albertus M., Bonaventura* et *S. Thomas* (cf. *In 4 Sent.*, dist. 4, q. 3, a. 3, q. 4 et 3p., q. 66, a. 11, ad 3, quorum textuum medullam referemus in *Conci.* 2).

In medio aevo, opera praesertim *Petri Lombardi*, coepit vulgari *CELEBRIS DIVISIO TRIUM BAPTISMATUM FLUMINIS, FLAMINIS ET SANGUINIS*, ex doctrina Augustini originem trahens, quae sola, utpote solidiori innixa fundamento, temporis naufragio supervixit. Hujus divisionis inquiremus *historicam evolutionem* et *intimam rationem*.

Ad sensum interim vocum quod attinet, haec nota. Sacramentum Baptismi vocatur baptismus *fluminis* ab aqua ejusque usu seu ablutione. Baptismus *flaminis* idem significat ac baptismus spiritus (flamen: flatus: spiritus) et ita vocatur tum quia consistit non in materiali actione, sicut baptismus aquae, sed in spirituali actu caritatis et contritionis, tum quia in eo justificatio non a sacramento confertur sed immediate a Spiritu S., unde etiam baptismus spiritus, vel Spiritus S., vel poenitentiae, vocatur; cum autem quandoque dicitur baptismus desiderii, vel voti, vel voluntatis, sensus non est votum sacramenti aut ejus effectum sufficere ad justificationem, sed vel ita indicatur ipse actus caritatis vel etiam ipsum votum sacramenti in actu caritatis inclusum. Baptismus *sanguinis* vocatur martyrium vel proprie ab effusione sanguinis quae saepius contingit vel a perpeffione mortis pro qua sanguis metaphorice accipitur.¹⁵

CONCLUSIO

Conclusio 1. Doctrina Trium Baptismatum Communem Habet Originem Et Evolutionem.

Probatur.

Ipsa quidem formula “baptismus fluminis, flaminis et sanguinis”, ita determinata quoad numerum, nomina, juxtapositionem et usum, originem habet a doctoribus medii aevi; ejus tamen vestigia apud Patres detegi possunt, imo ipsa formula ab Augustino descendere dici potest.

COMMUNIS NOMINIS BAPTISMI fundamentum habetur in *SCRIPTURA* in qua martyrium Christi (Mare. 10, 38) et afflictio

¹⁵“Alias rationes magis fortasse ingeniosas quam reales assignat *Bonaventura* *In 4 Sent.*, dist. 4, p. 2, a. 1, q. 3.

(Luc. 12, 50) vocantur baptismus, sicut ipsum sacramentum, ob generalem sensum vocis baptismi (i.e. ablutionis).

Apud *PATRES* vero martyrium et contritio vocantur baptismus etiam et praecipue translata voce ab ipso sacramento, ita nempe ut dicantur baptismus ex sua relatione ad sacramentum Baptismi, cuius similitudinem, efficaciam et vicem gerunt.

Martyrium, de quo abundant textus (cf. art. praec.), vocatur “baptismus”, “baptismus passionis”, “lavacrum sanguinis”, “*baptismus sanguinis*” (Cyprianus cit. in art. praec.), “secundum lavacrum” (Tertullianus), “baptismus . . . qui non acceptum repraesentat” (Tertullianus), “Baptismum aquae supplens et vicem implens” (Augustinus). Quae omnia apte compendiantur a *Cypriano* in Ep. 73, 21 cit. in art. praec., p. 213.

Quoad *contritionem* rariora sunt Patrum testimonia. *Gregorius Naz.* (cit. in Statu Quaest.) “baptismum lacrimarum” et *Damascenus* (cit. ibid.) “baptismum in poenitentia et lacrimis” eam vocant, sed loquuntur de omni contritione etiam intrasacramentali quae baptismus laboriosus vocari solet. Ipsa contritio, ut supplens Baptismi effectum, numquam vocatur formaliter baptismus nec a fortiori baptismus flaminis aut poenitentiae, *aequivalenter* tamen vocatur baptismus vel baptismus pietatis ac voluntatis ab *AMBROSIO* scribente de Valentiniano II mortuo ante Baptismum cum desiderio sacramenti: “Quod si martyres suo abluuntur sanguine, et hunc sua *pictas abluit et voluntas* . . . Non quicumque te [o Valentiniane], sed Christus, illuminavit *gratia spiritali*. Ille te *baptizavit*, quia humana tibi officia defuerunt” (*De Obitu Valentiniani*, 53. 75, M.L. 16, 1436. 1442).

QUOAD CONNUMERATIONEM ET COMPARATIONEM TRIUM BAPTISMATUM AD INVICEM, ex modo dictis et ex textibus citatis in duobus art. praec. patet apud Patres communissime et constanter duo tantum, i.e. Baptismum aquae et martyrium, citari et ad invicem comparari. *Nazianzenus* et *Damascenus* supra relati tres simul baptismos citant sed una cum aliis speciebus baptismatum nec ad invicem signanter comparant nec etiam baptismum poenitentiae accipiunt pro poenitentia extrasacramentali. *Ambrosius* nuper citatus aequivalenter trinam enumerationem profert.

AUGUSTINUS, primus inter omnes, tres baptismos directe inter se comparat ac ita ipsam essentialem formulae doctrinam quamvis non ipsam formulam tradit, inquiens: “Invenio *non tantum passionem pro nomine Christi id quod ex Baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis*” (*De bapt.* 4, 22, 29, M.L. 43, 173). S. Doctor exhibet rationem quae est ligamen duorum aliorum baptisma-

tum cum Baptismo aquae ac veluti conditio efficacitatis eorum, i.e. *votum illius*; ait enim ibidem: “Tunc [effectus Baptismi] impletur invisibiliter, cum ministerium Baptismi *non contemptus* religionis, sed articulus necessitatis excludit”.

Ad Augustinum etiam ascendit *vulgatum axioma theologorum* (*Voluntas pro jacto reputatur*). Illud S. Doctor quoad sensum proposuit, exponens verba Psal. 31, 5: “Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei”; Cassiodorus magis directe expressit in expositione ejusdem psalmi; theologi mediaevales, ut Gratianus, Bernardus, Petrus Lombardus et S. Thomas, ad praedictam brevem formulam reduxerunt ac frequenter invocant, praecipue agentes de Poenitentia.

Augustinus, In Psal. 31, enarr. 1, n. 5: “‘Dixi: Pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino . . . Et tu remisisti impietatem cordis mei’: audiens vocem confessionis in corde, antequam voce proferretur” (M.L. 36, 256).

Ibid., enarr. 2, n. 15: “‘Dixi’. Quid dixisti? ‘Pronuntiabo adversum me injustitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem cordis mei’. ‘Dixi’. Quid dixisti? Non jam pronuntiat, promittit se pronuntiaturum; et ille jam dimittit. Attendite, fratres; magna res: dixit, ‘Pronuntiabo’: non dixit, Pronuntiavi, et tu remisisti; dixit, ‘Pronuntiabo et tu remisisti’: quia eo ipso quod dixit, ‘Pronuntiabo’, ostendit quia nondum ore pronuntiaverat, sed corde pronuntiaverat. Hoc ipsum dicere ‘Pronuntiabo’, pronuntiare est: ideo ‘et tu remisisti impietatem cordis mei’. Confessio ergo mea ad os nondum venerat; dixeram enim ‘Pronuntiabo adversum me’; verumtamen Deus audivit vocem cordis mei. Vox mea in ore nondum erat, sed auris Dei jam in corde erat. ‘Tu remisisti impietatem cordis mei’; quia dixi, ‘Pronuntiabo’ (M.L. 36, 267 sq.).

Cassiodorus, In Psal. 31, 5: “‘Dixi, pronuntiabo adversum me injustitias meas Domino: et tu remisisti impietatem cordis mei’. Hic magna pietas Divinitatis ostenditur, ut ad solam promissionem devotionis subito peccata laxaverit, quando *sic judicat pium votum, quemadmodum operationis effectum*. Dixit enim in corde suo, Domino non tacere quae gesserat; et tanquam cuncta prodiderit, ita illi remissa sunt quae voluit confiteri; merito quando aliquem sola voluntas aut absolvit, aut punit. ‘Pronuntiabo’ dicit, publice fatebor, ut alios ad imitationem trahat pia fidelisque confessio. Sequitur de accusatione propria salutare remedium, quando pepercit iudex, cum sibi non parceret reus” (M.L. 70, 220 sq.).

Gratianus, Decr., pars 2, causa 33, q. 3, c. 5, supradicta verba Augustini et Cassiodori, sic refert: “Magna pietas Dei, ut ad solam promissionem peccata dimiserit . . . Nondum pronuntiat ore, et tamen Deus jam audit in corde, quia ipsum dicere quasi quoddam pronuntiare est. *Votum enim pro opere reputatur*” (M.L. 187, 1521).

Idem, ibid., c. 30: “Sicut auctoritas testatur: . . . *Voluntas remuneratur, non opus*. Voluntas autem in cordis contritione est, opus vero in oris confessione” (ibid., 1528).

Bernardus, Epist. 77, 8, cit. in art. 16, p.....: “*Voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit necessitas.*”

Petrus Lombardus, Sent., 1. 4, dist. 17, n. 1: “Unde propheta, ps. 31: ‘Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei’. Quod exponens Cassiodorus, ait, in Glossa ordinaria: Dixi, id est, deliberavi apud me quod confitebor, et tu remisisti. Magna pietas Dei, qui ad solam

promissionem peccatum dimiserit. *Votum enim pro operatione judicatur.* Item Aug.: Nondum pronuntiat, promittit se pronuntiatum, et Deus dimittit; quia hoc ipsum dicere, quoddam pronuntiare est corde. Nondum est vox in ore ut homo audiat confessionem, et Deus audit" (M.D. 192, 880).

5. *Thomas*, Suppi., q. 10, a. 2: "*Voluntas pro facto reputatur: ut in littera [Petri Lombardi, nuper cit.] dicitur*".

Saec. 12 determinata formula conficitur. *Bernardus* in Epist. 77,8 cit. in p. 198 comparat martyrium et contritionem cum Baptismo tanquam ejus vicem suppletia; *Hugo a S. Victore* in De sacr. 2, 6,7 ibid, cit. magis ad formulam accedit dum dicit aliquem posse non tantum in aqua sed etiam *in sanguine et in voluntate baptizari*.

PETRUS LOMBARDUS formulam explicite refert ac divulgat, inquiens: "*Auctoritas dicit, ideo Apostolum [Hebr. 6, 2] pluraliter dixisse fundamentum baptismatum, quia est baptismus in aqua, in sanguine, in poenitentia*" (Sent., 1. 4, dist. 4, n. 5, M.L. 192, 848; idem repetit In Ep. ad Hebr. 6, 2, ib. 440; cf. *S. Thornam*, q. 66, a. 11 Sed contra). Quae sit ista *antiquior auctoritas seu glossa, ex qua haec formula originem ducit, nescimus; Glossa quidem ordinaria, a Strabone (f 849) conscripta, ea verba non refert, quae proinde sunt quaedam posterior additio.*

Postiores theologi, ut *Alex. Halensis, Bonaventura, S. Thomas*, eandem formulam sic proponunt: baptismus aquae vel fluminis, baptismus fluminis vel poenitentiae vel Spiritus S. vel spiritus, baptismus sanguinis. Jam *S. Thomas* (In Ep. ad Hebr., c. 6, lect. 1) et *Bonaventura* (In 4 Sent., dist. 4, p. 2, a. 1, q. 1, in prologo) proponunt ipsa verba "*baptismus fluminis, fluminis et sanguinis*", quae subinde facta sunt communiora.

Conceptus *voti Baptismi*, in martyrio et contritione inclusi, magis etiam determinatur. *S. Thomas* docet martyrium et contritionem suppleri effectum Baptismi *cum voto* Baptismi (Quodl. 6, a. 4; q. 72, a. 6, ad 1) "et sic quodammodo agunt *in vi* baptismi aquae" (In 4 Sent., dist. 4, q. 3, a. 3, q. 1, ad 1; cf. In Ep. ad Hebr., c. 6, lect. 1). Quoddam tamen discrimen ponit inter votum Baptismi contentum in contritione et votum contentum in martyrio. Nam loquens de contritione ait ipsam justificare "*ex proposito baptismi*", "*secundum quod habet baptismum in voto*" et "*propter desiderium baptismi*" (q. 69, a. 1, ad 2; a. 4, ad 2; q. 68, a. 2); praeterea, agens de absoluta necessitate Baptismi docet neminem salvari nisi per martyrium vel Baptismum, Baptismum vero haberi posse in re vel in voto (q. 68, a. 2, ad 2 et corp.).

Ex quo apparet jam apud *S. Thomam* inveniri discrimen quod nunc explicitius assignatur a theologis inter votum Baptismi, se habens tantum ut conditionem efficacitatis martyrii, et votum Baptismi, se

habens ut causam efficacitatis contritionis, necnon illa formula sub qua absoluta necessitas Baptismi nunc poni solet quaeque aequivalet distinctioni triplicis baptismi, scilicet "*Baptismus esse necessarium in re vel in voto, salvo casu martyrii*".

Conclusio 2. Ratio Baptismi Soli Baptismo Aquae Proprie Et Perfecte Convenit; Martyrium Vero Et Contritio Formaliter Baptismus Dicuntur Ob Relationem Ad Baptismum Aquae, Quatenus Supplent Vicem Illius Producendo Eundem Principalem Effectum Cum Voto Baptismi Aquae.

Probatur.

Proprie loquendo Baptismus est sacramentum regenerationis per aquam in verbo. Unde alia nequeunt dici Baptismus nisi propter aliquam *relationem* ad ipsum, *vel* nempe quia sunt *signa* ipsius aut efficacitatis eius, ut diluvium dicitur baptismus quatenus ob salvationem humani generis tunc factam in arca significat effectum Baptismi qui est spiritualis salus hominis, transitus maris rubri dicitur baptismus quia figuravit effectum Baptismi qui est liberatio a servitute daemonum, ablutiones quae fiebant in lege dicuntur baptismus quia figurabant spiritualem purgationem peccatorum quae obtinetur in Baptismo; *vel* quia sunt *causa*, ita baptismus Joannis, qui fuit praeparatorius ac veluti causa dispositiva, et baptismus Christi in Jordane, qui fuit veluti causa efficiens nostri Baptismi: *vel* quia aliquo modo participant ipsam rationem Baptismi (In 4 Sent., dist. 4, q. 3, a. 3, q. 4; 3p. q. 66, a. 11, ad 3), ut *remedium naturae ac Circumcisio* in A.L., quae erant sacramenta ad eundem effectum Baptismi ordinata ac uti eius signa justificantia, in diversa tamen materia constituta, et *martyrium ac contritio* in N.L., quae sunt a Baptismo specificè distincta tum in ratione signi tum in ratione causae, ad eundem tamen effectum principalem suppletive ordinata.

EXINDE PATET QUA RATIONE MARTYRIUM ET CONTRITIO DICUNTUR ET SUNT BAPTISMUS. Nempe:

7. *Non sic dicuntur baptismus quatenus sint sacramentum sicut ipse Baptismus aquae.*

Contritio non est sacramentum quia non est signum externum nec influit ex opere operato. *Martyrium* quidem est quid externum influens ex opere operato, sed non inde sequitur ipsum esse sacramentum, ut quidam inepte putarunt.¹⁰ Sacramentum enim est *signum* institutum ad gratiam demonstrandam et conferendam; martyrium vero nec a Deo institutum est sed ab hominibus inflictum et ab homine accepta-

¹⁰Cf. apud *Gond*, Disp. 1, a. 7, §3, ob. 2.

tum, nec ad gratiam significandam ordinatur sed exprimit interiorem actum virtutis fortitudinis et gerit similitudinem mortis Christi (q. 66, a. 11, ad 2). Omne sacramentum N.L. est *vera causa gratiae*, martyrium vero est tantum conditio cui Deus adnectit ex opere operato effectum gratiae, quemadmodum sacramentis A.L. Assignari etiam solent aliae differentiae quae vel sunt accidentales vel ad duas praedictas reducuntur, scilicet martyrium non esse caeremoniam a Deo permanenter institutam, nec medium salutis ordinarium sed privilegiatum, esse commune utrique testamento, non constare rebus et verbis, non consistere in re determinata seu in determinato genere cruciatus, non conferri per ministros Christi sed diaboli.

2. *Dicuntur imprimis baptismus quia eundem effectum justificationis producant.*

Ad rem S. Thomas: “Effusio sanguinis pro Christo, et operatio interior Spiritus sancti dicuntur baptismata, inquantum efficiunt effectum baptismi aquae” (q. 66, a. 12; cf. Petrum Lombardum, Sent., l. 4, dist. 4, n. 5 et Hugonem Victorinum, De sacr., 2,6, 7 cit. in p. 198 sq).

3. *Praecipue baptismus dicuntur quia talem influxum habent vice Baptismi, imo cum voto illius.*

Ad rem S. Thomas: “Utrumque aliorum baptismatum nominatur baptismus, *inquantum supplet vicem baptismi aquae*” (q. 66, a. 11; cf. Quodlib. 6, a. 4); attamen “baptismus sanguinis et poenitentiae non valent ad regenerationem nisi ei qui habet baptismum aquae *in proposito . . . et sic quodammodo agunt in vi baptismi aquae*” (In 4 Sent., dist. 4, q. 3, a. 3, q. 4, ad 1; cf. In Joan., c. 3, lect. 1).

Hoc sensu bene intelligitur *unitas Baptismi*, quatenus nempe “alia duo baptismata includuntur in baptismo aquae” (q. 66, a. 11, ad 1), “si [Baptismus] . . . fuerit in proposito, vel contrarium non teneatur in mente, sicut patet de innocentibus, qui non erant in opposita dispositione” (In Hebr. 6, lect. 1).

Hoc sensu etiam plene intelligitur *absoluta necessitas Baptismi*, quatenus nempe “pro tanto dicitur sacramentum baptismi esse de necessitate salutis, quia non potest esse homini salus, nisi saltem in voluntate habeatur, quae apud Deum reputatur pro facto” (q. 68, a. 2, ad 3).

Ut tamen jam animadvertimus (art. 16, p. 205; art. praec., p. 219; hic in Conci, praec., p. 234 sq.), *quaedam differentia* habetur inter votum Baptismi contentum in contritione et idem votum contentum in martyrio; in contritione enim votum se habet ut causa seu ut ratio efficacitatis ipsius, in martyrio vero tantum ut conditio, sicut patet etiam ex eo quod in parvulis votum Baptismi proprie haberi

nequit; unde est quod *contritio intimius quam martyrium uniatur cum Baptismo ejusque rationem et necessitatem participet, ac recte dicatur Baptismum esse absolute necessarium in re vel in voto, excepto casu martyrii*. De utroque tamen quodammodo verificatur quod participet nomen, rationem, unitatem et necessitatem Baptismi, ut explicatum est.

Conclusio 3. Tria Baptismata Diversam Habent Necessitatem, Efficacitatem Et Perfectionem.

Probatum.

QUOAD NECESSITATEM, simpliciter praestat Baptisma aquae, quia est medium absolutae necessitatis et ex se solo sufficiens; unde dum ipsum in aliis necessario continetur ut in voto, illa nullatenus continentur in ipso, cum ei sufficiat attritio in ratione dispositionis. Unde contritio et martyrium non sunt duo media coordinata cum Baptismo sed ipsi subordinata, diversa tamen ratione, contritio nempe ut medium efficax ex natura rei, martyrium vero ut medium efficax ex privilegio positivo. *Secundum quid* tamen, praestat contritio, tum quia ipsa est causa justificationis ex natura rei, alia vero ex positiva tantum institutione, tum maxime quia alia in ipsa consummantur, non enim aliter salutem operantur in adulto nisi quatenus ex attrito faciunt contritum.

QUOAD EFFICACITATEM, distinguendum est inter modum conferendi et effectum collatum. *In modo conjerendi* praestat iterum Baptismus aquae, quia agit ut vera causa instrumentalis; sequitur martyrium, quod agit ex opere operato ad modum conditionis; ultimo venit contritio quae influit ex solo opere operantis. *Quoad ejectionem* vero, praestat martyrium quia pleniori modo quam ipse Baptismus aquae confert remissionem sive culpae sive poenae; nec obstat quod Baptismus conferat characterem et gratiam sacramentalem. nam haec compensantur in martyrio sive per praedictam plenitudinem gratiae sive per alios effectus quos supra enumeravimus. Contritio autem cedit utrisque tum quia confert gratiam ex solo opere operantis, in illis vero gratia confertur sive ex opere operato sive ex opere operantis, tum quia non aufert totum reatum peccati, tum quia praeter gratiae collationem nullum alium peculiarem habet effectum.

QUOAD PERFECTIIONEM, inferius est Baptisma aquae, cum sit actus exterioris cultus et pertineat ad virtutem religionis; nobilius est baptisma flaminis, cum sit actus interior et pertineat ad virtutem caritatis; potissimum vero est baptisma sanguinis, ut apte ostendit 5. *Thomas* ex modo excellentissimo quo in ipso operatur duplex causa nostrae justificationis, scilicet passio Christi et virtus Spiritus S. (cf. q. 66, a. 12 cit. in art. praec., p. 222).

CAPUT VII

DE PRAEPARATORIIS BAPTISMI, LE. DE BAPTISMO JOANNIS ET CIRCUMCISIONE

Cum baptismus Joannis et Circumcisio sint non solum praestantissimae inter figuras Baptismi, ut dictum est in Introductione tractatus, sed etiam quaedam *PRAEPARATORIA* ad ipsum, ut ait S. *Thomas* (q. 38, a. 1, ad 1; q. 70, prologus et a. 1, ad 2), operae pretium est ut, ad complementum tractatus, per duos articulos (art. 19 et 20) de ipsis disseramus.

S. *THOMAS* de *Circumcisione* agit in q. 70 ad calcem materiae de Baptismo, de *baptismo Joannis* vero in q. 38 in medio tractatu De Verbo Incarnato ante quaestionem de baptizatione Christi (q. 39). *Petrus Lombardus* vero ejusque commentatores de utroque agunt initio theologiae sacramentariae, de Circumcisione quidem immediate ante Baptismum (Sent., l. 4, dist. 1, n. 6-11), de baptismo Joannis vero initio materiae de Baptismo (ibid., dist. 2, n. 4-6).

ART. 19. Utrum Baptismus Joannis Fuerit “Quoddam Sacramentale Disponens Ad Baptismum Christi” Non Vero Proprie Dictum Sacramentum (3 p., q. 38; cf. In 4 Sent., dist. 2, q. 2)?

STATUS QUAESTIONIS

Est quaestio de baptismo Joannis tum in se tum praesertim *relate ad Baptismum nostrum*. Praecipue inquiritur utrum fuerit quid distinctum a nostro Baptismo et utrum esset tantum quoddam sacramentale non vero proprie dictum sacramentum.

PARS NEGATIVA

1. *QUIDAM HAERETICI, identificantes baptismum Joannis cum nostro Baptismo, docent illum fuisse sacramentum. Ita:*

Secta Lucijerianorum (a Lucifero calaritano episcopo fundata), con-

¹De baptismo Joannis confer *Dici. Thêol. Cath.*, art. Jean-Baptiste (Baptême de saint), col 646 sqq., et Bibliographiam ibidem coi. 656 citatam; *D. Buzy*, Saint Jean-Baptiste (1922), anglice translatum et auctum a *J. Barton*, The Life of St. John the Baptist (1933); *Toumely*, De bapt., q. 1, art. 5.

ira quos disputans *Hieronymus* ait: “Audi quid Scripturae doceant: Joannis baptisma non tam peccata dimisit, quam poenitentiae baptisma fuit in peccatorum remissionem, id est, in futuram remissionem, quae esset postea per sanctificationem Christi subsequenda. Scriptum est enim: . . . ‘Ego baptizo vos in aqua, ille baptizabit in spiritu’ (Matth. iii. 11). Si autem Joannes, ut confessus est ipse, non baptizavit in spiritu, consequenter neque peccata dimisit, quia nulli hominum sine Spiritu sancto peccata dimittuntur-’ (M.L. 23, 170 sq.).

Petilianus Donatista cujus sententia sic refert et impugnat *Augustinus*: “Jam vero quod *unum quidem Baptismum esse dixisti* (Ephes, iv. 5), sed tamen tribus gradibus consecratum, ipsaque tria sic personis singulis dispertitus es, ut aquam Joanni. Spiritum sanctum Domino Jesu Christo, et ignem tertium Paracleto desuper misso tribueris, quantus error sit parumper adverte. Eo quippe ductus es ut ita sentires, quia Joannes ait, ‘Ego quidem baptizo in aqua: qui autem post me venit, major me est; ipse vos baptizat in Spiritu sancto et igni’ (Matth. iii, 11). Nec considerare voluisti, non tria tribus singulatim esse coaptata, aquam Joanni, Spiritum Christo, ignem Paracleto; sed tria haec ad duos potius pertinere, unum ad Joannem, et duo caetera ad Dominum. . . Unum [Joannes] sibi tribuit, illi duo. Vides ergo quemadmodum te fefellit numerus” (Contra litteras Petiliani. 2, 75, M.L. 43, 284 sq.).

Protestantes (ut *Lutherus*, *Melanchthonius* *Calvinus* *Zwinglius*,¹ *Chemnitius*, *Vossius*) qui, ob eorum doctrinam de efficacia sacramenti ex opere operantis, ad unum revocant utrumque baptismum, cum par utriusque sit finis et virtus, scilicet fidei justificantis excitatio, ac pro tanto tenent utrumque esse sacramentum.

Doctrina Lutheri et Melanchthonii sic compendiose traditur in duabus propositionibus quas theologi tridentini discussioni subiecerunt antequam devenerint ad finalem redactionem et promulgationem canonis | infra citandi:

‘Eadem esse vim baptismi Christi et Joannis. Philippus Melanchthon in locis communibus: Nempe baptismi Joannis et Apostolorum. Joannes de passuro Christo, apostoli de passo, et resuscitato praedicant, tamen ministerium fuit idem, et effectum eundem habuit in credentibus: et quod aliqui dicunt, tantum paenitentiam significatam esse, non remissionem, est absurdum; nam praedicatio paenitentiae sine remissione est ethnica.

¹Initio tamen suae praedicationis *Lutherus* (Disputatio de baptismo legis, Joannis et Christi, a. 1520) et *Melanchthonius* (Loci communes, a. 1522, tit. De baptismo) docuerant distinctionem et superioritatem Baptismi Christi relate ad baptismum Joannis.

²Inst. christ., l. 4, c. 15, 7 et 8.

³De vera et falsa religione, cap. De baptismo.

“Baptismus Christi non evacuasse baptismum Joannis, sed ei addidisse promissionem. Lutherus lib. disputationum anno 1520. Videtur Christus baptismum Joannis non evacuasse, sed addito verbo vitae, seu promissionis perfecisse.”⁸

Plures moderni *Protestantes liberales et Rationalistae* (ut *Sabatier*) docent Christum non intendisse novum Baptismus instituere, sed tantum acceptare et continuare baptismum Joannis, quem postea primitiva Ecclesia transformavit in ritum sacramentalem Christianae initiationis (cf. art. 1, Part. Affirm.).

2. *QUIDAM THEOLOGI MEDII AEVI*, posita distinctione Baptismi Joannis a nostro Baptismo eiusque separatione a nova lege, dixerunt illum fuisse sacramentum quatenus erat signum Baptismi Christi eiusque gratiae, quamvis non esset causa remissionis peccatorum. Ita *Hugo a S. Victore* (De sacr. 2, 6, 5) et *Petrus Lombardus* (Sent., 1. 4, dist. 2, n. 5) quem sequuntur *Bonaventura* et *S. Thomas junior* in suis commentariis in Sententias.

Petrus Lombardus scribit in 1. c.: “Si vero quaeritur an sacramentum fuerit, satis potest concedi ex eo sensu quo legalia signa dicuntur sacramenta. Significabat enim baptismus Joannis rem sacram, scilicet Baptismus Christi, qui non tantum est poenitentiae, sed et remissionis peccatorum” (M.L. 192, 842).

Durandus addidit baptismum Joannis pertinuisse ad sacramenta A.L.; *S. Thomas junior* vero docet illum fuisse medium inter utramque legem, scribens In 4 Sent., dist. 2, q. 2, a. 1, q. 1: “Baptismus Joannis sacramentum erat quodammodo medium inter sacramenta veteris et novae legis, sicut dispositio ad formam media est quodammodo inter privationem et formam. Conveniebat enim quodammodo cum sacramentis veteris legis in hoc quod erat signum tantum; cum sacramentis autem legis novae in materia, et quodammodo in forma.”

Petrus Lombardus (1. c., n. 6) exaggerat effectum baptismi Joannis, proponens quamdam sententiam quam *S. Thomas* reicit ut contra communem opinionem (In 4 Sent., dist. 2, q. 2, a. 4) et ut *irrationabilem*, scribens in 3p., q. 38, a. 6: “Secundum opinionem Magistri, illi qui baptizati sunt a Joanne, nescientes Spiritum sanctum esse, ac spem ponentes in illius baptismo, postea baptizati sunt baptismo Christi; illi vero qui spem non posuerunt in baptismo Joannis, et Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum credebant, non fuerunt postea baptizati, sed impositione manuum ab apostolis super eos facta. Spiritum sanctum receperunt. Et hoc quidem verum est quantum ad primam partem, quod multis auctoritatibus confirmatur; sed quantum ad

* *Thincr*, Acta concilii Tridentini, t. 1, p. 384.

† Les religions d'autorité et la religion de l'Esprit, 1. 1, c. 3.

secundam partem est penitus irrationabile quod dicitur” (cf. reliquam partem hujus textus et in l. c. Sent.).

PARS AFFIRMATIVA

Nota Theologica Et Documenta Ecclesiae.

Cone. Trid., sess. 7, can. 1 de Bapt.: “Si quis dixerit, baptismum Joannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi: A.S.” (Denz. 857).[†]

Igitur *de fide* est baptismum Joannis non habuisse eandem efficaciam ac Baptismum Christi; hinc *theologice certum* est ipsum fuisse distinctum a Baptismo Christi, secus habuisset eandem essentialem efficaciam. *Theologice certum* est ipsum non fuisse *sacramentum N.L.*, quia secus ponerentur octo sacramenta N.L. contra can. 1 de sacr. in gen. eiusdem sessionis 7; *theologice etiam certum* videtur ipsum non fuisse ullatenus *sacramentum*, si sacramentum intelligatur proprie pro re cui ex opere operato annectitur effectus gratiae vel remissionis peccatorum, secus enim ipse non differret essentialiter a Baptismo Christi quoad efficaciam.

Scriptura Et Patres.

Ut ostendetur in Conci. 1, in Scriptura et Traditione clare indicatur baptismum Joannis distingui a Baptismo Christi secundum ritum et efficacitatem.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Baptismus Joannis Est Essentialiter Distinctus A Baptismo Christi.

Probatur. EX SCRIPTURA ET PATRIBUS.

1. Joannes exhibetur ut praecursor, qui venit parare viam Messiae per praedicationem et baptismum (*Joan. 1, 23, 31; Luc. 2, 3-6; Act. 19, 4*), et ut amicus Sponsi, qui debet minuere et locum cedere Sponso (*Joan. 3, 29 sq.*). Unde “tota doctrina et operatio Joannis praeparatoria erat ad Christum” (*a. 3*). Praeparatorium autem distinguitur ab eo cui ordinatur, sicut dispositio distinguitur a forma. Ergo opus Joannis, i.e. eius praedicatio et praecipue eius baptismus (a quo veluti proprium nomen accepit), exhibetur distinctum a praedicatione et Baptismo Christi.

I I II

[†]Quoad redactionem hujus canonis cf. *Dici. Thiol. Cath.*, art. Jean-Baptiste, coi. 654 sq.

Ad rem *TERTULLIANUS, De bapt. 10*: “Nos . . . quantula fide sumus, tantulo et intellectu possumus aestimare, divinum quidem eum baptismum fuisse, mandatu tamen, non et potestate, quod et Joannem a Domino missum legimus in hoc munus caeterum humanum conditione. Nihil enim coeleste praestabat, sed coelestibus praeministrabat, poenitentiae scilicet praepositus, quae est in hominis potestate . . . Agebatur itaque baptismus poenitentiae, quasi candidatus remissionis et sanctificationis in Christo subsequaturae” (M.L. 1, 1319 sq.).

AUGUSTINUS, De bapt. 5, 9: “Jam nunc de Baptismo Joannis videndum est quid dicatur. Baptizatos enim a Paulo eos qui jam baptismum Joannis baptizati fuissent, legimus in Actibus Apostolorum (Act. xix, 3-5); non ob aliud, nisi quia Joannis baptismus non fuit Christi Baptismus, sed Joanni a Christo concessus, qui Joannis proprie diceretur . . . Accepit autem hoc Joannes certae dispensationis gratia, non diu mansurum, sed quantum satis esset ad parandam viam Domino, cujus eum esse praecursorem oportebat” (M.L. 43, 181 sq.).

Cf. *Augustinum et Hieronymum* cit. in Parte Negativa.

2. Christus principes sacerdotum et populi interrogat de baptismo Joannis tanquam de alieno baptismo et tanquam de re praeterita. *Matth. 21, 25*: “Baptismus Joannis unde erat? e coelo, an ex hominibus?” (cf. *Marc. 11, 30*; *Luc. 20, 4*). Apostoli vero Baptismum conferebant tanquam Christi et in nomine Christi (Act. 2, 38; 8, 12. 16; 10, 48; 19, 5).

3. Baptismus Joannis exhibetur ab ipso Joanne, a Spiritu S., a Christo et ab Apostolis ut habens *diversam indolem et efficacitatem* a futuro Baptismo Christi, quatenus ille est in simplici aqua, hic vero in Spiritu S., i.e. in effectu sanctificationis.

Marc. 1, 8: “Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto” (cf. *Matth. 3, 11*; *Luc. 3, 16*).

Joan. 1, 33: “Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem et manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto”.

Act. 1, 5: “Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto”.

Act. 19, 2-5: “Dixitque ad eos: Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus sanctus est, audivimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Joannis baptismo. Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit baptismum poenitentiae populum, dicens, in eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Jesum. His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu.”

TERTULLIANUS, De bapt. 10 supra cit.

AUGUSTINUS, Enchir. 49: “Non . . . renascebantur, qui baptismo Joannis baptizabantur (Matth. iii, 13), a quo et ipse baptizatus est: sed quodam praecursorio illius ministerio qui dicebat. ‘Parate viam Domino’ (Luc. iii, 4), huic uni in quo solo renasci poterant parabantur. Hujus enim baptismus est non in aqua tantum, sicut fuit Joannis, verum etiam in Spiritu sancto” (M.L. 40, 255).

Idem, *De bapt. 5, 10, 12*: “Quaero itaque, si baptismum Joannis peccata dimittantur, quid amplius praestare potuit Baptismus Christi eis quos apostolus Paulus post baptismum Joannis Christi Baptismo voluit baptizaris . . . Quapropter quam ita credam baptizasse Joannem in aqua poenitentiae in remissionem peccatorum, ut ab eo baptizatis in spe remitterentur peccata, reipsa vero in Domini Baptismo id fieret . . . tamen ne quisque contendat etiam in baptismum Joannis dimissa esse peccata, sed aliquam ampliorem sanctificationem eis quos jussit Paulus denuo baptizari (Act. xix, 3-5), per Baptismum Christi esse collatam. non ago pugnaciter” (M.L. 43, 183).

GREGORIUS M., In Evang., hom. 7, 3: “Joannes non spiritu, sed aqua baptizat, quia, peccata solvere non valens, baptizatorum corpora per aquam lavat, sed tamen mentem per veniam non lavat. Cur ergo baptizat qui peccata per baptismum non relaxat, nisi ut, praecursionis suae ordinem servans, qui nasciturum nascendo praevenerat, baptizatum quoque Dominum baptizando praeveniret; et qui praedicando factus est praecursor Christi, baptizando etiam praecursor ejus fieret imitatione sacramenti?” (M.L. 76, 1101).

4. In nuper cit. *Act. 19, 2-5* dicitur quosdam baptismum Joannis tinctos iterum ab Apostolo in nomine Christi baptizatos esse; quod profecto utriusque Baptismi distinctionem supponit (cf. *Augustinum, De bapt. 5, 9* supra cit.).⁸

Conclusio 2. Baptismus Joannis quamvis fuerit a Deo institutus non erat tamen sacramentum, sed “quasi quoddam sacramentale disponens ad baptismum Christi” praecipue ad modum signi protestativi poenitentiae et ad eam inductivi.

Probatur.

1 PARS. BAPTISMUS JOANNIS FUIT A DEO INSTITUTUS.

Id *implicite* continetur in divina electione et missione Joannis. *Luc. 3, 2 sq.*: “Factum est verbum Domini super Joannem Zachariae filium in deserto, et venit in omnem regionem Jordanis, *praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum*”; *explicite* et directe asseritur ab ipso Baptista, *Joan. 1, 33*: “Qui misit me baptizare in aqua”, quibus verbis responsum dat Judaeis interrogantibus, *Joan. 1, 25*: “Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta?”; *acquivalenter* continetur in disputatione Domini cum Phariseis, *Matth. 21, 25. 26. 32*: “Baptismus Joannis unde erat? e coelo, an ex hominibus? At illi cogitabant inter se, dicentes: Si dixerimus: E coelo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus: Ex hominibus, timemus turbam; omnes enim habebant Joannem sicut prophetam . . . Venit . . . ad vos Joannes in via justitiae, et non credidistis ei”.

Notandum autem est cum S. *Thoma* quod “in baptismum Joannis duo

⁸Cf. apud *Tournely, De bapt., q. 1, art. 5*, quomodo *Novatores* vim textuum Scripturae eludere conentur.

possunt considerari: scilicet ipse ritus baptizandi, et effectus baptismi. Ritus quidem baptizandi non fuit ex hominibus, sed a Deo, qui familiari Spiritus sancti revelatione Joannem ad baptizandum misit. Effectus autem illius baptismi fuit ab homine, quia nihil in illo baptismo efficiebatur quod homo facere non posset. Unde non fuit a solo Deo, nisi in quantum Deus in homine operatur” (*a. 2, corp.*; cf. ad 3). Ad rem breviter et nervose *Tertullianus*: “Divinum quidem eum baptismum fuisse, mandatu tamen, non et potestate” (*De bapt. 10, M.L. 1, 1319*).

2 PARS. BAPTISMUS JOANNIS “NON ERAT PER SE SACRAMENTUM” (*a. 1, ad 1*).

“Sacramenta [enim] . . . ex vi institutionis suum habent effectum” (*a. 3, ad 3*). Baptismus vero Joannis gratiam non conferebat ex vi institutionis seu ex opere operato, ut patet ex supra dictis in Conci. I de diversa indole Baptismi Christi et Baptismi Joannis et de ratione praeparatoria istius relate ad illum.

Ad rem 5. *Thomas*: “Sicut dictum est, tota doctrina et operatio Joannis praeparatoria erat ad Christum, sicut ministri et inferioris artificis est praeparare materiam ad formam, quam inducit principalis artifex. Gratia autem conferenda erat hominibus per Christum, secundum illud Joan, i, 17: ‘Gratia et veritas per Jesum Christum facta est’. Et ideo baptismus Joannis gratiam non conferebat; sed solum ad gratiam praeparabat tripliciter. Uno quidem modo per doctrinam Joannis inducentem homines ad fidem Christi; alio modo assuefaciendo homines ad ritum baptismi Christi; tertio modo per poenitentiam praeparando homines ad suscipiendum effectum baptismi Christi” (*a. 3*).

3 PARS. BAPTISMUS JOANNIS ERAT “QUASI QUODDAM SACRAMENTALE DISPONENS AD BAPTISMUM CHRISTI” (*a. 1, ad 1*). Disposuit enim quadrupliciter:

Primo, quia dum illum in se susciperet Christus instituit vel efficaciam dedit nostro Baptismo (cf. art. 2).

Secundo, quia Joannes dum baptizaret, turbis concurrentibus Christum annuntiavit imo indigitavit (Joan. 1, 29 sqq.: “Ecce agnus Dei”), quod facilius sic factum est quam si per singulos discurrisset (cf. *Chrysostomum*, In Joan., hom. 16).

Tertio, quia suo baptismo homines assuefecit ad Baptismum Christi, ac ita plene praecursor Christi fuit, non solum nempe in sua nativitate sed etiam per ministerium et baptismum (cf. *Gregorium Ad.*, In Evang., hom. 7, 3 supra cit.).

Quarto, “ut ad poenitentiam homines inducens, homines praepararet

ad digne suscipiendum baptismum Christi. Unde . . . Beda dicit [In hom. Circumcis., circa initium], quod ‘quantum catechumenis nondum baptizatis prodest doctrina fidei, tantum profuit baptisma Joannis ante baptisma Christi;’ quia sicut ille praedicabat poenitentiam, et baptismum Christi praenuntiabat, et in cognitionem veritatis, quae mundo apparuit, attrahebat: sic ministri Ecclesiae primo erudiunt, post peccata eorum redarguunt, demum in baptismo Christi remissionem peccatorum promittunt” (*a. 1*).

NOTA. DE DISTINCTIONE BAPTISMI JOANNIS A SACRAMENTIS A.L. ET A BAPTISMO N.L.

1. Baptismus Joannis directe et per se non pertinebat ad antiquam vel novam legem, sed erat quodammodo medius inter utramque “sicut dispositio ad formam media est quodammodo inter privationem et formam” (*In 4 Sent., dist. 2, q. 2, a. 1, q. 1*). Utpote tamen disponens ad Baptismum Christi “aliqua pertinebat ad legem Christi, non autem ad legem Moysis” (*hic, a. 1, ad 7*), nam “dispositio reducitur ad genus formae ad quam disponit; et ideo baptismus Joannis reducitur ad sacramenta novae legis, sicut incompletum in genere illo” (*In 4 Sent., l. c., ad 2*).

2. Distinguitur autem tum *ab ablutionibus A.T.* (Exod. 30, 17-21; Lev. 6, 27 sq.; 11, 25-28; Num. 19, 7, 8, 21; Is. 1, 6), quia istae habebant pro immediato objecto legalem sanctificationem, ipse vero dispositionem ad perfectam sanctificationem seu motum interioris poenitentiae quamvis non ipsam sanctificationem (*a. 1, ad 3; q. 39, a. 2, ad 2*), tum *a baptismo proselytorum* cui subiciebatur omnis paganus qui Synagogae aggregabatur quique significabat tantum hanc aggregationem et promissionem servandi legem, tum *a Circumcisione* quae erat sacramentum spiritualis regenerationis (*a. 3, ad 3*).

3. *A Baptismo N.L.* autem distinguitur:

Primo, ex parte essentiae, tum *metaphysicae*, nam non erat sacramentum seu signum et causa gratiae, tum *physicae*, nam quamvis haberet eandem materiam, tamen non habebat formam determinatam vel saltem non eandem formam ac Baptismus, quia cum esset praeparatorius et praenuntiativus non poterat conferri nisi in nomine Christi venturi (*a. 6, ad 5*). *Adagistcr Sententiarum* (l.c.) ejusque commentatores (cf. S. Thomam in Comm., l.c., q. 2, et ad 1) docent formam illius baptismi sic fere sonasse “Ego te baptizo in nomine Christi venturi”; cui sententiae favere videntur S. *Thomas* (*hic a. 6, ad 5*).

* Cf. *Lagrange*, Évangile selon Saint Marc., p. 5; *Josephum Flavium*, Ant. Jud. 18, S. 2.

Beda (In Act. 19, 4) et *Hieronymus* (In Joelem, 2, 28), qui videntur in hunc sensum exponere textum Act. 19, 4 sq. supra cit.

Secundo, ex parte finis, quia proxime et directe ordinabatur non ad ipsam sanctificationem sed ad poenitentiam quae est dispositio illius.

Tertio, ex parte subjecti, quia non erat stricte necessarius sed potius liberae optionis (a. 2, ad 3; In 4 Sent., dist. 2, q. 2, a. 3, q. 2), nec erat universaliter omnibus oblatum sed solis adultis (parvulis enim baptismus poenitentiae non convenit) et quidem judaeis illius temporis quod institutionem sacramenti Baptismi praecessit; conferre enim Gentibus viam salutis soli Christo reservatur qui est expectatio Gentium (a. 4, ad 3; cf. a. 5, ad 1. 2. 3).

Ex quo sequitur usum baptismi Joannis licitum fuisse usque ad tempus quo Joannes, in carcerem missus, cessavit Christum publice manifestare (a. 5, ad 2), ut innuitur in Joan. 3, 23 sq., nec ex his quae narrantur in Act. 18, 25 et 19, 1-7 sequitur illum baptismum posterius a discipulis Joannis administratum esse. Immerito inde quidam haeretici, ut *Joannitae* (cf. Recogn. Clement. 1, 54, M.G. 1, 1237 sq.), *Hemerobaptistae* (cf. Epiphanius, Haeres. 107) et *Mandeitae* (cf. Diet. de la Bible, Vigoureux, 1, 1435) baptismum Joannis retinuerunt.

Quarto, ex parte causae efficientis sive institutionis, nam baptismus Joannis fuit immediate institutus non a Christo sed a Spiritu S., sive applicationis, nam cum non esset causa gratiae, non instrumentaliter sed principaliter a Joanne applicabatur, et quidem tantum a Joanne, unde ab ipso nomen accepit (baptisma Joannis) et ipsi nomen dedit (Joannes Baptista).

Ad rem S. *Thomas*: “Per baptismum novae legis homines interius per Spiritum sanctum baptizantur; quod facit solus Deus. Per baptismum autem Joannis solum corpus mundabatur aqua. Unde dicitur Matth. iii, 11: ‘Ego baptizo vos in aqua; ille vos baptizabit in Spiritu sancto.’ Et ideo baptismus Joannis denominatur ab ipso, quia scilicet nihil in eo agebatur quod ipse non ageret: baptismus autem novae legis non denominatur a ministro, qui principalem baptismi effectum non agit, scilicet interiorem emundationem” (a. 2, ad 1).

RESPONSIO

Obj. 1. Sicut in Act. 2, 38 dicitur de Baptismo Christi: “Poenitentiam . . . agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum” ita in Luc. 3, 3 dicitur de Joanne: “Venit . . . praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum”. Ergo ambo eandem rationem et efficaciam habent.

Resp. Ipse Lucas in v. 16 (cf. Matth. 3, 11; Mare. 1,7) discrimen

inter utrumque Baptismum assignat, inquit unum esse in aqua alium vero in Spiritu S.; unde sequitur non eodem modo utrumque ad poenitentiam referri, sed unum dispositive alium effective (cf. a. 3, ad 1 et 2).

Hoc discrimen dupliciter a Scriptura inculcatur: primo ex eo quod soli Baptismo Christi tribuitur salus et regeneratio spiritualis (Joan. 3, 5; Eph. 5, 26; Tit. 3, 5), secundo ex eo quod solus baptismus Joannis vocatur baptismus poenitentiae (Mare. 1,4; Luc. 3, 2 sq.) per quod innuitur Baptismum Christi vim salutarem habere ex seipso, quamvis poenitentia praerequiratur ut dispositio, baptismum vero Joannis eam habuisse non ex se sed ex ipsa poenitentia seu opere operantis.

Obj. 2. Quidam Patres efficaciam in remissionem peccatorum baptismi Joannis tribuere videntur. Ita *Tertullianus, De bapt. 4*: “Nec quidquam refert inter eos quos Joannes in Jordane, et quos Petrus in Tiberi tinxit” (M.L. 1, 1311 sq.); *Optatus Mil., De schism. Donat. 5, 5*: “Ante praecepta, baptisma Joannis, cum esset imperfectum, pro perfecto judicatum est” (M.L. 11, 1055); *Augustinus, De bapt. 5, 10, 12* cit. in Conci. 1, p. 243.

Resp. *Tertullianus* docet tantum in utroque Baptismo eandem fuisse materiam, seu non referre utrum quis baptizetur in mari vel in stagno, in flumine vel in fonte, in Jordane (sicut baptizati a Joanne) vel in Tiberi (sicut baptizati a Petro); dummodo enim sit vera aqua, valide quis baptizatur.

Optatus docet quod qui receperunt baptismum Joannis post institutionem sacramenti Christi debuerunt iterum baptizari juxta Act. 2, 1-5, non vero qui illum receperunt antea, quia hi lege non tenebantur, ac pro tanto baptisma Joannis, quod de se erat vacuum et imperfectum, computatum est illis ad salutem (non quia ipso facto justificabantur, sed quia ad susceptionem Baptismi Christi non tenebantur). “Ex ea die, inquit, oportuit fieri quod mandatum est [Matth. 28, 19]: ante tempus noluit emendare quod operatum est. ne licentiam rebaptizandi daret; quamvis alterum fuerit baptisma Joannis, et alterum sit Christi. Baptisma Joannis ante legem pro pleno voluit esse, quod non erat plenum . . . baptizatis a Joanne regnum coelorum . . . denegare non potuit” (M.L. 11, 1054 sq.).

Augustinus tum in objecto loco tum in Enchir. 49 cit. in Conci. 1, *ex propria sententia* docet ineffaciam baptismi Joannis; in textu objecto tantum addit se contra aliter sentientem nolle pugnaciter agere.

Quaedam alia Patrum testimonia (uti *Cyrilli Hier.*, Catech. 3, 7; 20, 6; *Basilii et Chrysologij*, quae ad probandam efficaciam baptismi

Joannis afferuntur, non veram difficultatem pariunt si attendatur illuni habuisse efficaciam, non tamen ex se, sed ex interiori poenitentia quam significabat et ad quam inducebat.

ART. 20. Utrum Circumcisio Fuerit "Praeparatoria Ad Baptismum, Et Praefigurativa Ipsius", Praecipue In Ratione Primi Sacramenti Antiquae Legis (p. 70).

STATUS QUAESTIONIS

1. *De remedio naturae*, quod in statu legis naturae Circumcisionem praecessit, vix quidquam addi potest iis quae diximus in superiori tractatu (art. 14, Stat. Quaest., et art. 40). Ceterum quaecumque hic dicuntur de Circumcisione relate ad Baptismum, valent similiter de remedio naturae quod fuit, sicut Circumcisio et Baptismus, signaculum fidei et sacramentum regenerationis.

2. *Circumcisio* (latina vox a "circum-caedere"), graece *πριτομη* (a *πριτομή*; idem significans), hebraice *mulah* (sic in Scriptura; cf. Exod. 4, 26) vel *milah* (juxta formam recentem, i.e. incisio), arabice *tohara* (purificatio), est amputatio praeputii seu extremae pelliculae membri virilis.

"Apud nonnullas tribus tamen, etsi raro, et feminis infligebatur similis operatio, dicta *clitoridectomy*. Dum autem ludaei, praecipue in dispersione inter paganos 'incircumcisos' viventes, volebant despectam nationalitatem suam abscondere in thermis vel palestris, attrahebant pellem, variis adhibitis mediis, ita ut iterum glans virgae tegeretur. Quae operatio vocabatur *ὀησασίζο'*, atque ad eam alludit Apostolus in 1 Cor. VII, 18."¹⁰

3. 5. *THOMAS* in q. 70 per quattuor articulos agit de indole Circumcisionis ejusque relatione ad Baptismum (a. 1), de ejus institutione (a. 2), de ejus ritu (a. 3), de ejus efficacia (a. 4). Quae omnia breviter expendemus in quattuor conclusionibus. Quae autem referuntur ad Partem Affirm, et Negat, hujus articuli, allata sunt in superiori tractatu, art. 14, ubi discussa est praecipua quaestio theologica de indole sacramentali Circumcisionis.

CONCLUSIO

Conclusio I. Circumcisio Erat Caeremonia A.L. A Deo Instituta In Signum Spiritualis Foederis Et Aggregationis Populo Salutis.

"*I.-M. Vosti*, Comm, in S. Theol. S. Thomae, q. 37, a. 1, Romae, 1940, p. 157

Probatur.

Praenotandum est Circumcisionem non fuisse exclusive observatam apud populum hebraicum; invenitur enim apud omnes fere populos circumstantes, ut testatur *Jeremias 9, 25 sq.*: "Ecce dies veniunt, dicit Dominus, et visitabo super omnem qui circumcisum habet praeputium, super *Aegyptum*, et super *Juda*, et super *Edom*, et super filios *Ammon*, et super *Moab*, et super omnes qui attonsi sunt in comam, *habitantes indeserto*: quia omnes gentes habent praeputium, omnis autem domus *Israel* incircumcisi sunt corde." Soli *Philisthaei* dicuntur incircumcisi. *I Reg. 31, 4*: "Dixitque Saul ad armigerum suum: Evagina gladium tuum, et percute me, ne forte veniant incircumcisi isti, et interficiant me illudentes mihi" (cf. *ibid.*, 17, 26. 36; 18, 25-27; 2 Reg. 1, 20).

Nec dici potest Circumcisionem ex populo hebraico ad alios derivasse aut tempore Abrahami incoepisse, quinimmo, ex communi sententia eruditorum, multo prius in usu erat, v.g. apud Aegyptios, eiusque vestigia tam remote et universaliter apud dissitas gentes inveniuntur ut dici possit eam ex primis humanitatis aevis descendere.

Disputant autem eruditi de finalitate talis observantiae apud praedictos populos; quamvis autem quandoque *rationes physiologicae et hygienicae* in eius usum et conservationem influere potuerint (ut de Circumcisione apud Aegyptios testatur *Herodotus*, Hist. 2, 36. 37. 104) tamen generatim Circumcisio habuit indolem *ritus socialis et religiosi*, vel quatenus esset quoddam aequivalens et abbreviatum sacrificium, quo reali occisioni hominis substituebatur abscissio solius praeputii (ita quidam eruditi, ut *Fr. Jeremias*),TM vel melius quatenus esset signum initiationis vitae socialis et aggregationis communitati religiosae eiusque divinitati (ita generatim eruditi).¹²

Quidquid sit de indole Circumcisionis apud alios populos de eiusque origine et relatione cum Circumcisione Hebraeorum, **ISTIUS DIVINA ORIGO ET RELIGIOSA INDOLES MANIFESTE APPARET ET CLARE DESCRIBITUR IN SCRIPTURA.**

Praeceptum Circumcisionis primo impositum est *Abramo* per revelationem Dei dicentis: "Et statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis, foedere sempiterno ... Hoc est pactum meum quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te: Circumcidetur ex vobis omne masculinum; et circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit in signum foederis inter me et

¹⁰ Cf. *Chantepie de la Saussaye*, Manuel d'histoire des religions, tr. franç., Paris, 1904, p. 184.

¹² Cf. *P.-J. Lagrange*, Études sur les religions sémitiques, 2 cd., Paris, 1905, p. 243-246; *Did. Apolog. de la Foi Cath.*, art. Circoncision; *Did. Thiol. Cath.*, art. Circoncision; *Diet. de la Bible* (Vigouroux), art. Circoncision.

vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris; tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur, et quicumque non fuerit de stirpe vestra. Eritque pactum meum in carne vestra in foedus aeternum. Masculus, cujus praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo; quia pactum meum irritum fecit" (*Gen. 17, 7. 10-14*).

Continuo *Abraham*, cum esset 99 annorum circumcidit seipsum, filium *Ismaelem* et omnes famulos suos (*Gen. 17, 23-27*); subsequenti anno, nato *Isaac*, "circumcidit eum octavo die, sicut praeceperat ei Deus" (*ib. 21, 4*). *Sephora, uxor Moysis*, admonita a Deo, filium suum circumcidit (*Exod. 4, 24-27*). "Omnis populus, qui egressus est de Aegypto generis masculini, universi bellatores viri, mortui sunt in deserto per longissimos viae circuitus, qui omnes circumcisi erant; populus autem qui natus est in deserto, per quadraginta annos itineris latissimae solitudinis, incircumciscus fuit; donec consumerentur qui non audierant vocem Domini, et quibus ante juraverat ut non ostenderet eis terram lacte et mele manantem. Horum filii in locum successerunt patrum, et *circumcisi sunt a Josue*, quia sicut nati fuerant, in praeputio erant, nec eos in via aliquis circumciderat" (*Jos. 5, 4-7*). *Interleges Levitici* Circumcisio praescribitur (*12, 3*) ac inde ab ingressu populi in terra promissionis rigorose observata est. Immediate antequam per N.T. abrogaretur, lex Circumcisionis observata est in *Joanne Baptista* (*Luc. 1, 59*) et impleta est in ipso *Christo* (*2, 21*) qui venerat legem consummare.

Post Baptismi institutionem Circumcisio tolerata est ad tempus in Ecclesia pro Judaeis conversis (ipse Paulus *Timotheum* circumcidit propter Judaeos, *Act. 16, 3*); in usu mansit in primis saeculis apud quasdam sectas haereticas iudaizantes, ut *Ebionitas et Elkasaitas*; saec. 12 adhibita est a *Passaginis* seu Circumcisis; adhuc hodie observatur in ecclesia haeretica *coptica*; constanter retenta est a *Judaeis* necnon a *Mahometans* quibus per Arabes ab *Ismaele*, istorum patre, transmissa est.

Circumcisio igitur fuit *ex divina institutione* (*Gen. 17, 23-27*), divinum *praeceptum* (*Lev. 12, 3*), *signum* pacti et promissionum divinarum (*Gen., ibid.*), *signaculum fidei* (*Rom. 4, 11*: "Signum accepit circumcisionis signaculum justitiae fidei"), *medium aggregationis* populo salutis (*Gen. 17, 14* supra cit.; *Exod. 19, 5 sq.*: "Si . . . custodieritis pactum meum . . . eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta"), *signum distinctionis* et separationis a *Philisthaeis* qui erant incircumcisi (*Jud. 14, 3; 15, 18; 1 Reg. 14, 6* et aliis locis supra cit.

"Cf. *Did. Thiol. Cath.*, art. Passagiens; *Migne*, P.L., 202, 775-792.

ex eodem libro), *sacra caeremonia* (*Gen. 26, 5*: "Ceremonias legesque servaverit"), essentialis *conditio praerequisita* ad celebrandam seu manducandam Pascham (*Exod. 12, 48*: "Si quis autem circumciscus non fuerit, non vescetur ex eo"), *symbolum* quod assumitur a Prophetis ad significandam interiorum animi unionem cum Deo (*circumcisionem cordis*; cf. *Lev. 16, 41; Deut. 10, 16; 30, 6; Jerem. 6, 10; 9, 26; Ezech. 44, 7. 9; Act. 7, 51; Rom. 2, 28 sq.*).

Conclusio 2. Circumcisio Erat Etiam Caeremonia Instituta In Deletionem Peccati Originalis Atque Primum Sacramentum A.L. Correspondens Baptismo N.L. (a. 4).

Probatum Est contra quosdam theologos in superiori tractatu, art. 14, nec quidquam addendum manet.

Conclusio 3. Circumcisio Erat "Praeparatoria Ad Baptismum, Et Praefigurativa Ipsius" (a. 1).

Probatum.

Sicut totum A.T. globatim sumptum erat figura et praeparatio X.T., 'omnia [enim] in figura contingebant illis' (1 Cor. 10, 11), ita pars caeremonialis illius erat figura et praeparatio rituum istius. Inter ritus autem A.T. Circumcisio Baptismo corresponde! secundum omnes proprietates et notas quas ei assignavimus in Conci. 1 et 2, ut patet discurrenti per singulas, maxime vero *secundum notam signaculi fidei et sacramenti*, ut apte sic exponit S. *Thomas*:

"Baptismus dicitur sacramentum fidei, in quantum scilicet in baptismo fit quaedam fidei professio, et per baptismum aggregatur homo congregationi fidelium. Eadem autem est fides nostra, et antiquorum patrum, secundum illud Apostoli [2 Cor. 4, 13]: 'Habentes eundem spiritum fidei, credimus'. Circumcisio autem erat quaedam protestatio fidei; unde dicitur Rom. iv, 11, quod 'Abraham accepit circumcisionem, tanquam signaculum fidei'; unde et per circumcisionem antiqui aggregabantur collegio fidelium. Unde manifestum est quod circumcisio fuit praeparatoria ad baptismum, et praefigurativa ipsius, secundum quod antiquis patribus omnia in figuram futuri contingebant, ut dicitur I Corinth, x, sicut et fides eorum erat de futuro" (a. 1).

Nec valet obicere ritum Circumcisionis non habuisse similitudinem cum ritu Baptismi, omnem autem figuram importare aliquam similitudinem cum figurato. *Nam*:

Primo, non oportet quod figura exprimat omnem similitudinem cum figurato; Circumcisio autem quamvis non esset similis Baptismo quan-

tum ad ritum ablutionis, ac ita esset minus expressiva quam aliae figurae Baptismi, ut columna nubis, transitus maris rubri et baptismus Joannis, tamen “habebat similitudinem cum baptismo, *quantum ad spiritualem effectum baptismi*; nam sicut per circumcisionem auferebatur quaedam carnalis pellicula, ita per baptismum homo expoliatur a carnali conversatione” (a. 1, ad 7).

Secundo, etiam attento exteriori ritu Circumcisio erat similis Baptismo secundum genericam rationem signi externi, caeremonialis et praesertim sacramentalis, et ita cum esset figura sacramentalis seu “*sacramentum praeparatorium ad baptismum*” (a. 7, ad 2) simpliciter *superabat* omnes alias figuras, nominatim columnam nubis ac transitum maris rubri, quae non erant signum professionis fidei, necnon baptismum Joannis qui, quamvis induceret ad poenitentiam et ad fidem Christi, non erat proprie signum protestativum fidei nec sacramentum (fl. 1, ad 2 et 3).

Conclusio 4. Circumcisio Convenienter Instituta Est, Quantum Ad Tempus, Subjectum Et Ritum (a. 2 et 3).

Probatur.

1. *QUANTUM AD TEMPUS. Conveniens fuit eam instituere tempore Abrahae.*

Non enim necesse fuit eam instituere *tempore praecedenti*. Nam “immediate post peccatum primi parentis, propter doctrinam ipsius Adae, qui plene instructus fuerat de divinis, adhuc fides et ratio naturalis intantum vigeat in homine, quod non oportebat determinari hominibus aliqua signa fidei et salutis; sed unusquisque pro suo libito fidem suam aliquibus signis protestabatur. Sed circa tempus Abrahae diminuta erat fides, plurimis ad idololatriam declinantibus: obscurata etiam erat ratio naturalis per augmentum carnalis concupiscentiae usque ad peccatum contra naturam. Et ideo convenienter tunc, et non ante, fuit instituta circumcisio ad profitendum fidem, et ad minuendum carnalem concupiscentiam” (a. 2, ad 1).

Nec fuit conveniens expectare *tempus proclamationis legis per Moysen*. Nam “legalis observantia tradi non debuit nisi populo jam congregato, quia lex ordinatur ad bonum publicum . . . Populus autem fidelium congregandus erat aliquo signo sensibili, quod est necessarium ad hoc quod homines in quacumque religione adunentur, sicut Augustinus dicit contra Faustum [19, 11]. Et ideo oportuit prius institui circumcisionem quam lex daretur. Illi autem patres qui fuerunt ante legem, familias suas instruxerunt de rebus divinis per modum paternae admonitionis” (a. 2, ad 2).

2. *QUANTUM AD SUBJECTUM. Conveniens juit Circumcisionem instituere:*

Pro solo populo hebraico, nam “baptismus in se continet perfectionem salutis, ad quam Deus omnes homines vocat, secundum illud I Timoth. ii, 3: ‘Qui vult omnes homines salvos fieri’; et ideo baptismus omnibus populis proponitur. Circumcisio autem non continebat perfectionem salutis, sed figurabat ipsam ut fiendam per Christum, qui erat ex Judaeorum populo nasciturus, et ideo illi soli populo data est circumcisio” (a. 2, ad 3).

Pro solis masculis, nam “circumcisio instituta est ut signum fidei Abrahae, qui credidit se patrem futurum Christi sibi repromissi: et ideo convenienter solis maribus competebat. Peccatum etiam originale, contra quod specialiter circumcisio ordinabatur, a patre trahitur, non a matre, ut in secunda parte dictum est (1-2, quaest. Ixxxi, art. 5 in corp, et ad 2). Sed baptismus continet virtutem Christi, qui est universalis causa salutis omnium, et remissionis omnium peccatorum” (g. 2, ad 4).

3. *QUANTUM AD RITUM. Conveniens juit Circumcisionem jieri:*

In membro generationis (potius quam in capite, in quo tamen magis apparet vis cognoscitiva quae est subjectum fidei) “*primo* quidem quia signum erat fidei qua Abraham credidit Christum ex suo semine nasciturum; *secundo* quia erat in remedium peccati originalis, quod per actum generationis traducitur; *tertio* quia ordinabatur ad diminutionem carnalis concupiscentiae, quae praecipue in membris illis viget, propter abundantiam delectationis venereorum” (g. 3, ad 7).

Dices. “Sacramenta maximam honestatem in se habere debent. Sed membra generationis videntur esse turpia et verecunda. Ergo non decuit ut in illo membro determinate aliquod sacramentum daretur” {*In 4 Sent., dist. 1, q. 2, a. 3, q. 2, obj. 2*).

Resp. “Membrum generationis, quod de se nobile erat, propter concupiscentiam, quae praecipue in parte illa viget, ignobile redditum est: et ideo oportebat quod in illo membro praecipue medicina opponeretur: quia ‘quae inhonesta sunt nostra, abundantiosem honestatem habent, ut dicitur I Corinth, xii, 23’ ” (ibidem, ad 2”).

In octavo die a nativitate. Nam “octavus dies determinabatur circumcisioni tum propter mysterium, quia in octava aetate, quae erit aetas resurgentium, quasi in octavo die perficietur per Christum spiritalis circumcisio, quando auferet ab electis non solum culpam, sed etiam omnem poenalitatem; tum etiam propter teneritudinem infantis ante octavum diem . . . Erat autem octavus dies de necessitate praeccepti, ita scilicet quod octavum diem praetermittentes peccabant, eti-

amsi esset sabbatum . . . Non tamen erat de necessitate sacramenti, quia si aliqui omittebant octavum diem, postea poterant circumcidi. Quidam etiam dicunt quod propter periculum imminens mortis poterat octavus dies praeveniri. Sed hoc nec ex auctoritate Scripturae, nec ex consuetudine Judaeorum haberi potest. Unde melius dicendum est, sicut etiam Hugo de S. Victore dicit [De sacr. 1, 12, 2], quod octavus dies nulla necessitate praeveniebatur” (c. 5, *ad 3*).

Ex his quae in hoc tractatu disputavimus luculenter apparet Baptismum esse sub omni consideratione fundamentum omnium sacramentorum ac veluti *SACRAMENTUM CHRISTIANITATIS* per excellentiam. Per Baptismum enim eiusque effectus homo Christo coniungitur et Christianus evadit; per *gratiam* quidem baptismalem fit membrum Christi *Capitis*, per *characterem* baptismalem fit particeps potestatis Christi *Sacerdotis*, per ipsum *sacramentum exterius* valide susceptum fit civis Christi *Regis* seu externae illi societati aggregatur extra quam nulla salus.

“Quae omnia ob eam praecipue causam docenda esse pastores meminere, ut fideles in hac cura et cogitatione perpetuo versentur, ut in iis, quae sancte et religiose sponderunt, quum baptismo initiati sunt, fidem servant, atque eam vitam instituant, quae sanctissimae Christiani nominis professioni respondeat” (*Catech. Cone. Trid.*, p. 2, c. 2, q. 74).

DE CONFIRMATIONE

INTRODUCTIO

Inter sacramenta N.L. *secundum* locum tenet Confirmatio, ordine non dignitatis aut necessitatis sed naturae. Sicut enim naturali generationi subsequitur vitae augmentum et perfectio, ita spiritualis regeneratio per Baptismum collata confirmatur et perficitur per novum sacramentum antequam consummetur in Eucharistia quae est finis et plenitudo vitae Christianae.

Tria haec sacramenta, *Baptismus, Confirmatio et Eucharistia*, tam intime ad invicem connectuntur ut antiquitus, in ordinariis saltem adjunctis, simul traderentur (quod etiam nunc servatur in Baptismo adultorum, juxta Rituale, tit. 2, c. 4, n. 52), imo Baptismus et Confirmatio ad modum unius ejusdemque ritus administrarentur, propter quod interdum Patres videntur de Confirmatione silere ac tantum Eucharistiae susceptionem una cum Baptismo memorare.

Aptissime igitur hoc sacramentum inde ab antiquo tempore *perfectio vel confirmatio* nuncupatur et a theologis *Baptismi complementum* concinne definitur.

Exinde enim omnis inter gemina sacramenta relatio et omne discrimen desumitur. Quod sic perbelle prosequitur *Pseudo-Melchides* Papa in epistola ad episcopos Hispaniae: “Spiritus sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte pulchritudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum praestat ad gratiam, quia in hoc mundo tota aetate victuris inter invisibiles hostes et pericula gradiendum est, in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam. In baptismo abluimur, post baptismum roboramur, at si continuo transitoris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt confirmationis auxilia. Re-

¹Quae citatur a *Catech. Cone. Trid.*, p. 2, c. 3, q. 5 et 5. *Thonia*, q. 72, a. 1.

generatio per se salvat mox in pace beati saeculi recipiendos, confirmatio autem armat et instruit ad agones mundi hujus et praelia reservandos” (M.L. 130, 241).

Exinde etiam fluit palamque menti obicitur *excellencia, dignitas* et *utilitas* hujus sacramenti. Est namque sacramentum plenitudinis, quo sensu peculiariter etiam vocatur sacramentum Spiritus S. Unde praefatus *Pseudo-Melchides* interrogantibus quodnam sit majus sacramentum, Baptismus an Confirmatio, respondet: “Scitote utrumque magnum esse sacramentum. Et sicut unum a majoribus fit, id est, a summis pontificibus, quod a minoribus perfici non potest, ita et majori veneratione venerandum et tenendum est” (ibid.). Quae verba sic commentatur *Magister Sententiarum*: “Ecce majus dicit sacramentum Confirmationis; sed forte non ob majorem virtutem et utilitatem quam conferat, sed quia a dignioribus datur, et in digniore parte corporis fit, scilicet in fronte; vel forte quia majus augmentum virtutum praestat, licet Baptismus, plus ad remissionem valeat. Quod videtur innuere Rabanus dicens, in unctione Baptismi Spiritum sanctum descendere ad habitationem Deo consecrandam. In hac vero, ejusdem septiformem gratiam, cum omni plenitudine sanctitatis et virtutis venire in hominem” (Sent., dist. 7, n. 2, M.L. 192, 855).

I. OBJECTUM TRACTATUS

Definitio Nominalis?

Apud sacros scriptores variis nominibus hoc sacramentum designatur. Ratione *materiae* dicitur *manuum impositio* (*χαροθωλα* vel «πι&sigma Χ&rhoTM, juxta Act. 8, 17; 19, 6; Hebr. 6, 2), non secus ac sacramenta Poenitentiae et Ordinis; necnon *chrisma* (*χρίσμα* vel *μύρον*, juxta 2 Cor. 1, 21); usitatiores expressiones apud Patres sunt: sacramentum chris-matis et unctionis, unguenti mysterium, chrisma spiritualis unguenti, chrisma sanctum, chrisma salutis, frontis chris-matio. Ratione *jininae* dicitur *sigillum* seu signaculum (*σφραγι*); hoc enim verbum continetur in utraque forma latina et graeca. Ratione primi effectus seu *characteris* vocatur eodem modo (signaculum, *σφραγι*), non secus ac Baptismus. Ratione principalis effectus seu *gratiae* dicitur perfectio, consummatio et Confirmatio (*τλωσι*, *ββλωσκ*).

UTRAQUE VOX BEBAIΩΣΙΣ ET CONFIRMATIO EST ANTI-QUISSIMI USUS. Ejus origo quaeritur in verbis Apostoli, 2 Cor. 1,21: “Qui autem *confirmat* nos (*ὁ δι ββλων ημα*) vobiscum in Christo et qui unxit nos (*καί χρίσα ημα*), Deus.”

*Cf. *Vitasse*, De Confirmatione, circa initium (Migne, Theol. Curs., t. 21, col. 547); *Tournely*, De Confirm., q. 1, a. 1; *Jos. Vicecomes*, De antiquis Confirm. ritibus 1 1 c 2 et 3; *M. Jugie*, Theologia Orientalium, t. 3, c. 3, a. 1.

Vox *graeca* adhibetur jam in Const. Apost. 3, 17 “*β&φωσκ πβ ορολογία?*” (Confirmatio confessionis, seu Baptismi). Vox *latina* inde a saec. 5 in frequenti usu invenitur, v.g. apud Ambrosium (De myst. 7, 42), Cone. Arausic. I (a. 441), Cone. Arelat. III, *Leonem M.* (Ep. 79), Gregorium M. (Sacramentarium), *Isidorum Hisp.* (qui lib. 2 de officiis eccl. inscribit: De manuum impositione, vel confirmatione). Saec. 8 *Beda* in Comm. in Psal. 26 ait quod “illa unctio quae per manuum impositionem ab Episcopis . . . vulgo confirmatio dicitur” (M.L. 93. 614). Idem repetit saec. 12 *Hugo a S. Victore* (De sacr. 2, 7, 2). Post *Petrum Lombardum* hoc nomen evasit proprium ac fere exclusivum apud theologos et in documentis Ecclesiae; eo utuntur Cone. Flor., Cone. Trid. et *Catechismus Cone. Trid.* qui ipsius sensum contra falsam Protestantum interpretationem sic explicat:

“Neque enim, ut quidam non minus imperite quam impie finxerunt, confirmationis vocabulum ab eo deducitur, quod olim, qui infantes baptizati erant, quum iam adulti essent, ad episcopum adducebantur, ut fidem Christianam, quam in baptismo susceperant, confirmarent, ita ut confirmatio nihil a catechesi differre videatur; cuius consuetudinis nullum probatum testimonium afferri potest. Sed ab eo nomen rei impositum est, quod huius sacramenti virtute Deus in nobis id confirmat, quod baptismo operari coepit, nosque ad Christianae soliditatis perfectionem adducit” {p. 2, c. 3, q. 20}.

Apud *Graecos schismaticos* voces magis nunc in usu sunt *το χρίσμα* et *το μύρον*; Confessio orthodoxa *Petri Moghilae* habet *το μύρον* του χρίσματος. Apud *Russos* vero in usu est vox *myropomazanie*, i.e. unctio unguenti. Non raro tamen occurrit apud schismaticos etiam antiqua vox *ββλωσιν*; (confirmatio).

Definitio Realis?

DEFINITIO METAPHYSICA: *Sacramentum spiritualis roborationis.*

In qua definitione sacramentum est *genus*, spiritualis vero roboratio est differentia *specificata*.

Definitio aequivalens sed minus stricta: Signum rei sacrae, in quantum est roborans homines.

Descriptio: Signum et causa gratiae roborantis, vel: Signum practicum gratiae roborantis.

Definitio S. Thomae “Sacramentum plenitudinis gratiae” vel “perfectae aetatis spiritualis vitae” (q. 72, a. 1, corp. et ad 2), refert magis explicite relationem hujus sacramenti directe ad Baptismus et indirecte ad alia sacramenta; in sola enim Confirmatione perficitur spiri-

1 Cf. dicta de definitione Baptismi in p. 4.

tualis generatio christiani quae accipitur in Baptismo, cetera vero sacramenta supponunt vitam completam, non excepta ipsa Eucharistia, quae tamen aliunde meliorem simpliciter gratiae plenitudinem affert.

DEFINITIO PHYSICA: Unctio chrismatis in fronte sub praescripta forma verborum, significans collationem gratiae roborantis.

In qua definitione unctio est *materia*, verba sunt *forma*, ratio vero signi collationis gratiae roborantis est *ultima forma* totius artefacti.

Descriptio: Artificiale compositum ex unctione chrismatis et prolatione verborum, convenientibus ut materia et forma in unum subjectum relationis signi gratiae roborantis, ab eodem subjecto causatae.

Utraque definitio potest in hac breviori resumari et exprimi: “*Sacramentum roborationis per oleum in verbo*”.

II. PRINCIPIA TRACTATUS

1. Scriptura.

Apud scriptores ecclesiasticos plures afferuntur tum ex antiquo tum ex novo testamento typi vel allusiones hujus sacramenti.

TYPI Confirmationis sunt: impositio manuum Moysis *capiti Iosue* qui inde repletus est spiritu sapientiae (Deut. 34, 9); *unctio Aaronis* a Moyse peracta et unctio sacerdotum A.T. (Exod. 30, 30; cf. Tertullianum, De bapt. 7); impositio manuum Jacobi *super caput Ephraim et Manasse* (Gen. 48, 14; cf. Tertullianum, De bapt. 8); balneum et *unctio Susannae* (Dan. 13, 17; cf. Hippolytum, In Dan. 1, 16); impositio manuum Domini *capiti puerorum* (Matth. 19, 13-15; Mare. 10, 13-16) quae imo quibusdam visa est ipsa occasio institutionis hujus sacramenti.

ALLUSIONES ad Confirmationem sunt: generalis *promissio Spiritus S.* de qua in Joan. 14, 26 et Luc. 24, 49; *Spiritus S. descensus* in die Pentecostes (Act. 2, 17), nam “in hoc sacramento . . . datur baptizato Spiritus sanctus ad robur, sicut apostolis datus est in die Pentecostes” (3 p., q. 72, a. 7); vox “*Spiritu*” in Joan. 3, 5 “Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu” (ita juxta Cyprianum aliosque qui tam ad Baptismum quam ad Confirmationem ea verba referunt); *unctio* de qua in 1 Joan. 2, 20. 27; *confirmatio, signatio et pignus Spiritus* de quibus in 2 Cor. 1, 21; Eph. 1, 13; 4, 30, ubi probabiliter agitur de caractere sacramentali (cf. De sacr. in gen., art. 15, p. 270 sq.); *fontes vel aquae salutes* de quibus agitur in textibus citatis in Introductione tract. De Baptismo, ad hos enim textus alludit Christus in Joan. 7, 38, ut ipse Joannes innuit (5, 39).

TEXTUS QUI MAGIS DIRECTE AD HOC SACRAMENTUM REFERUNTUR, quique explicabuntur infra in art. 1, sunt sequentes:

Isai. 44, 3: “Effundam enim aquas super sitientem, et fluenta super aridam; effundam spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam”.

Joci 2, 28 sq.: “Effundam spiritum meum super omnem carnem; et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae . . . Sed et super servos meos et ancillas in diebus illis effundam spiritum meum.”

Joan. 7, 38 sq.: “Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum; nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.”

Ad. 2, 16-18: “Hoc est quod dictum est per prophetam Joel: Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem; et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae . . . Et quidem super servos meos, et super ancillas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo, et prophetabunt.”

Ad. 5, 32: “Et nos testes horum verborum; et Spiritus sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi.”

Ad. 8, 14-17: “Cum autem audissent apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei. miserunt ad eos Petrum et Joannem; qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.”

Ad. 19, 1-6: “Factum est autem, cum Apollo esset Corinthi, ut Paulus, peragratis superioribus partibus, veniret Ephesum, et inveniret quosdam discipulos; dixitque ad eos: Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si Spiritus sanctus est, audivimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Joannis baptismo. Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit baptismo poenitentiae populum, dicens in eum qui venturus esset post ipsum ut crederent, hoc est, in Jesum. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini Jesu. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos: et loquebantur linguis, et prophetabant.”

2. Patres Et Theologi.

Ex generali consideratione textuum, quorum plures in art. 1 afferuntur, apparet *ante saec. 3* pauca et obscura inveniri apud Patres testimonia seu potius allusiones ad hoc sacramentum; clariora enim testimonia quae afferri possunt sunt verba *Theophili* et *Irenaci*. Id tamen nihil officit, tum quia pauca illius aetatis supersunt opera, tum quia in

his quae supersunt Patres hoc argumentum directe non aggrediuntur, nec tantum de Confirmatione silent sed etiam non raro de ipsis Baptismo et Eucharistia, tum quia jam *Tertullianus*, ipso labente saec. 2 scribens, ritum Confirmationis in medium affert ut quid antiquum et inde ab Apostolis in Ecclesia usitatum.

Inde a saec. 3 uberiora et clariora inveniuntur testimonia, praecipue apud *Patres latinos*, apud quos, ob sacramentales controversias in Occidente agitatae, majorem progressum theologia sacramentaria obtinuit. Testimonia de Confirmatione generatim cum testimoniis de Baptismo, praecipue apud Patres graecos, conjuncta inveniuntur; unde utrique sacramento fere communis est *bibliographia patristica* (cf. De Baptismo, Introd., p. 12 sq.).

Eminet inter omnia Catechesis 21 (mystagogica 3) *CYRILLI HIER.*, quae tota fere versatur circa hoc sacramentum; inde est quod lepide et irreverenter Chemnitius illud vocat "chrisma cyrillianum". Apud theologos medii aevi et in Catechismo Cone. Trid. circumfertur auctoritas *Epistolae Melchiadis Papae* (saec. 4) ad episcopos Hispaniae (supra citatae, in p. 255 sq.), quae quamvis non habeat vim documenti pontificii, utpote apocrypha, manet tamen praeclarum testimonium Traditionis ante saec. 8 vel 9, seu ante tempus quo collectio pseudo-isidoriana, in qua ipsa invenitur, confecta est; idemque valet de epistolis apocryphis Urbani, Fabiani et Eusebii Pontificum.'

Peculiari mentione dignus est in fine aetatis patristicae *ISIDORUS HISP.* qui in opere De eccles. officiis, l. 2, speciale caput (c. 27) habet "De manuum impositione, vel confirmatione".

Inter priores *theologos mediaevales* specialem tractationem de Confirmatione exhibent *Ivo Carnotensis* (M.L. 161, 1070), *S. Bruno Astensis* (M.L. 165, 1102), *Honorius Augustodunensis* (M.L. 172, 673), *Hugo a S. Victore* (M.L. 176, 137. 459) et *Petrus Lombardus* (M.L. 192, 855) qui in Sent., l. 4, dist. 7 agit summatim de materia, forma, effectu et ministro hujus sacramenti.

Theologi *saec. 13* has quaestiones magis scientificè determinant et evolvunt, ut patet praecipue ex q. 72 S. *THOMAE*, in qua per 12 articulos tota materia de sacramento Confirmationis apte et compendiose traditur.

Apud *theologos posteriores* praecipua quaestio quae peculiariter agitur et determinatur est de materia et forma huius sacramenti.

* Cf. *Vitasse*, De Confirm., Appendix De existentia sacr. Confirm., § 11, Migne, Theol. Curs., t. 21, coi. 1201 sqq.; *Billuart*, Tract. de jure et justitia, art. 3, Digressio 2 historica.

* *Bibliographia*.

Praeter opera generalia de sacramentis, citata in tractatu De sacr. in gen. (p. 10), conferantur sequentes peculiare tractatus:

M. Olive, De baptismo et confirmatione, Romae, 1554,

** 1

3. Documenta Ecclesiae.

Praeter documenta citata in tractatu De sacr. in gen. (Introd.: art. 15 de caractere; art. 41 de numero sacramentorum), *praecipuae* decisiones Ecclesiae quae directe ipsam Confirmationem respiciunt sunt: *CONC. FLOR.*, Decretum pro Armenis, in quo agitur de hujus sacramenti existentia, materia, forma, ministro et effectu (Denz. 697), et *CONC. TRID.*, sess. 7, canones de Confirmatione (Denz. 871-873)

- Bellarminus*, De sacr. Confirmationis, c. 1-13.
J. Priscianensis, De confirmationis sacramento, Ingolstadt, 1575.
J. Aschemann, De confirmatione, Vindobonae, 1583.
Gretser, De baptismo et confirmatione, Ingolstadt, 1595.
5. Perez, De confirmatione, Burgos, 1588.
Jos. Vicecomes (Visconti), De antiquis Confirmationis ritibus, Mediolani, 1618.
J. Mocquet, Disputatio theologica de sacramento confirmationis, Ingolstadt, 1621.
B. Pontius, De sacramento confirmationis, Salmanticae, 1638.
E. Bertrand, De confirmatione, Tolosae, 1657.
G. Beyer, De sacramento confirmationis, Antuerpiae, 1658.
G. Gob?t, De materia confirmationis, Munich, 1663.
L. Holstc, Dissertatio duplex de sacramento confirmationis apud Graecos, Romae, 1666.
J. Morin, De sacramento Confirmationis (Opera posthuma, Parisiis, 1703).
Card. Orsi, Disp. de chrismate confirmatorio, Mediolani, 1733.
C. Vitasse (seu potius Anonymus ex congregatione Oratorii), Tract. de Confirmatione, Venetiis, 1738 (apud Migne, Theol. Curs., t. 21, coi. 545 sqq.).
M. Trivellato, De confirmatione, Paduae, 1755.
M. Gerbcrt, De eo quod est juris divini et ecclesiastici in sacramentis, praesertim in sacramento confirmationis, Augsburg, 1764.
J. C. Tronibelli, De confirmatione, Bononiae, 1775.
Brenner, Ccschichtliche Darstellung der Verrichtung der Firmung von Christus bis auf unscre Zciten, Bamberg, 1820.
J. Prussler, Anlcitung das heilige Sakrament der Firmung würdig zu empfangen. Dresden, 1786.
Welz, Das Sakrament der Firmung, Breslau, 1847.
Nepejny, Die Firmung, Passau, 1869.
Bickell, Das Sakrament der Firmung bei den Nestorianern (Innsbrucker Zeitschr. iiii kath. Théologie, 1877, p. 85 sq.).
J. Marquardt, cit. in p. 8.
L. Janssens, La Confirmation, Exposé dogmatique, historique et liturgique, Lille, 1888.
M. Heimbucher, Die heilige Firmung, Augsburg, 1889.
A. F. Wirgtman, The Doctrine of Confirmation, London, 1902.
Meschler, Die Gaben des hl. Pfingstfestes, Freiburg, 1905.
Fr. X. J. Dolgcr, Das Sakrament der Firmung, historisch-dogmatisch dargestellt, Wien, 1906.
B. Staketneier, cit. in p. 13.
J. Belser, cit. in p. 14.
F. Gillmann, Zur Lehre der Scholastik vom Spender der Firmung und des Weihesakramentes, Paderborn, 1920.
J. B. Uinberg, Die Schriftlehre vom Sakrament der Firmung, Freiburg i.B., 1920.
G. Malchiodi, La lettera di S. Innocenzo I a Dccenzio vescovo di Giubbio, Roma, 1921.
Lépicier, cit. in p. 14.
Jos. Coppens, L'imposition des mains et les rites connexes, dans le NT et dans l'Eglise ancienne. Etude de théologie positive, Wetteren-Paris, 1925.
A. D'Alès, cit. in p. 14.
Boulangier, cit. in p. 14.
Dictionnaire de Théologie Catholique, art. Confirmation (*Ruch, Bareille, Bernard, Erntoni, Marchai, Mangnot, Ortolan*), col. 975 sqq.; art. Imposition des mains (*Galtier*), col. 1302 sqq.
Dictionnaire de la Bible, art. Confirmation.

in quibus agitur de ratione sacramentali Confirmationis (can. 1), de eius efficacia (can. 2), de eius ministro ordinario (can. 3).^o

MINORA DOCUMENTA, infra citanda, sunt: *Cone. Iliberitanum* (Denz. 52 d et e), *Cone. Arelatense* (Denz. 53), *Cone. Laodicense* (circa a. 370), *Siricius P.* (Denz. 88), *Innocentius I* (Denz. 98), *Gregorius M.* (I. 4, ep. 9 et ep. 26), *Cone. Toletanum IV et XI*, *Innocentius III* (Denz. 419-424), *Innocentius IV* (Denz. 450), *Cone. Lugd. II* (Denz. 465), *Benedictus XIII* (Denz. 543), *Clemens VI* (Denz. 571-574), *Cone. Constant.* (Denz. 608), *Martinus V* (Denz. 669), *Catechismus Cone. Trid.* (p. 2, c. 3), *Clemens VIII* (Denz. 1086), *Benedictus XIV* (Denz. 1458), *Pius X*, Decretum "Lamentabili" (Denz. 2044) et Epist. "Ex quo" a. 1910 (Denz. 2147 a), *Codex J.C.* (can. 781, § 1.2; can. 782, § 1.2; can. 786; can. 787; can. 732, § 1).

4. Errantes.

SCHISMATICI.⁷

Doctrina *Ecclesiae schismaticae orientalis* substantialiter convenit cum doctrina catholica, ut patet ex eorum Ritualibus. Apud *theologos* vero schismaticos plures inveniuntur errores et recriminationes contra Latinos.

"Nostris praesertim diebus, omnia fere quae in ritu latino Confirmationis aguntur, iisdem polemistis schismaticis accusabilia visa sunt. Improbant siquidem tum materiam proximam, quod una tantum unctio fit in fronte, et non chrismantur diversae corporis partes, ut apud Orientales mos est; quod etiam apostolicus ritus impositionis manuum adhuc retinetur, cum hic, juxta illos, jam a tempore apostolorum abrogatus fuerit; tum formam, quod omnino recens sit; tum doctrinam de ministro ordinario hujus sacramenti a concilio Tridentino definitam; tum praxim differendi collationem sacramenti usque ad annos discretionis; tum doctrinam de caractere indelebili, quam . . . ex illis non pauci rejiciunt; immo etiam alapam ipsam super confirmationem ab episcopo datam, quam e ritu consecrationis equitum Medio Aevo usitato desumptam esse contendunt.

"Dum talia Latinis isti exprobrant, quae fere omnia ad usus liturgicos vel disciplinares spectant, quibusdam novitatibus ad doctrinam quod attinet minus innocuis, in Ecclesiam graeco-russicam post schisma consummatum introductas, parum vel minime attendunt. Graeci enim, contra manifestam Ecclesiae antiquae traditionem, in infidelitatem lapsis vel etiam a quacumque haeresi vel schismate reducibus sacramentum iterant. Item antiqui Byzantini sacramentalem efficaciam

⁷Circa confectionem horum canonum Cone. Trid. cf. *Did. Thiol. Cath.*, art. Confirmation, col. 1088 sq.

⁸Quoad eorum *Bibliographiam* idem dicendum ac de Baptismo (cf. supra, p. 15).

ritui chrismationis imperatorum tribuere visi sunt, dum theologi russi recentiores eundem ut quemdam sacramenti Confirmationis gradum superiorem communiter habent. Ad validitatem autem Confirmationis a ministro haeretico vel deposito collatae quod attinet, non una semper fuit, neque nunc est et Ecclesiae graeco-russicae praxis et theologorum illius doctrina."⁸

PROTESTANTES*

Praecipui Protestandum errores de Confirmatione enumerantur et damnantur in supra memoratis canonibus Cone. Trid. Summa erroris de essentia hujus sacramenti sic compendiari potest:

Confirmatio, quam Ecclesia catholica docet, nullam habet relationem cum manuum impositione ab Apostolis usitata. Ante saec. 3 Confirmatio nondum existebat cum de ea prorsus sileant Patres illius aetatis. Paulatim inter caeremonias Baptismi invecta est quaedam manuum impositio et quaedam unctio, de qua tantum loquuntur posteriores Patres quaeque in sequentibus aetatibus coepta est ab ipso Baptismo separari atque ut quid sacrum ab eo distinctum considerari, donec, rationem sacramentalem induens, ingressa est pari honore cum Baptismo in septenarium sacramentorum catalogum saec. 12 confectum.

In impugnanda hujus sacramenti existentia eminent *Calvinus*, *Lutherus*, *Melanchthonius*, *Chemnitius*, *Antonius de Dominis* (alias Spalatensis), *Jo. Dallaeus*, *Samuel Basnagius*, quorum rationes solvunt *Belarminus*, *Orsi* et *Vitasse* (in op. cit.).

⁹*M. Jugie*, *Theologia Orientalium*, t. 3, c. 3, Praenot., Parisiis, 1930, p. 127 sq.

**Bibliographia*. Praeter fontes et opera generalia de sacramentis, citata in tractatu De sacr. in gen. (p. 23), conferantur:

Lutherus, Ein sermon von dem neuen Testament, Opera, ed. Weimar, t. 6, p. 367; De capt. babyl., De confirmatione, Opera, ed. Weimar, t. 7, p. 549. 608.

Chemnitius, Examen Cone. Trid., Francofordii, 1578, p. 69.

Calvinus, Institut. christ., l. 4, c. 19, § 6 et 8, Genevae, 1559, p. 980.

Antonius de Dominis (alias Spalatensis), De republica eccles., l. 5, c. 5.

Jo. Dallaeus, De duobus latinorum ex unctione Sacramentis, Confirmatione et Extrema Unctione Disputatio, Genevae, 1659.

Samuel Basnagius, Annal. politico-eccles., ad an. 37, § 36 sqq.

Bachmann, Die Confirmation der Katechumenen in der Evangelischen Kirche, Berolini, 1852.

A. J. Mason, The relation of Confirmation to Baptism, London, 1891.

H. Diehl, Zur Geschichte der Konfirmation, Giessen, 1897.

H. Holloway, The Confirmation and Communion of Infants, London, 1901.

T. Field, A manual for Confirmation, London, 1901.

L. Ruffet, art. Confirmation, in Encyclopédie des sciences religieuses (F. Lichtenberger), t. 3, p. 356.

A. C. A. Hall, Confirmation, London, 1902.

Fr. H. Chase, Confirmation in the Apostolic age, London, 1909.

D. B. Caspari, Die evangelische Konfirmation, vornehmlich in der lutheranischen Kirche, Leipzig.

Inter catholicos cf. *Moehler*, *Schanz*, *Trésal*, at. in tractatu De sacr. in gen. (p. 23); praeterea *Dictionnaire de Théologie Catholique*, art. Confirmation, col. 1079 sqq.

Dum tamen *Calvinus* eiusque asseclae hoc sacramentum vehementer et simpliciter reiecerunt, Lutherani retinuerunt quandam *caeremoniam confirmatoriam*, cuius ritus accurate describitur a *Chemnitio* (Exam. Cone. Trid.)¹⁰ quaeque adhuc in ecclesiis lutheranis servatur; imo non defuerunt quidam (ut *Leibnitius*, *Daub* et *Fessier*) qui videntur quoddam proprie dictum sacramentum Confirmationis admisisse. Similiter inter Anglicanes *Ritualistae* recensent Confirmationem inter sacramenta quae vocant minora (cf. tract. De sacr. in gen., p. 511).

III. DIVISIO TRACTATUS.

S. *THOMAS* totam materiam de Confirmatione absolvit in unica quaestione 72, in qua agit de ejusdem existentia seu sacramentali ratione (a. 1), materia proxima (a. 2. 9) et remota (a. 2. 3), forma (a. 4), effectu (a. 1. 5. 6. 7), necessitate (a. 1, ad 3; a. 8, ad 4; cf. q. 65, a. 4), subjecto (a. 6. 8), ministro (a. 11; cf. q. 65, a. 3, ad 2), caeremoniis (a. 10. 12).

Eundem fere ordinem sequentes, hunc tractatum in 10 articulos *dividimus*, scilicet de Confirmationis *EXISTENTIA* seu sacramentali ratione (art. 1), *MATERIA PROXIMA* (art. 2) et *REMOTA* (art. 3), *FORMA* (art. 4), *EFFECTU* (art. 5), *PROPRIETATIBUS INTERABILITATIS* (art. 6) et *NECESSITATIS* (art. 7), *SUBIECTO* (art. 8), *MINISTRO* (art. 9), *CAEREMONIIS ET SACRAMENTALIBUS* (art. 10).

ART. 1. Utrum Confirmatio Sit Verum Sacramentum N.L. A Baptismo Distinctum (q. 72, a. 1).

STATUS QUAESTIONIS

Agitur de *EXISTENTIA* Confirmationis vel si placet de eius indole sacramentali prout est quaedam caeremonia a Baptismo distincta. Confer dicta in tract. De Baptismo, art. 1, Stat. Quaest., p. 19.

PARS NEGATIVA II

NOVATIANIS fortasse primus error de Confirmatione tribuendus est. Sequentes enim exemplum Novatiani sui ducis qui, tinctus baptismo clinicorum (adeoque absque solitis caeremoniis et Confirmatione), cum convaluit hoc sacramentum suscipere neglexit (cf. Cornelium

¹⁰Cf. *Diet. Théol. Cath.*, art. Confirmation, col. 1084.

¹¹Cf. *Vitasse*, De Confirmatione, q. 1, a. 1, apud Migne, *Theol. Cours.*, t. 21, col. 547 sqq.; *Diet. Théol. Cath.*, art. Confirmation, col. 1082 sqq.

Papani, Epist. ad Fabium Antiochenum; Eusebium, Hist. eccl. 6, 43), Confirmationem et ipsi non conferebant vel neglegebant. Inde est quod Concilia Nicaenum (can. 8), Laodicense (can. 7), Constant, (can. 7) jubent Novatianos conversos confirmari (Denz. 55. 88 in textu et in nota). Utrum autem Novatiani tantum negligerent administrationem sacramenti an etiam ipsum sacramentum negarent, ut asserit *Theodoretus* (Haer. fabul. 3, 5), non constat, cum alii haeresum historici, uti Epiphanius et Augustinus, nullum eiusmodi errorem Novatianiis tri-
buant.

Notandum est quod etiam *aliis haereticis* conversis, quorum baptismus ut validus agnoscebatur, uti Arianis et Macedonianis, Confirmatio conferebatur (cf. Denz. 53. 88 in textu et in nota). Attamen "non constat [eos] sacramento confirmationis caruisse. Incertum manet, cur eius validitas non ubique in Ecclesia catholica probaretur. Si ratio fuisset, quod, divinitatem Spiritus sancti negantes, sensum non catholicum formae sacramenti subiecissent, baptismus quoque eorum ob eandem rationem improbandus fuisset, sicut reapse antiquiores nonnulli Patres fecerant. Documenta rem non explicant."¹²

Inter praecursores Protestantismi, *Albigenses* negarunt sacramentum Confirmationis. De Waldensibus vero, Wicleffitis et Hussitis id certe probari nequit, quamvis Calvinistae id affirmant ut suae negationis patronos et praecursores inveniant. *Waldenses* enim videntur potius reprobasse materiam, seu usum unctionis, et reservationem potestatis confirmandi episcopis factam. Hoc secundum videntur *Wicleffitae et Hussitae* reprobasse; nam Hussitae secuti sunt doctrinam Wicleffi (cf. Denz. 651); istius vero doctrina continetur in Trialogo, in quo Confirmationis negatio non habetur, et damnata est in Cone. Constantiensi quod unice errorem circa ministrum Confirmationis in Wicleffo reprehendit (cf. Denz. 608), nec ex interrogationibus, jussu eiusdem Concilii Wicleffitis et Hussitis proponendis, aliud erui potest nisi eos contempsisse hujus sacramenti susceptionem (cf. Denz. 669).

Primo igitur *PROTESTANTES* formaliter et signanter existentiam Confirmationis reiecerunt. Essentiam eorum haeresis, compendiose damnatam in can. 1 Cone. Trid., retulimus supra in Introductione. Addantur sequentia testimonia:

LUTHERUS, De capt. babyl., ait: "Nos autem pro hac vice sacramenta divinitus instituta quaerimus, inter quae ut Confirmationem numeremus nullam invenimus causam. Ad sacramenti enim constitutionem, ante omnia requiritur verbum divinae promissionis, quo fides exerceatur. At nihil legimus Christum usquam de Confirmatione promississe. Quare satis est pro quodam ritu ecclesiastico, seu caeremonia

¹²*I. F. De Groot*, *Histor. Dogm.*, v. 2, Romae, 1931, p. 222.

sacramentali Confirmationem habere, similem caeteris caeremoniis consecrandae aquae, aliarumque rerum.”

MELANCHTHONIUS, Loc. commun., ait: “Confirmatio olim fuit exploratio doctrinae in qua singuli recitabant summam doctrinae, et ostendebant se dissentire ab ethnicis et haereticis: et erat mos ad erudiendos homines, item ad discernendos profanos et pios admodum utilis. Postea fiebat publica precatio, et apostoli imponebant eis manus, et ita donabantur manifestis donis Spiritus sancti; sed nunc ritus Confirmationis, quem retinent episcopi, est prorsus otiosa caeremonia.”

CALVINUS, Inst. christ., l. 4, c. 19, ait Confirmationem olim fuisse quandam fidei professionem seu quandam fidei in susceptum Baptismum confirmationem (hinc nominis huius sacramenti rationem petit), quam infantes jam baptizati, sub finem pueritiae ad episcopum adducti, emittebant, ut ita quodammodo supplerent id quod adulti ante Baptismum per catechumenatum praestabant. Dein addit: “Posterior autem aetas, re prope oblitterata, fictitiam nescio quam Confirmationem pro Dei sacramento posuit”, quae potius est dicenda “vacuum et frigidum signum”, “abortiva sacramenti larva”, “inter maxime exitiales Satanae praestigias”.

Anglicani quoque Confirmationem reiecerunt, exceptis *Ritualistis*, qui eam reponunt inter sacramenta minora.

MODERNISTAE juxta prop. 44 damnatam in Decr. “Lamentabili” docent: “Nihil probat ritum sacramenti confirmationis usurpatum fuisse ab Apostolis: formalis autem distinctio duorum sacramentorum, baptismi scilicet et confirmationis, haud spectat ad historiam christianismi primitivi” (Denz. 2044).

PLURES RATIONALISTAE, praecipue inter cultores historiae religionum, docent Confirmationem christianam derivatam esse ex ritibus aliarum religionum, puta ex cultu *Mithrae* cuius initiatio consistebat in lavacro, *signatione jrontis* et oblatione panis (cf. Tertull., De praescript. 40) et ex cultu *Mandaeorum* in quo *impositio manuum* erat in usu. At quam leviter haec proferantur, dictum est in De sacr. in gen., art. 28, p. 391 sq.

PARS AFFIRMATIVA

Nota Theologica.

De fide est Confirmationem esse proprie dictum sacramentum a Baptismo distinctum.

Documenta Ecclesiae.

Cone. Lugd. II, Projessio fidei Michaelis Palaeologi: “Tenet etiam et docet eadem sancta Romana Ecclesia, septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scilicet baptisma . . . aliud est sacramentum confirmationis, quod per manuum impositionem episcopi conferunt, chrismando renatos” (Denz. 465).

Benedictus XII in libello “*Jam dudum*” a. 1341 inter errores Arme-

norum hunc citat: “Item Catholicon minoris Armeniae dicit, quod sacramentum confirmationis nihil valet, et si valet aliquid, ipse dedit licentiam presbyteris suis, ut idem sacramentum conferant” (Denz. 543).

Martinus V inter *interrogationes Wicleffitis et Hussitis proponendas* (a. 1418) hanc ponit: “Utrum credat, quod Christianus condemnens susceptionem sacramentorum confirmationis, vel extremae unctionis, aut solemnizationis matrimonii, peccet mortaliter” (Denz. 669).

Cone. Florent., Decret, pro Armenis: “Secundum sacramentum est Confirmatio” (Denz. 697). “Novae Legis septem sunt sacramenta: videlicet baptismus, confirmatio . . .” (Denz. 695).

Cone. Trid., sess. 7, can. 1 de Confirm.: “Si quis dixerit, confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse et non potius verum et proprium sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quandam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant: A.S.” (Denz. 871).

Decretum “Lamentabili”, prop. 44 supra cit.

CONCLUSIO

Confirmatio Est Verum Et Proprie Dictum Sacramentum N.L. A Baptismo Distinctum.

Probatur 1.

Valent hic imprimis probatio directa ex indefectibilitate Ecclesiae et probatio indirecta ex praescriptione, allatae quoad septenarium numerum sacramentorum in tract. De sacr. in gen., p. 520-522.

Probatur 2. EX SCRIPTURAN

Cognita huius sacramenti existentia, non difficile erit detegere in sacris litteris quasdam ipsius *adumbrationes et illusiones*; ita praecipue in *Isai. 44, 3; Joel. 2, 28; Act. 2, 16-18* (ubi citatur Joel. 2, 28); *Act. 5, 32* (cf. Introd, tract., p. 258 sq.).

Signantior allusio habetur in *Joan. 7, 38 sq.* et *Hebr. 6,1-6*. Ex verbis enim Joannis colligitur Christum promississe collationem Spiritus S. post Ascensionem omnibus fidelibus, adeoque in aeternum. Haec autem non est communis gratiae collatio, quippe quae facta est etiam ante Ascensionem, nec est tantum peculiaris ille descensus Spiritus S. in die Pentecostes, quippe qui fuit quid unicum et temporaneum; ergo in

|| Objectiones Protestantium contra hoc argumentum solvit *Vitasse*, De Confirm., q. 1, a. 2, sect. 1, apud Migne, Theol. Curs., t. 21. coi. 561 sqq.

illis verbis agitur de determinata collatione Spiritus S. quae fit in sacramento Confirmationis.

In epistola vero ad Hebraeos Apostolus inter elementares et fundamentales fidei veritates commemorat impositionem manuum, quae verisimiliter non designat Ordinem sed Confirmationem, tum quia enumeratur cum Baptismo tum quia Apostolus ad omnes fideles indiscriminatim sermonem dirigit.

Attamen ex his locis nonnisi quaedam allusiones ad sacramentum erui possunt; unde oportet recurrere ad binos textus Act. 8, 4-17 et 19, 1-6 ut argumentum scripturisticum satis solidum conficiatur. Horum textuum efficacitatem inepte impugnarunt Protestantes, necnon quidam ex antiquis scholasticis qui negarunt Christum immediate hoc sacramentum instituisse.¹⁴

In *ACT. 8, 4-17* narratur quomodo Samaritanis, jam a Philippo diacono evangelizatis et baptizatis, Petrus et Joannes missi sunt qui eis manus imponerent ut Spiritum S. acciperent. In *ACT. 19, 1-6* narratur quomodo Paulus, cum invenisset Ephesi quosdam discipulos solo baptismo Joannis tinctos, jussit eos ablui baptismo Christi eisque deinde manus ipse imposuit, conferens Spiritum S.

Iam ex simplici consideratione horum textuum (qui ex sensu Traditionis ulteriorem et plenam lucem accipiunt) satis solidum argumentum deducitur pro existentia alicuius sacramenti a Baptismo distincti quod Confirmationem appellamus. Omnes enim notae, quae ad rationem sacramenti requiruntur et sufficiunt, in illis verbis inveniuntur. Nam:

1. *AGITUR DE RE A BAPTISMO DISTINCTA.* Diversus quippe habetur ritus, minister et effectus. Samaritani enim illi, etsi baptizati, nondum Spiritum S. acceperant, ad quem praeterea conferendum non quilibet mittitur sed Apostoli, qui tandem non aquam ad id adhibent sicut in Baptismo sed orationem et manuum impositionem. Idem dic de casu Pauli, qui jubet prius praefatos discipulos baptizari, deinde ipse directe manus eis imponit.

2. *AGITUR DE SIGNO SENSIBILI*, i.e. de oratione, vel saltem de manuum impositione quae in utroque textu memoratur.

3. *AGITUR DE SIGNO EFFICACI.* Aperta enim exhibetur relatio inter manuum impositionem et Spiritus S. acceptionem: "Imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum", "*Cum* imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos". Nec aliter expri-

¹⁴ Inter Schismaticos orientales similiter sentiit *Jeremias II* Patriarcha in suis Responsis ad Lutheranos; cf. *M. Jtigie*, *Thcol. Orientalium*, t. 3, c. 3, a. 1 in fine.

mitur nexus efficacitatis in textibus qui respiciunt sacramentum Baptismi.

4. *AGITUR DE SIGNO EFFICACI GRATIAE SANCTIFICANTIS.* In hoc potissimum residet robur argumenti.

Acceptio quippe Spiritus S., quae ut patet refertur ad dona ipsius, non signat gratiam gratis datam sed gratiam gratum facientem. In Act. 19, 6 quidem acceptio Spiritus S. coniuncta invenitur cum dono linguarum et prophetia (quod ceteroquin in primordiis Ecclesiae saepe contingebat; cf. Act. 2, 4. 17. 18), at haec dona sunt effectus accidentalis et concomitans, principalis vero et necessarius effectus collationis Spiritus S. est ipsa gratia gratum faciens.

Etenim in altero textu, Act. 8, 13-15, similia dona gratis data connectuntur cum Baptismi susceptione ante ipsam collationem Spiritus S. per manuum impositionem. Praeterea, constanter acceptio Spiritus S. connectitur cum sola gratia gratum faciente (cf. Rom. 5, 5; 1 Cor. 3,16; Gal. 5, 16. 17. 22; 1 Thess. 4, 8). Praeterea, ut patet ex praedictis locis Actuum, Spiritus S. per impositionem manuum conferebatur omnibus indiscriminatim, sicut etiam omnibus a Christo promissa erat collatio Spiritus S. (Joan. 7, 38 sq.), non est autem credibile Christum omnibus promisisse, et in Confirmatione omnibus collatas fuisse, gratias gratis datas quae nequaquam sunt ad salutem necessariae, quinimmo ex 1 Cor. 12,4. 7 sqq. apparet eas vario modo distributas et divisas esse inter fideles qui tamen per eandem manuum impositionem Spiritum S. acceperant. Praeterea, juxta Act. 2, 38 ad accipiendum donum Spiritus S. requiritur dispositio poenitentiae, quod dici nequit de acceptione gratiae gratis datae.

Confirmatur ex communi interpretatione *Patrum* qui hos textus ad Confirmationem referunt. Ita Cyprianus (Ep. 73, 9), Innocentius I (Ep. ad Decentium; cf. Denz. 98), Chrysostomus (In Act., hom. 18, 4), Hieronymus (Adv. Lucif. 8), Firmilianus (inter epp. Cypriani 75, 8), Anonymus De rebaptismate (3), Isidorus Hisp. (De offic. eccl. 26), Cone. Lugd. I (Denz. 450).

Probatur 3. EX TRADITIONE.

Citabimus imprimis quaedam Patrum testimonia” ex quibus subinde argumentum conficiemus.

Theophilus, Ad Autolyicum, 1, 12: “Tu non vis ungi oleo Dei? Nos enim ideo Christiani vocamur, quod Dei oleo ungimur” (M.G. 6, 1041).

“Magnam testimoniorum copiam colligit *Vitasse* (op. cit., apud Migne, coi. 569 sqq.), solvens Protestantium *objectiones* contra valorem argumenti ex Traditione; cf. etiam *Diet. Thiol. Calli.*, art. Confirmation, col. 1027 sqq.

Irenaeus, Adv. haer. 1, 21, 3, describit modum quo haeretici corumpunt sacramentales ritus, inquiens: “Tum autem eum, qui initiatus est, opobalsamo inungunt . . . Sunt etiam ex ipsis, qui eos quidem ad aquam adducere supervacaneum esse dicant; oleo autem et aqua una permixtis cum vocibus quibusdam . . . in eorum, quos initiant, caput iniciunt” (M'O. 7, 663 sq.).

Tertullianus, Adv. Marcionem, 1, 14: “Sed ille [i.e. Christus] quidem usque nunc nec aquam reprobavit Creatoris, qua suos abluit; nec oleum, quo suos ungit; nec mellis et lactis societatem, quo suos infantat; nec panem, quo ipsum corpus suum repraesentat; etiam in sacramentis propriis egens mendicitatibus Creatoris” (M.L. 2, 287).

De bapt. 7 sq.: “Exinde, egressi de lavacro, perungimur benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant. Ex quo Aaron a Moyse (Levit, xviii) unctus est: unde Christus dicitur, a chrismate quod est unctio (I Reg. xv) . . . Sic et in nobis carnaliter currit unctio, sed spiritaliter proficit: quomodo et ipsius baptismi carnalis actus, quod in aqua mergimur; spiritalis effectus, quod delictis liberamur. Dehinc manus imponitur, per benedictionem advocans et invitans Spiritum sanctum” (M.L. 1, 1315 sq.).

De resurr. 8: “Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecratur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de Deo saginetur” (C.V. 47, 36).

De praescr. 36: “[Ecclesia Romana] legem et prophetas cum evangelicis et apostolicis Litteris miscet, et inde potat fidem; eam aqua signat, sancto Spiritu vestit, Eucharistia pascit” (M.L. 2, 60).

Hippolytus, In Dan. 1, 16: “Quid autem sunt unguenta nisi mandata Dei? Quid autem est oleum nisi virtus Spiritus Sancti? His enim post lavacrum unguuntur credentes. Haec praefigurabantur per beatam Susannam propter nos, ne nunc nos, qui Deo credimus, de iis, quae in ecclesia fiunt, miremur tamquam de alienis” (ed. G. N. Bonwetsch, 26 sq.).

Origenes, In ep. ad Rom., I. 5, n. 8: “Quamvis secundum typum ecclesiis traditum omnes baptizati simus in aquis istis visibilibus et in chrismate visibili, tamen, qui mortuus est peccato et vere baptizatur in morte Christi et consepelitur ei per baptismum in mortem, iste vere in Spiritu Sancto et aqua de superioribus baptizatur” (M.G. 14, 1038).

Cornelius P., Epist. ad Fabium, 4: “Qui quidem, cum ei ab exorcistis subveniretur, in morbum gravissimum collapsus, ita ut jamjam

moriturus existimaretur, in ipso lecto, in quo jacebat, perfusus fidem suscepit: si tamen homo hujusmodi suscepisse dicendus est. Sed neque postquam liberatus est a morbo, reliqua percepit, quae secundum regulam Ecclesiae percipienda sunt, neque ab episcopo consignatus est. Hoc autem signaculo minime percepto, quomodo Spiritum sanctum potuit accipere?” (M.L. 3, 771-774; cf. dicta in tract. De Bapt., art. 5, Conci., p. 54.)

Cyprianus, Epist. 70, 2: “Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate, id est, unctione, esse unctus Dei et habere in se gratiam Christi possit. Porro autem Eucharistiae est unde baptizati unguuntur oleo in altari sanctificato. Sanctificare autem non potuit olei creaturam qui nec altare habuit nec Ecclesiam. Unde nec unctio spiritalis apud haereticos potest esse, quando constet oleum sanctificari et Eucharistiam fieri apud illos omnino non posse” (M.L. 3, 1078 sq.).

Epist. 73, 9: “Quia legitimum et ecclesiasticum baptismum consecuti fuerant [Samaritani], baptizari eos ultra non oportebat, sed tantummodo quod deerat, id a Petro et Joanne factum est, ut oratione pro eis habita, et manu imposita invocaretur et infunderetur super eos Spiritus sanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur, praepositis Ecclesiae offerantur, et per nostram orationem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur et signaculo Dominico consummentur” (M.L. 3, 1160).

Epist. 74, 7: “Non per manus impositionem quis nascitur quando accipit Spiritum sanctum, sed in Ecclesiae baptismo, ut Spiritum sanctum jam natus accipiat, sicut in primo homine Adam factum est (Gen. ii). Ante enim Deus eum plasmavit, et tunc insufflavit in faciem ejus flatum vitae” (M.L. 3, 1178).

Epist. 73, 21: “Baptizari eos oportet qui de haeresi ad Ecclesiam veniunt; ut qui legitimo et vero atque unico sanctae Ecclesiae baptismo ad regnum Dei regeneratione divina praeparantur, *sacramento utroque* nascantur, quia scriptum est: ‘Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest intrare in regnum Dei’ (Joan, iii, 5)” (M.L. 3, 1169).

Firmilianus, inter epp. Cypriani 75, 7: “Omnis potestas et gratia in Ecclesia constituta est, ubi praesident majores natu, qui et baptizandi et manum imponendi et ordinandi possident potestatem” (M.L. 3, 1209).

Cone. Illibcritanum (circa 300): “*Can. 38*. Loco peregre navigantes aut si ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum

integrum habet nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum, ita ut, si supervixerit, ad episcopum eum perducatur, ut per manus impositionem perfici possit.

“*Can. 77.* Si quis diaconus regens plebem sine episcopo vel presbytero aliquos baptizaverit, episcopus eos per benedictionem perficere debet; quod si ante de saeculo recesserint, sub fide, qua quis credit, poterit esse justus” (Denz. 52 d et e).

Cone. Arelatense (a. 314): “*Can. 8. De* afris, quod propria lege sua utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de haeresi venerit, interrogent eum symbolum, et si perviderint eum in Patre et Filio et Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum. Quodsi interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur” (Denz. 53).

Innocentius I, Epist. ad Decentium episc. *Eugubinum*: “De consignandis vero infantibus manifestum est, non ab alio quam ab episcopo fieri licere. Nam presbyteri, licet secundi sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem pontificium solis deberi episcopis, ut vel consignent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et illa lectio Actuum Apostolorum, quae asserit Petrum et Joannem esse directos, qui iam baptizatis traderent Spiritum Sanctum [cf. Act 8, 14-17]. Nam presbyteris sive extra episcopum, sive praesente episcopo cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet; sed quod ab episcopo fuerit consecratum, non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum. Verba vero dicere non possum, ne magis prodere videar quam ad consultationem respondere” (Denz. 98).

Anonymus De sacram. 3, 2: “Sequitur spiritale signaculum quod audistis hodie legi . . . quia post fontem superest ut perfectio fiat; quando ad invocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur, Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii atque virtutis, Spiritus cognitionis atque pietatis, Spiritus sancti timoris; septem quasi virtutes Spiritus (Isa. xi, 2)” (M.L. 16, 453).

Ephrem, In Joel. 2, 24: “ ‘Et replebuntur areae vestrae frumento . . . Et redundabunt pariter torcularia vino et oleo . . . Mystice illud perfectum est a Messia, qui dedit populo a se redempto, ecclesiae scilicet suae, frumentum et vinum et oleum mysticum; frumentum quod est mysterium corporis eius sancti, et vinum sanguinem suum propitia-

torium, et rursus oleum in unguentum suave, quo signati sunt baptizati induentesque arma Spiritus Sancti” (Assemani, *Biblioth. orient.* 1, 2, 252).

Hilarius, In Matth., c. 19, 3: “Munus enim et donum Spiritus Sancti per impositionem manus et precessionem, cessante Legis opere, erat Gentibus largiendum” (M.L. 9, 1024).

Cyrillus Hier., Catech. 21, 3: “Nam sicut panis eucharistiae post invocationem Sancti Spiritus non est communis panis, sed corpus Christi, ita et sanctum istud unguentum non amplius nudum neque, si quis ita appellare malit, commune unguentum est post invocationem, sed Christi donarium et Spiritus Sancti, praesentia divinitatis eius efficiens factum, quod quidem symbolice fronti aliique sensibus tuis illinitur; ac dum unguento visibili inungitur corpus, sancto et vivifico Spiritu anima sanctificatur” (M.G. 33, 1089).

Sacramentarium Serapionis, 25 (Oratio in oleum quo unguuntur baptizati): “1. Deus virtutum . . . invocamus te, ut per divinam et invisibilem virtutem tuam domini et salvatoris nostri Iesu Christi opereris in hoc oleo operationem divinam ac caelestem, 2. ut baptizati et uncti in eo effigie signi salutaris crucis Unigeniti, . . . tamquam regenerati ac renovati per lavacrum regenerationis, ipsi quoque participes fiant doni Spiritus Sancti et hoc sigillo confirmati permaneant stabiles et immobiles, innocui et inviolati” (ed. Funk, 2, 186).

Padanus, Epist. 1, 6: “Si ergo et lavacri et chrismatis potestas, majorum et longe charismatum, ad episcopos inde [i.e. ex Apostolis] descendit, et ligandi quoque jus adfuit atque solvendi” (M.L. 13, 1057).

Hieronymus, Adv. Lucij. S.: “An nescis etiam Ecclesiarum hunc esse morem, ut baptizatis postea manus imponantur, et ita invocetur Spiritus sanctus? Exigis ubi scriptum sit? In Actibus apostolorum. Etiam si Scripturae auctoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar praecepti obtineret” (M.L. 23, 172).

Augustinus, Contra Iulianum. 2, 104, 239: “Sacramentum Chrismatis . . . in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus: sed potest esse et in hominibus pessimis . . . Discerne ergo visibile sanctum Sacramentum, quod esse et in bonis et in malis potest, illis ad praemium, illis ad iudicium, ab invisibili unctione charitatis, quae propria bonorum est” (M.L. 43, 342 sq.).

Cyrillus Alex., In Joël. 32: “Data est nobis ceu in pluvia aqua vivens sacri baptismatis, et tamquam in frumento panis vivus, et tamquam in vino sanguis. Accessit item usus olei, qui per sacrum baptisma in Christo justificatis ad consummationem conferret” (ed. Pusey, 1,331).

Pseudo-Melchiodcs, Epist. ad episcopos Hispaniae, 7 citat, in Introd. (p. 255 sq. 260).

Isidorus Hisp., Etyni. 6, 19, 39-41 cit. in tract. De sacr. in gen., art. 1, p. 44 sq.

Beda, In 1 Joan., c. 2; “Unctio spiritualis, ipse Spiritus sanctus est, cujus sacramentum est in unctione visibili” (M.L. 93, 94).

In his Patrum testimoniis de Confirmatione omnia inveniuntur elementa, in praecedenti argumento enumerata, quae ad rationem sacramenti requiruntur. Sufficit autem unum signanter ostendere, quod est essentiale et a quo alia dependent (quae ceterum non difficile ab adversariis concedentur), scilicet Confirmationem esse *signum practicum gratiae*, seu Confirmationem prout est quaedam caeremonia a Baptismo distincta, propriam habere efficacitatem sanctificativam. Quod ex sequentibus luculenter apparet:

1. Si Confirmatio esset tantum quaedam caeremonia ecclesiastica Baptismo superaddita, non explicaretur constans Ecclesiae *disciplina supplendi ritum Confirmationis* in casu quo ob extraordinaria adjuncta omissus fuerit in ipsa collatione Baptismi, necnon ipsum *reservandi Episcopis*, concessa tamen presbyteris et diaconis potestate quoad principale, i.e. quoad ipsum Baptismum.

Quoad talem disciplinam confer supra cit. Cyprianum, Innocentium I, Firmilianum, Hieronymum, Cone. Illiberitanum, Pseudo-Melchiodem.

2. Patres Confirmationem sicut Baptismum *ex divina institutione* repetunt. Eam enim vocant oleum divinum (Theophilus), chrisma supercoeleste (Cone. Laodicenum), unctionem per quam Christus dat Spiritum S. (Ambrosius), sacramentum Dei (Augustinus), oleum Christi (Augustinus), Christi donum (Cyrillus Hier.). *Tertullianus* ait Christum oleo ungere suos adeptos; *Hippolytus* docet unguenta esse mandata Dei; *Origenes* ait nos baptizari et confirmari secundum traditionem Ecclesiae; *Firmilianus* docet omnem gratiam et omnem potestatem baptizandi, manum imponendi et ordinandi esse in Ecclesia constitutam. Adde testimonia mox citanda quae tribuunt Confirmationi efficacitatem supernaturalem et ea quae Confirmationem referunt ad supra dictos textus Actuum.

3. Confirmationi assignatur *specialis effectus a Baptismi effectu distinctus* eiusque consummativus ac pro tanto perfectior.

Talis effectus vocatur: *animi* robur, confirmatio, consecratio, illuminatio, vivificatio, purgatio, renovatio; *Christi* gratia et participatio; *Spiritus S.* gratia, acceptio, donum, superinfusio, indumentum; *Baptismi perfectio*, consummatio; *gratiae* augmentum et plenitudo. Notentur, inter alia testimonia supra citata, verba Tertulliani, Cypriani, Augustini, Isidori et Pseudo-Melchiodis.

4. Confirmatio *connumeratur aliis sacramentis proprie dictis* (saepius Baptismo et Eucharistiae, aliquando Ordini et Poenitentiae), eodem nomine sacramenti vocatur, eiusque efficacitas efficacitati illorum comparatur. Confer supra citatos Tertullianum, Cyprianum, Firmilianum, Ephrem, Hilarium, Cyrillum Hier., Pacianum, Pseudo-Melchiodem, Isidorum et dicta in tract. De sacr. in gen., art. 41 ubi de Traditione, p. 513 sqq.

Augustinus, Cont. Iit. Petii. 2, 104, 239, vocat Confirmationem “*sacramentum Chrismatis . . . quod . . . in genere visibilium sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus*”; in Serm. 227 eam dicit “*Spiritus sancti . . . sacramentum*”; in De bapt. 3, 16, 21 distinguit in ea sacramentum et effectum eius: “Cum ergo sit aliud Sacramentum . . . aliud operatio Spiritus . . .” (M.L. 43, 149).

Probatur 4. *EX RATIONE CONVENIENTIAE* (a. 1 corp.).

Cum sacramentum sit signum ad placitum, eius institutionis nequeunt nisi rationes congruentiae adsignari quibus ipsius auctoris intentionem interpretari conemur. Optima autem et fundamentalis ratio, quam iam assignavimus in quaestione de numero sacramentorum (tract. De sacr. in gen., art. 41) fusiusque hic repetit S. THOMAS, est analogia inter vitam naturalem et spiritualem. Sicut enim in vita naturali generationem sequitur augmentum quo vita et generatio perducuntur ad suam perfectionem et complementum, ita oportet ut in vita supernaturali, quae per sacramenta gradatim confertur, sacramentum generationis subsequatur sacramentum *augmenti, plenitudinis et perfectionis*.

Ad hanc reducuntur vel ex ea sequuntur aliae rationes congruentiae quas afferunt Patres et theologi, quarum praecipua est ratio *roboris*. In interiori enim vitae augmento fundatur robur et fortitudo viventis adversus contraria agentia exteriora. Unde apte S. Thomas in fine articuli refert verba *Pseudo-Melchiodis* (citata in Introd.) in quibus utraque ratio copulatur.

Aptissime quoque idem Pseudo-Melchiodes secundam rationem

illustrat cum sibi fingens *objectionem*, quam etiam *Novatores* nonnumquam proponunt, quid nempe Confirmatio prosit post acceptam plenitudinem remissionis et gratiae Baptismi, respondet Christum se gerere erga fideles suos sicut dux qui milites a se electos armis competentibus instruit et sicut pater qui una cum haereditate pupillo relinquit tutorem. Arma enim nostra est gratia Confirmationis, tutor vero Spiritus S. “consolator optimus, dulcis hospes animae, dulce refrigerium” (Missa Pentecostes, Sequentia).

NOTA 1. *DE IMMEDIATA INSTITUTIONE HUIUS SACRAMENTI PER CHRISTUM* dictum est in tract. De sacr. in gen., art. 29.

5. *Thomas* ad excludendam sententiam aliquorum theologorum de mediata institutione hujus sacramenti per Apostolos vel Ecclesiam scribit: “Hoc non potest esse, quia instituere novum sacramentum pertinet ad potestatem excellentiae, quae competit soli Christo. Et ideo dicendum est quod Christus instituit hoc sacramentum, non exhibendo, sed promittendo, secundum illud Joan. cap. xvi, 7: ‘Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos’. Et hoc ideo, quia in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus sancti, quae non erat danda ante Christi resurrectionem et ascensionem, secundum illud Joan, vii, 39: ‘Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus’ ” (*ad 1*).

Ubi nota sensum S. Doctoris non esse Christum instituisse sacramentum quatenus tantum promisit ipsius sacramenti institutionem, promittere enim non est instituere, sed Christum tunc instituisse sacramentum non tamen exhibendo eius applicationem eiusque effectum, sicut pro ceteris sacramentis, sed *haec* promittendo, quia non debebat sacramentum Spiritus S. eiusque gratia applicari nisi postquam per descensum Spiritus S. eius significatio perficeretur.

NOTA 2. *DE TEMPORE INSTITUTIONIS* huius sacramenti nihil in Scriptura et Traditione determinate refertur. Quidam theologi absque sufficienti fundamento docuerunt Christum hoc sacramentum instituisse cum parvulis manus imposuit (Matth. 19, 13-15; Mare. 10, 13-16) vel cum in ultima coena pedes discipulorum lavit. Communius et probabilius theologi docent Confirmationem institutam esse *post Resurrectionem* et ante Ascensionem, quo tempore Christus cum discipulis “loquens de regno Dei” (Act. 1, 3) conversatus est eisque solemnem promissionem Spiritus S. annuntiavit (Act. 1,4; Luc. 24, 49). Huic sententiae favent verba 5. *Thomae* nuper citata.

ART. 2. Utrum Materia Proxima Confirmationis Sit Chrismatio, Seu Unctio Chrismatis In Forma Crucis Facta Per Impositionem Manus Ministri In Fronte Confirmandi (a. 2 et 9).

STATUS QUAESTIONIS

CODEX J.C. de ritu Confirmationis statuit:

“*Can. 780.* — Sacramentum confirmationis conferri debet per manus impositionem cum unctione chrismatis in fronte et per verba in pontificalibus libris ab Ecclesia probatis praescripta.

“*Can. 781.* — 1. Chrisma, in sacramento confirmationis adhibendum, debet esse ab Episcopo consecratum, etiamsi sacramentum a presbytero, ex jure vel ex apostolico induito, ministretur.

“2. Unctio autem ne fiat aliquo instrumento, sed ipsa ministri manu capiti confirmandi rite imposita.”

Eadem ad verbum referuntur in *Rituali Romano* (Appendix, De Confirm., n. 1 et 4, juxta editionem jussu Pii XI ad normam Codicis J.C. accommodatam).

Juxta *PONTIFICALE ROMANUM* (Part. 1, De Confirmandis) ritus *validae et licitae* administrationis hujus sacramenti *apud Latinos* sic se habet: Primo, Pontifex stans versa facie ad confirmandos, junctis manibus, dicit invocationem “*Spiritus sanctus superveniat in vos etc.*”; secundo, extensis versus confirmandos manibus (haec ab ipso Codice J.C., can. 789, vocatur prima manuum impositio seu extensio) dicit: “*Omnipotens sempiternae Deus . . . emitte in eos [confirmandos] septiformem Spiritum tuum sanctum paraclitum de coelis . . . Adimple eos Spiritu timoris tui, et consigna eos signo crucis Christi . . .*”; tertio, sedens vel stans, producit in frontem confirmandi signum crucis pollice dexteræ manus chrismate intincto, dicens: “*Signo te signo crucis et confirmo te Chrismate salutis. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.*”

*APUD GRAECOS*¹⁾ prima manuum impositio non habetur; totus ritus consistit in *chrismatione* ad modum crucis, quae fit non tantum in fronte sed in octo corporis partibus (scilicet fronte, oculis, manibus, ore, auribus, pectore, manibus et pedibus) et in prolatione verborum *Ἐφραγῖ δωριὰ Πνεύματος ἁγίου* (Signaculum doili Spiritus S.).

Schismatici Graeco-Russi eundem substantialiter ritum servant.

In ritu igitur Confirmationis distingui possunt quatuor praecipuae partes pertinentes ad materiam hujus sacramenti, scilicet prima manuum impositio, consignatio frontis ad modum crucis per manum mi-

¹⁾ Cf. *Dentinger*, Ritus orient. Ecd.; *Jugit*, Theol. Orient., t. 3, c. 3, a. 2 sq.

nistri, chrismatio seu unctio frontis per manum ministri et impositio manus in hac consignatione et chrismatione contenta.

Quaeritur quaenam ex his pertineat ad materiam validam hujus sacramenti, seu utrum materia proxima Confirmationis sit consignatio frontis, chrismatio eiusdem et illa tantum impositio manuum quae in his includitur, non vero prima manuum impositio.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA¹⁷

RENAN (L'Eglise chrétienne, t. 2, p. 154-156, Paris, 1879) docuit ritum unctionis esse originis gnosticae, eo quod jam saec. 2 frequenter apparet in ritibus sectarum gnosticarum (cf. Irenaeum, Adv. haer. 1, 21, 3 cit. in p. 270; Clementem, Excerpt. 82; Hippolytum, Philosoph. 5, 7; Originem, C. Celsum, 6, 27), dum de ea rara inveniuntur Patrum testimonia.

Attamen "primo in tanta penuria documentorum catholicorum saec. II, argumentum ex silentio paucissimorum testium non probat illos nescivisse id quod praetermiserunt. Deinde, silentium eorum admittit quasdam exceptiones, ut, Theophili Antiocheni. Ac tandem, ipsi gnostici proferri possunt ut testes consuetudinis intra ipsam Ecclesiam catholicam vigentis, quamdiu non probatur illos ritum ab Ecclesia catholica alienum introduxisse; quod minime probatur. Etenim verisimilius est illos homines, quorum nonnulli in Ecclesia catholica instituti fuerant, aliquid de sua prima institutione retinuisse et in suam sectam transtulisse, quam omnia adinvenisse; praesertim cum ille ritus neque VT^o neque Evangelio repugnet."¹⁸

PROTESTANTES doctrinam catholicam de materia Confirmationis peculiariter impugnant. Aiunt eam nullum in Scripturis habere fundamentum; manuum impositionem, in hoc ritu observatum, nullam habere relationem cum manuum impositione ab Apostolis usitata; eam ipsam manuum impositionem, quae in antiqua Ecclesia observabatur, substitutam fuisse per chrismationem; de chrismatione nullum prorsus vestigium inveniri in Scriptura et in praxi Apostolorum; eam diversimode adhibitam esse (i.e. in sola fronte vel in pluribus corporis partibus, in solo oleo vel in oleo et balsamo vel in oleo, balsamo et aliis unguentis), quod ostendit eam fuisse originis ecclesiasticae.

Plures Protestantess¹⁰ praecipue inde a saec. 18, *adhibent caeremo-*

ⁿCf. *Vitasse*, De Confirm., p. 1, q. 2, a. 1, apud Migne, Theol. Curs., t. 21, coi. 761-763; *D'Alès*, De bapt. et confirm., thes. 14; *Dici. Thiol. Cath.*, art. Confirmation, col. 1035 sqq.; 1061 sqq.; 1072 sqq.; 1082 sqq.; art. Imposition des mains, col. 1343-1393.

^u *D'Alès*, De bapt. et confirm., th. 14, Prolegom., Paris, 1927, p. 181 sq.

^a Cf. *Did. Thiol. Cath.*, art. Confirmation, col. 1083-1088.

iiam quamdam confirmatoriam cum impositione manuum ministri, per quam adolescens Christianus fidem suam et adhaesionem Ecclesiae, quam per baptismum ingressus est, sponte et publice profitetur. Jam ipse *Chemnitius* (in Examine Cone. Trid.) talem caeremoniam cum manuum impositione commendaverat, imo *Melanchthonius* (cf. art. praec., p. 266) docuit eam ab ipsis Apostolis usitatam fuisse.

INTER THEOLOGOS quatuor de materia proxima Confirmationis numerantur sententiae, quarum ultima, quae stat pro Parte Affirm, hujus articuli, est longe communior et hodie fere unica.²⁰

Ad quarum sententiarum intelligentiam *sedulo notare* juverit directam quaestionem in praesenti non esse quaenam sit materia a Christo instituta, seu utrum reliquerit Ecclesiae potestatem mutandi vel determinandi materiam Confirmationis, nec quaenam fuerit materia valida in variis periodis historiae Ecclesiae seu utrum vel quomodo de facto Ecclesia praedicta potestate usa fuerit, sed quaenam sit saltem nunc materia valida Confirmationis.

PRIMA IGITUR SENTENTIA docet materiam validam et essentialem esse *solam manuum impositionem*, unctionem vero esse tantum accidentalem ritum, additum ad expressiorem significationem sacramentalis effectus.

Citatur pro hac sententia inter antiquiores theologos *Aureolus* qui docet (In 4 Sent., dist. 7, q. 1) chrismationem esse tantum partem integram sacramenti (eo modo quo manus est pars integrans hominis), probabiliter ab ipso Christo vel Apostolis institutam. Eandem sententiam explicitius defenderunt quidam pauci theologi posteriores, nominatim *Js. Habert* et *J. Sirmundus* (in Antirrhético), quorum praecipuae *rationes* sunt silentium Scripturae de chrismatione. praxis priorum saeculorum confirmandi (ut docent) cum sola manuum impositione, impossibilitas mutationis materiae sacramenti per potestatem Ecclesiae, defectus expressionis effectus sacramentalis (i.e. collationis Spiritus S.) in forma quae comitatur unctionem (Signo te signo crucis etc.).

Nihilominus haec sententia nunc derelicta est ab omnibus theologis.

SECUNDA SENTENTIA docet materiam validam esse *solam unctionem*. Ita praecipue *Gregorius de Valentia* (Disp. 5, q. 1, punct. 1), qui vult manuum impositionem fuisse accidentalem caeremoniam ab ipsis Apostolis usitatam et perpetuo servandam; *Ruardus Tapper*, qui

^m *Galtier*, in Diet. Theol. Cath., art. Imposition des mains, col. 1349-1358, exponit varias rationes ex quibus provenit difficultas interpretandi testimonia antiquae Traditionis et consequenter diversitas sententiarum inter theologos.

docet ipsos Apostolos prius sacramentum administrasse sola manuum impositione, postmodum vero sola unctione, quatenus ipsi (et consequenter Ecclesia) acceperint a Christo potestatem utramque materiam juxta opportunitatem adhibendi, ex quo sequi utramque materiam *disiunctive* (i.e. alterutram) esse sufficientem ad valorem sacramenti, juxta constitutum Ecclesiae; *Estius*, qui docet (In 4 Sent., dist. 7, 7) Christum instituisse materiam Confirmationis in genere tantum, Ecclesiam vero ex potestate a Christo accepta eam determinasse, ita ut tempore Apostolorum fuerit manuum impositio, postmodum vero sola unctio; *Galtier*,²¹ qui docet olim apud solos Latinos impositionem manuum fuisse materiam Confirmationis.

Immerito quidam pro hac sententia citant etiam S. Thomam qui quartam sententiam docet. Eam autem tenent communiter doctores *schismatici* orientales.²²

TERTIA SENTENTIA docet materiam validam consistere *copulative in unctione et in manuum impositione quae ab unctione distinguitur* quaeque dici solet prima manuum impositio. Ita *quidam* quos tacito nomine memorat nec reprobatur *Vitasse*,²³ pro hac sententia S. Alphonsus citat *Juénin*, *Concinam* et *Card. Gotti*, eamque probabilem dicunt *Tournely* et *Bilhiart*.

QUARTA SENTENTIA docet materiam validam consistere *in unctione et in manuum impositione quae de jacto ab unctione materialiter non distinguitur*.

Observa autem in hac sententia non doceri (ut quidam putant vel defendunt) ideo impositionem manuum esse materiam quia unctio est necessario quaedam manuum impositio (secus esset quaestio de modo loquendi nec ista sententia ullatenus differret a secunda), sed tum unctionem tum manuum impositionem *jormaliter et ratione sui* esse materiam sacramenti, quamvis utraque sit in unica materiali actione copulata, ita nempe ut in hypothesi quod unctio in Confirmatione non requireretur, ipsa manuum impositio per se sola subsisteret ut materia sacramenti.

Haec est sententia communior, et *hodie communis*, quamvis quidam theologi, minus determinate loquentes nec ad expositam observationem attendentes, videantur secundam sententiam docere vel a quibusdam citentur pro secunda ab aliis vero pro quarta sententia.

Eam defendunt S. *Thomas* (hic. a. 2, ubi docet chrisma esse materiam Confirmationis; q. 84, a. 4; In Ep. ad Hebr. 6, lect. 1, ubi docet

²¹In *Diet. Thiol. Cath.*, art. Imposition des mains, col. 1319-24; 1343-93; cf. praecipue 1321-24; 1386, n. 2; 1392 sq., n. 4.

²²Cf. *Jugie*, *Theol. Orient.*, t. 3, c. 3, a. 2.

manuum impositionem esse materiam tum Confirmationis tum Ordinis; Suppi., q. 37, a. 5, ad 1, ubi docet materiam Confirmationis esse impositionem manuum et unctionem), *Suarez* (In 3 p., disp. 33, sect. 4, n. 4), *Bellarmino*, *Wirceburgenses*, *Billuart*, *S. Alphonsus* (*Theol. Mor.*, l. 5, tract. 2, c. 2, dub. 1, n. 164, ubi ait se hanc sententiam ut certissimam elegisse postquam per quindecim dies desudasset perlegendo canones et scriptores), *Perrone*, *De Augustinis*, *Hurter*, *Pesch*, *Hugon*, *Fr. Diekamp*, *D'Alès*, *Billot*, *Hervé*, *Cappello*.

Ex his quidam addunt materiam semper fuisse unctionem, ita ut etiam Apostoli per unctionem confirmarent, quamvis, ut docet S. *Thomas*, ex speciali potestate Apostolis a Christo collata, ipsi quandoque Spiritum S. seu *rem* hujus sacramenti (gratiam sacramentalem) conferrent etiam extrasacramentaliter, ut cum "ad impositionem manus apostolorum, et etiam ad eorum praedicationem descendebat plenitudo Spiritus sancti super fideles sub visibilibus signis, sicut et a principio descenderat super apostolos" (hic a. 2, ad 1). Alii (ut *Billot* et *Hugon*) vero dicunt materiam primitus fuisse solam manuum impositionem, postmodum vero solam unctionem ex constituto potestatis Ecclesiae mutantis materiam et formam sacramentorum.

Nota Theologica.

Quamvis Magisterium Ecclesiae *non definierit* quaenam sit essentialis materia Confirmationis (unicum enim documentum quod directe hanc materiam proponit est *Deer*, pro Armenis *Cone. Flor.*, de quo non certo constat utrum sit definitio dogmatica) tamen, ut scito animadvertit *Catechismus Cone. Trid.*, eam consistere *in unctione chrismatibus* perpetuo Ecclesia docuit (cf. praecipue *Cone. Lugd.*, *Flor.*, et *Trid.*). Unde non videtur id nunc liberae discussioni relinqui aut sine *aliqua nota temeritatis* negari posse. *Suarez* id dicit de fide, *Hervé* theologice certum, *Bellarmino* et *S. Alphonsus* certissimum. *Tanquerey* certo tenendum, *Valentia* et *Benedictus XIV* extra controversiam. *Cappello* tale ut contraria sententia vera probabilitate careat, *Merkelbach* tale ut contrarium sit certo falsum nec bene componi possit cum can. 2 *Cone. Trid.*

Requiri autem *consignationem* seu unctionem frontis in forma crucis, *impositionem manuum*, eamque *non ab ipsa unctione distinctam*, est minus certum sed communius docetur a theologis.

Documenta Ecclesiae.

Cone. Illiberitanum (circa a. 300) et *Cone. Arelatense* (a. 314) cit. in art. praec., in argumento Traditionis, p. 271 sq.

De *Silvestro Papa* (a. 313-335) Liber Pontificalis testatur: “Constituit *chrisma* ab episcopis confici, et privilegium episcopis, ut baptizatum *consignent*, propter haereticam suasionem. Hic et hoc constituit, ut baptizatum linet presbyter *chrisma* levatum de aqua, propter occasionem transitus mortis”.

Cone. Laodicense (circa a. 370), *can. 7*: ‘Oportet eos, qui apud illos [Novatianos] fideles dicebantur [si converti vellent], fidei symbola discentes et sancto *chrismate* inunctos sic sancto mysterio communicare.” *Can. 48*: ‘Oportet eos, qui illuminantur, post baptismum *inungi supercaelesti chrismate* et esse Christi participes.”

Cone. Hispalense II (a. 619), *can. 7*: “Quamvis presbyteris cum episcopis plurima ministeriorum communis sit dispensatio, quaedam novellis et ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint: sicut presbyterorum et diaconorum ac virginum consecratio; sicut constitutio altaris, benedictio vel *unctio*: siquidem nec licere eis ecclesiam vel altarium consecrare, nec *per impositionem manus* fidelibus baptizatis vel conversis ex haeresi Paraclatum Spiritum tradere, nec *chrisma* conficere, nec *chrismate baptizatorum frontem signare*” (Mansi, 10, 559).

Cone. Toletanum IV (saec. 7), *can. 56*: “De Judaeis autem praecipit sancta synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre . . . Qui autem jampridem ad christianitatem coacti sunt . . . quia jam constat eos *sacramentis* divinis associatos et *baptismi* gratiam suscepisse, et *chrismate tinctos* esse, et *corporis Domini et sanguinis* existisse participes, oportet ut fidem etiam quam vi vel necessitate susceperunt, tenere cogantur” (M.L. 130, 476).

Cone. Toletanum XI (a. 675), *cap. 8*: “Quidquid *invisibilis gratiae collatione* tribuitur, nunquam quaestu vel quibuslibet praemiis vendari poenitus debet . . . quicumque deinceps in ecclesiastico ordine constitutus, aut pro *baptizandis consignandisque* fidelibus, aut collatione *chrismatis* vel *promotionibus graduum*, pretia quaelibet vel praemia, nisi voluntarie oblata pro hujusmodi ambitione susceperit” (M.L. 130, 544 sq.).

Cone. Cabillonense II (a. 813), *can. 27*: “Dictum nobis est quod quidam de plebe bis et ter ab episcopis, ignorantibus eisdem episcopis, confirmantur. Unde nobis visum est *eandem confirmationem sicut nec baptismum iterari minime debere*” (Cavallera, 1073).

Innocentius III, Professio fidei Waldensibus praescripta: “Confirmationem ab episcopo factam, *id est impositionem manuum*, sanctam et venerande esse accipiendam censemus” (Denz. 424).

Idem, *Ep. ad Basilium* archiep. Trinovitanum: “*Per frontis chrismationem manus impositio designatur, quae alio nomine dicitur confirmatio*, quia per eam Spiritus Sanctus ad augmentum datur et robur. Unde cum ceteras unctiones simplex sacerdos vel presbyter valeat exhibere, hanc non nisi summus sacerdos i.e. episcopus debet conferre, quia de solis Apostolis legitur quorum vicarii sunt episcopi, quod *per manus impositionem* Spiritum Sanctum dabant” (Denz. 419).

Idem, *Ep. ad Vicarium suum Constantinopolitanum*: “Pervenit sane ad audientiam nostram quod quidam simplices sacerdotes apud CP. ea sacramenta praesumunt fidelibus exhibere quae ab Apostolorum tempore rite fuerunt solis pontificibus reservata, ut est sacramentum confirmationis, quod *chrismando renatos soli debent episcopi per manus impositionem conferre* . . . Discretionis tuae per apostolica scripta praecipiendo mandamus quatenus omnibus latinis presbyteris apud CP. constitutis districte prohibeas ne talia de cetero sua temeritate praesumant” (Cavallera, 1074).

Haec duo documenta inserta sunt in *Corpore Juris Can.* (Decret., 1.1, tit. 15, c. 1, 7; ibid., tit. 4, c. 4).

Innocentius IV, Ep. ad Legat, apud Graecos, a. 1254: “4. Soli autem Episcopi *consignent Chrismate in frontibus* baptizatos, quia huius unctionis non debet nisi per Episcopos exhiberi. Quoniam soli Apostoli, quorum vices gerunt Episcopi, *per manus impositionem, quam confirmatio vel frontis chrismatio repraesentat*, Spiritum sanctum tribuisse leguntur.— 5. Singuli quoque Episcopi in suis ecclesiis, in die Coenae Domini, possunt, secundum formam Ecclesiae, *Chrisma conficere, ex balsamo quidem et oleo olivarum*. Nam *Spiritus sancti donum in Chrismatis unctione confertur*. Et Columba utique, quae ipsum designat Spiritum, olivae ramum ad arcam legitur retulisse. Sed si suum antiquum ritum in hoc Graeci potius servare voluerint, videlicet quod Patriarcha una cum Archiepiscopis et Episcopis eius suffraganeis, et Archiepiscopi cum suffraganeis suis, simul *Chrisma conficiant*, in talium consuetudine tolerentur” (Denz. 3041).

Cone. Lugd. II, Professio fidei Michaelis Palaeologi, cit. in art. praec., p. 266.

Clemens VI, Ep. ad Consolatorem, Catholicon Armenorum, a. 1351: “Responsiones dedisti, quae nos inducunt, ut a te sequentia requira-

mus: Primo de *consecratione chrismatis*, si credis, quod per nullum sacerdotem, qui non est episcopus, chrisma potest rite et debite consecrari.

“Secundo, si credis, quod sacramentum confirmationis per alium quam per episcopum non potest ex officio ordinarie ministrari.

“Tertio, si credis, quod solum per Romanum Pontificem, plenitudinem potestatis habentem, possit dispensatio sacramenti confirmationis presbyteris, qui non sunt episcopi, committi.

“Quarto, si credis, quod *chrismati* per quoscumque sacerdotes, qui non sunt episcopi neque a Romano Pontifice super hoc commissionem seu concessionem aliquam receperunt, iterum per episcopum vel episcopos sint *chrismandi*” (Denz. 571-574).

Cone. Flor., Decr. pro Armenis: “Secundum sacramentum est Confirmatio; *cuius materia est chrisma conjectum ex oleo*, quod nitorem significat conscientiae, *et balsamo*, quod odorem significat bonae famaе, *per episcopum benedicto . . . Loco . . . illius manus impositionis* [per quam ab Apostolis Spiritus Sanctus dabatur] *datur in Ecclesia confirmatio . . . Effectus autem huius sacramenti est*, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen. Ideoque *in fronte*, ubi verecundiae sedes est, *confirmandis inungitur*, ne Christi nomen confiteri erubescat et praecipue crucem eius, quae ‘Iudaeis quidem (est) scandalum, Gentibus autem stultitia’ [cf. 1 Cor 1, 23], secundum Apostolum; propter quod *signo crucis signatur*” (Denz. 697).

Cone. Moguntinum (a. 1549), *cap. 18*: “Hoc sacramentum ab initio sola manuum impositione exhibitum, mox sub ipsis temporibus apostolorum ex eorumdem traditione, adhibita chrismatis unctione coepisse conferri” (Labbe, *Sacr. conc.*, t. 14, p. 676).

Cone. Trid., sess. 7, can. 2 de Confirm.: “Si quis dixerit, iniurios esse Spiritui Sancto eos, qui sacro confirmationis *chrismati virtutem aliquam* tribuunt: A.S.” (Denz. 872).

Catechismus Conc. Trid., p. 2, c. 3, q. 7 sq., solum chrisma (ac proinde eiusdem applicationem seu unctionem) materiam huius sacramenti esse docet. Addit autem: “Quod autem ea sit huius sacramenti materia . . . *sancta ecclesia et concilia perpetuo docuerunt*”.

Benedictus XIV, Constit. “Etsi pastoralis” pro Italo-Graecis, a. 1742: “Episcopi Latini infantes seu alios in suis dioecibus baptizatos

a presbyteris Graecis absolute *chrismate in fronte consignatos confirmant*: cum neque per praedecessores nostros neque per Nos Graecis presbyteris in Italia et insulis adiacentibus, ut infantibus baptizatis sacramentum confirmationis conferant, facultas concessa sit aut concedatur” (Denz. 1458).

Idem, *Encycl. “Ex quo primum”* ad episcopos graecos (a. 1756), §51: “Nemini fas est asserere in ecclesia graeca non adesse sacramentum confirmationis [propter defectum nempe impositionis manuum]. Si quis enim hanc opinionem tueretur, huic manifesto obstaret vetus orientalis disciplina, quam apostolica sedes optime perspectam habuit nec umquam damnavit aut improbavit.”

Idem in eadem *Encycl.* ait: “Quod itaque *extra controversiam est*, hoc dicatur: nimirum in Ecclesia latina Confirmationis sacramentum conferri adhibito sacro chrismate sive oleo olivarum balsamo commixto, ductoque signo crucis per sacramenti ministrum in fronte suscipientis, dum idem minister formae verba pronuntiat”.

Idem, ut doctor privatus, docuerat: “Quum huius modi agendi ratio [i.e. chrismandi etiam eos qui primae manuum impositioni non interfuerint] communiter recepta sit et passim servetur, nemine penitus contendente, propterea nullum irritumque esse confirmationis sacramentum sic administratum, satis id est ad evincendum manuum extensionem, quae fit ab episcopo super confirmandos, *neque reipsa esse neque censerī eam manuum impositionem, quae ad validitatem sacramenti requiritur*” (*De syn. dioec.*, l. 13, c. 19, n. 17).

S.C. Prop. Fide, 6 aug. 1840 (Collect., n. 905) citatam sententiam Benedicti XIV suam fecit, negans repetendam esse condicionate Confirmationem in qua prima manuum impositio omissa fuerit. Item *S.C. Officii, 11 april. 1872* (Collect. Prop. Fide 2, η. 1383) et *22 mart. 1892*, declaravit valide confirmatos eos qui primae manuum impositioni aut ultimae Episcopi benedictioni non interfuerint, eo quod istae sint *merae caeremoniae*.

Codex J.C., can. 780 cit. in *Statu Quaest.*, p. 277.

Scriptura.

In sacris litteris tantummodo de *manuum impositione* certa mentio habetur (*ACT.* 8, 17; 19, 6); attamen, attenta posteriori traditione quae logice cum apostolica doctrina conjugenda est, probabiliter ad *unctionem* confirmatoriam referendi sunt textus *2 Cor. 1, 21 sq.* et *1 Joan. 2, 20, 27*, eo vel magis quod ita eos interpretantur plures Patres (cf. Theodoretum, In 2 Cor.; Cyrillum Hier., *Catech. Myst.* 3; Am-

brosium, De myst. 7, 42 supra cit.). Unde exaggerare videntur quidam theologi, ut *Galtier*,²³ qui ab his textibus talem sensum prorsus excludunt.

Nec inepte theologi orientales repetunt originem formae graecae (Signaculum doni Spiritus S.) ex *2 Cor. 1, 21 sq.*, et plures theologi catholici ad ipsam consignationem in forma crucis quae fit in Confirmatione referunt eundem textum et *Eph. 1, 13; 4, 30*.

Ut dictum est in Introd. tractatus (p. 258), Patres etiam in A.T. varios typos materiae hujus sacramenti inveniunt.

Patres.

Theophilus, ad Autol. 1, 12 cit. in art. praec., p. 269.

Irenaeus, Adv. haer. 1, 21, 3 cit. ibidem, p. 270.

Tertullianus, Cont. Marcion. 3, 22, ait omnes fideles esse “*signatos illa nota . . . de qua Ezechiel (ix, 4) : ‘Dicit Dominus ad me: Pertransi medio portae in media Jerusalem, et da signum Tau in frontibus virorum’*. Ipsa est enim littera Graecorum Tau, nostra autem T, *species crucis*, quam portendebat futuram *in frontibus nostris* apud veram et catholicam Hierusalem” (M.L. 2, 381). Ibidem ad Confirmationem se refert cum ait: “*Signaculum frontium* et Ecclesiarum sacramenta” (ibid., 381 sq.).

Cf. textus cit. in art. praec., i.e. *De bapt. 7; Cont. Marcion. 1, 14; De resurr. earn. 8; De praescr. 36*.

Hippolytus, Traditio Apostolica: “Et postea, cum ascenderit [de lavacro], ungueatur a presbyterio de illo oleo quod sanctificatum est, dicente: ‘Ungueo te oleo sancto in nomine Iesu Christi.’ Et ita singuli detergentes se iam induantur et postea in ecclesia ingrediantur. Episcopus vero *manum illis imponens* invocet dicens: ‘Domine Deus, qui dignos fecisti eos remissionem mereri peccatorum per lavacrum regenerationis Spiritus Sancti, immitte in eos tuam gratiam . . .’ Postea *oleum sanctificatum infundens de manu et imponens in capite*, dicat: ‘Ungueo te sancto oleo in Domino Patre omnipotente et Christo Iesu et Spiritu Sancto.’ Et *consignans in frontem*, offerat osculum et dicat: ‘Dominus tecum.’ Et ille qui signatus est. dicat: ‘Et cum spiritu tuo.’ Ita singulis faciat” (Fragm. Veronensia latina, ed. Hauler, Lipsiae, 1900, p. 111).

Cf. *In Dan. 1, 16* cit. in art. praec., p. 270.

Cornelius Papa, Ep. ad Fabium, 4 cit. in art. praec., p. 270 sq.

a In *Diet. Thiol. Caih.*, art. Imposition des mains, col. 1369.

Cyprianus. Cf. *Ep.* 70, 2; 73, 9; 73, 21; 74, 7 citatas in art. praec., ibidem.

Anonymus De rebapt. 3: *¶Per manus impositionem* episcopi datur unicuique credenti Spiritus sanctus, sicut apostoli circa Samaritanos post Philippi baptismum manum eis imponendo fecerunt, et hac ratione Spiritum sanctum in eos contulerunt” (M.L. 3, 1236).

Firmilianus, Inter epp. Cypriani 75, 7 cit. in art. praec., p. 271.

Canones Hippolyti (ante a. 235) 134-141: “Ubi ex aqua ascendit, presbyter prendit chrisma eucharistiae, et signat frontem et os et pectus eius signo crucis ungitque totum corpus eius et caput et faciem eius, dicens: ‘Ego te ungo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti/ Deinde panno eum abstergit . . . et vestibus indutum in ecclesiam introducit. Ibi episcopus *manum imponens* omnibus qui baptizati sunt, haec orat dicens: ‘Benedicimus tibi, omnipotens Domine Deus, quia hos dignos reddidisti qui iterum renascerentur et super quos Spiritum tuum Sanctum effundis, ut iam uniti sint corpori Ecclesiae nunquam separandi operibus alienis. Da potius, quibus iam dedisti remissionem peccatorum, etiam arrhabona regni tui per DNIC., per quem tibi cum ipso et cum Spiritu Sancto gloria in saecula saeculorum. Amen/ Deinde *insignit frontes eorum signo caritatis*, osculaturque eos dicens: ‘Dominus vobiscum.’ Et baptizati respondent: ‘Et cum spiritu tuo’. Sic in singulis qui baptizati sunt facit.”

Constitutiones Ecclesiae Aegyptiacae (circa a. 300): “Deinde ex aqua exeant, et presbyter eum ungat oleo gratiarum actionis, dicens: ‘Ungo te oleo sancto in nomine Iesu Christi.’ Eodem modo reliquos singulos ungit ac vestit, et in Ecclesiam intrent. Episcopus *manum super eos ponat* cum desiderio, sic dicens: ‘O Domine ac Deus, sicut hos dignatus es remissionem peccatorum in saecula futura accipere, ita eos fac dignos qui repleantur Spiritu tuo Sancto . . . Et *fundit oleum gratiarum actionis in manum suam et ponit manum in capite eius*, sic dicens: ‘Ungo te oleo sancto per Deum Patrem omnipotentem et Iesum Christum et Spiritum Sanctum.’ Et *signet super frontem eius*, in os eum osculans, et dicat: ‘Dominus tecum.’ Et qui signatur respondeat: ‘Et cum spiritu tuo.’ Sic facit unus quisque cum reliquis” (ed. Funk, 16 (46), 17-21, p. 110 sq.).

Ephrem, In Joel. 2, 24 cit. in art. praec., p. 272 sq.

Hilarius, In Matth., c. 19, 3 cit. ibidem.

Cyrillus Hier., Catech. 21, 3 cit. ibidem.

Basilii, De Spiritu S., 27, 66: “Ex asservatis in ecclesia dogmatibus et praedicationibus alia quidem habemus e doctrina scripto prodita, alia vero nobis in mysterio tradita recepimus *ex traditione apostolorum* . . . Benedicimus autem et aquam baptismatis et *oleum unctionis*, immo ipsum etiam qui baptismum accipit; ex quibus scriptis? Nonne a tacita secretaque traditione? Ipsam vero *olei unctionem* quis sermo scripto proditus docuit?” (M.G. 32, 188).

Sacramentarium Serapionis, 25, 1 sq. cit. in art. praec., p. 273.

Padanus, Serm. De bapt. 6: “Haec autem compleri alias nequeunt, nisi *lavacri et chrismatis et antistitis sacramento*. Lavacro enim peccata purgantur; *chrismate sanctus Spiritus stiperfunditur*; utraque vero ista, *manu* et ore antistitis impetramus: atque ita totus homo renascitur et innovatur in Christo” (M.L. 13, 1093).

Cf. *Ep. 1*, 6 cit. in art. praec., p. 273.

Optatus Mil., De schism. Donat. 4, 7: “Descendit [Christus] in aquam, non quia erat quod in Deo mundaretur, sed superventurum *oleum* aqua debuit antecedere, ad mysteria initianda et ordinanda, et implenda baptismatis . . . Apertum est coelum Deo patre *ungente*, spiritale *oleum* statim in imagine columbae descendit, et insedit capiti ejus, et perfudit oleo, unde coepit dici Christus, quando unctus est a Deo Patre; cui ne *manus impositio ei* defuisse videretur, vox audita est Dei de nube dicentis: ‘hic est Filius meus, de quo bene sensi, hunc audite’ (Matth. iii, 17)” (M.L. 11, 1040).

Ibid., 7, 4: “*Oleum* . . . simplex est, et nomen suum unum et proprium habet: confectum jam *chrisma* vocatur, *in quo est suavitas, quae cutem conscientiae mollit*, exclusa duritia peccatorum: quae animum innovat lenem: quae sedem Spiritui Sancto parat, ut invitatus illic, asperitate fugata, libenter inhabitare dignetur. Haec est suavitas olei, quam possunt muscae moriturae corrumpere. Si nos [Catholici] exterminaremus a vobis [Donatistis] confectum oleum, merito nos muscas morituras appellare possetis: sed dum quod a vobis unctum est, *tale servamus*, quale suscipimus; muscae moriturae esse non possumus. Sed . . . vos exterminatis in rebaptizatione suavitatem olei illius quod in nomine Christi confectum est. . . Vos exterminatis rem ubi oleum fuit et suavitas. Nos quomodo potuimus corrumpere suavitatem, quae ante nos a nullo confecta est? seduxistis homines, *rebaptizastis, iterum unxistis*. Proh dolori non sine morte vestra, exterminastis quod fuerat de nomine Christi confectum, more muscarum, quae pereuntes exterminant” (M.L. 11, 1090).

Ambrosius, De myst. 7, 42: “Accepisti signaculum spiritale, spiritum

sapientiae et intellectus, spiritum consilii atque virtutis, spiritum cognitionis atque pietatis, spiritum sancti timoris (Isa. xi, 2): . . . serva quod accepisti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus; et dedit pignus Spiritus in cordibus tuis, sicut Apostolica lectione didicisti (II Cor. i, 21, 22)” (M.L. 16, 419).

Anonymus De sacramentis, 3, 2 cit. in art. praec., p. 272.

Innocentius I, Ep. ad Decentium cit. ibidem.

Testamentum D.N.J.C. (post a. 400): “Cum itaque congregati simul fuerint in ecclesia, episcopus *imponat super illos manum* et dicat sic proferens super illos . . . Similiter *oleum infundens et manum super caput eius imponens* dicit: ‘Ungendo ungo in Deo omnipotenti, in Christo Iesu et in Spiritu Sancto, ut sis operarius habens fidem perfectam et vos ipsi gratum.’ Et *signans illum in fronte*, det ipsi pacem, dicens: ‘Deus humilium sit tecum.’ Et qui obsignatur, respondeat: ‘Et cum spiritu tuo.’ Et ita cum singulis faciat” (ed. Rahmani, l. 2, c. 9, p. 131).

Hieronymus, Adv. Lucif. 8 cit. in art. praec., p. 273.

Augustinus, In Psal. 141, n. 9: “Usque adeo de cruce non erubesco, ut non in occulto loco habeam *cruce Christi, sed in fronte portem*. Multa *Sacramenta* aliter atque aliter accipimus: quaedam, sicut nostis, ore accipimus, quaedam per totum corpus accipimus. Quia vero in fronte erubescitur, ille qui dixit, ‘Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam eum coram Patre meo, qui in coelis est’ (Luc. ix, 26); ipsam ignominiam quodam modo, quam Pagani derident, in loco pudoris nostri constituit” (M.L. 37, 1839).

Idem, *In Joan., tract. 118, η. 5*: “Quid est, quod omnes noverunt, Signum Christi, nisi crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aquae ex qua regenerantur, sive oleo quo chrismate unguentur, sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum rite perficitur . . . Per cruce Christi . . . in celebratione *Sacramentorum* ejus bonum nobis omne signatur” (M.L. 35, 1950).

Idem, *De Trinit. 15, 26, 46*: “Non utique oleo visibili, sed *dono gratiae*, quod visibili significatur unguento quo baptizatos ungit Ecclesia” (M.L. 42, 1093).

Idem, *In 1 Joan., tract. 3, 5*: “Unctio spiritualis ipse Spiritus sanctus est, cuius *sacramentum est in unctione visibili*”. (M.L. 35, 2000).

Idem, *ibid. 6, 10*: “Numquid modo quibus *imponitur manus* ut accipiant Spiritum sanctum, hoc expectatur, ut linguis loquantur? Aut quando imposuimus manum istis infantibus, attendit unusquisque vestrum utrum linguis loquerentur; et cum videret eos linguis non loqui,

ita perverso corde aliquis vestrum fuit ut diceret: Non acceperunt isti Spiritum sanctum” (M.L. 35, 2025).

Idem, *Serm. 227* Ad infantes: “Accessit Baptismum et aqua; quasi conspersi estis, ut ad formam panis veniretis. Sed nondum est panis sine igne. Quid ergo significat ignis? Hoc est *Chrisma*. Oleum etenim ignis nostri, *Spiritus sancti est sacramentum*” (M.L. 38, 1100).

Cyrillus Alex., In Joel. 32 cit. in art. praec., p. 274.

Leo M., Serm. 4, 1 (De natali ipsius 4): “Omnes ... in Christo regeneratos, *crucis signum* efficit reges, sancti vero *Spiritus unctio* consecrat sacerdotes: ut praeter istam specialem nostri ministerii servitutum, universi spiritalis et rationabiles Christiani agnoscant se regii generis, et sacerdotalis officii esse consortes” (M.L. 54, 149).

Gelasius Papa (circa finem saec. 5), *Epist. 9, 6* (ad episcopos Lucaeniae): “Nec minus etiam presbyteros ultra modum suum tendere prohibemus; nec episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere: non *conficiendi chrismatis*, non *consignationis* pontificalis adhibendae sibi met arripere facultatem” (M.L. 59, 50).

Prudentius, Psychomachia, 360 sq.: “*Inscripta oleo frontis signacula*, per quae unguentum regale datum est, et chrisma perenne” (M.L. 60, 50).

Gregorius M., In Evang., hom. 1, 17 sq.: “Per nos quidem fideles ad sanctum baptismum veniunt, nostris precibus benedicuntur, et *per impositionem nostrarum manuum* a Deo Spiritum sanctum percipiunt” (M.L. 76, 1148).

Idem, *Epp., I. 4, ep. 9* ad Januarium episc. Caralitanum: “Episcopi baptizatos infantes signare bis in frontibus chrismate non praesumant; sed presbyteri baptizandos ungant in pectore, ut episcopi postmodum ungere debeant in fronte” (M.L. 77, 677).

Idem, *ibid., ep. 26* ad eundem Januarium: “Pervenit quoque ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros chrismate tangere eos qui baptizati sunt prohibuimus. Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiae nostrae fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizandos chrismate tangere debeant concedimus” (M.L. 77, 696).

Isidorus Hisp., Etym. 6, 19, 50-54: “Chrisma Graece, Latine *unctio* nominatur, ex cuius nomine, et Christus dicitur, et homo post lavacrum sanctificatur. Nam sicut in baptismo peccatorum remissio datur, ita per unctionem sanctificatio spiritus adhibetur, et hoc de pristina disciplina, qua ungi in sacerdotium et in regnum solebant, ex quo et

Aaron a Moyses unctus est. Quae dum carnaliter fit, spiritualiter proficit; quomodo et in ipsa baptismi gratia visibilis actus est quod in aqua mergimur, sed spiritalis effectus quod delictis mundamur. Hoc significat illud unguentum quod peccatrix mulier super pedes, et ea quae dicitur non fuisse peccatrix super caput Jesu fudisse scribuntur. *Manus impositio* ideo fit, ut per benedictionem advocatus invitetur Spiritus sanctus. Tunc enim ille Paracletus, post mundata et benedicta corpora, libens a Patre descendit, et quasi super baptismi aquam, tanquam super pristinam, sedem recognoscens, quiescit. Nam legitur quod in principio aquis superferebatur Spiritus sanctus” (M.L. 82, 256).

Idem, *Eccl. off. 2, 27*: “*De manuum impositione, vel confirmatione.* 1. Sed quoniam post baptismum per episcopos datur Spiritus sanctus *cum manuum impositione*, hoc in Actibus apostolorum apostolos fecisse meminimus. . . 4. Hoc autem solis pontificibus deberi, ut vel *consignent*, vel ut Paracletum Spiritum tradant, quod non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et superior illa lectio Actuum apostolorum, quae asserit et Petrum et Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum (Act. viii). Nam presbyteris, seu extra episcopum, sive praesente episcopo, cum baptizant, chrismate baptizatos *ungere* licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum, non tamen *frontem ex eodem oleo signare*, quod solis debetur episcopis, cum tradunt Spiritum Paracletum” (M.L. 83, 824 sqq.).

Idem, *Etym. 6, 19, 39-41* cit. in tractatu De sacr. in gen., art. 1, p. 44 sq.

Beda, In Cant. (1, 12) 2: “In vineis Engaddi, ut praefati sumus, balsamum gignitur, quod in chrismatis confectione, liquori olivae admisceri, ac pontificali benedictione solet consecrari, quatenus fideles omnes *cum impositione manus* sacerdotalis, qua Spiritus sanctus accipitur, *hac unctione signentur*” (M.L. 91, 1097 sq.).

Idem, *In Marc., 1, 1*: “Quod in [Christum] baptizatum descendere visus est Spiritus, signum erat conferendae nobis in baptismo gratiae spiritalis, quibus in remissionem peccatorum ex aqua et Spiritu regeneratis amplior ejusdem Spiritus *gratia per impositionem manus* episcopi solet coelitus dari” (M.L. 92, 138).

Idem, *In psal. 26*: “Nunc . . . in *sacramento olei et chrismatis ungi-mur*, per quod sacramentum quiddam mirum et ineffabile, quod in fine futuri sumus significatur [i.e. unctio gloriae] . . . Dominus animam meam, quae prius in tenebris infidelitatis fuit, illuminavit per notitiam fidei, datam mihi, et in *prima unctione olei*, quando Satanae et pompis ejus abrenuntiavi: et in *secunda unctione chrismatis*, quando nominis ejus manifeste professor fui. . . Sciendum autem quod *illa unctio quae per manuum impositionem* ab Episcopis, quasi *alia a duabus praedictis*,

et *vulgo confirmatio dicitur*, eadem est [materialiter nempe quantum ad ritum] cum secunda, propter arrogantiam tamen non concessa est singulis sacerdotibus sicut et multa alia” (M.L. 93, 613 sq.).

Idem, *In 1 Joan. 2* cit. in art. praec., p. 274.

SACRAMENTARIUM GELASIANUM: “Postea cum ascenderit a fonte infans signatur a presbytero in cerebro de chrismate, his verbis: ‘Deus, omnipotens Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te linit *chrisma salutis* in Christo Jesu Domino nostro in vitam aeternam.’ Resp. ‘Arnen.’ Deinde ab episcopo datur eis Spiritus septiformis. Ad *consignandum imponit eis manum* in his verbis: ‘Deus omnipotens Pater Domini nostri Jesu Christi, qui regenerasti famulos tuos ex aqua et Spiritu sancto, quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum, tu, Domine, immitte in eos Spiritum sanctum tuum Paraclitum, et da eis Spiritum sapientiae et intellectus, Spiritum consilii et fortitudinis, Spiritum scientiae et pietatis. Adimple eos Spiritu timoris Dei in nomine Domini nostri Jesu Christi, cum quo vivis et regnas Deus semper cum Spiritu sancto, per omnia saecula saeculorum.’ Resp. ‘Arnen.’ Postea *signat eos in fronte de chrismate* dicens: ‘Signum Christi in vitam aeternam.’ Resp. ‘Arnen.’” (M.L. 74, 1111 sq.).

SACRAMENTARIUM GREGORIANUM: “Ut autem surrexerit a fonte, ille qui eum suscipit, offert eum uni presbytero, qui faciat signum crucis de chrismate cum pollice, in vertice ejus dicens: ‘Deus omnipotens . . .’ Et baptizantur . . . Deinde . . . pontifex . . . veniens ad infantes, tenente archidiacono chrisma, involutis scapulis, et brachiis ex panno lineo, et *levata manu sua super capita* omnium dicit: Omnipotens sempiternae Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos ex aqua et Spiritu sancto, quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum, emitte in eos septiformem Spiritum tuum sanctum paraclitum de coelis, Spiritum sapientiae, et intellectus, Spiritum consilii et fortitudinis, Spiritum scientiae et pietatis; adimple eos Spiritu timoris tui, et consigna eos signo crucis in vitam propitiatus aeternam. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat Deus in unitate ejusdem Spiritus sancti. Per.’ Et interrogantibus diaconibus nomina singulorum pontifex, *tincto pollice in chrismate, facit crucem in fronte* unius, similiter per omnes singillatim” (M.L. 78, 90).

LIBER ORDINUM ECCLESIAE MOZARABICAE: “Quatenus ex hoc lavacri novae vitae sumentes exordium et veteris deponentes elogium, et *per impositionem manuum promerentes Spiritum Sanctum*, et praesentibus careant culpis et muneribus potiantur aeternis . . . Chrismat eum sacerdos, faciens signum crucis in sola fronte . . . Quatenus confirmati in nomine Trinitatis, et *per chrisma Christi* et per Christum mereantur effici christiani . . . Qui renati sunt sacro baptismatis fonte, . . . et qui chrismate delibuti sunt divinae unctionis” (ed. M. Ferotin, Paris, 1904, p. 31. 33. 34. 37).

MISSALE GOTHICOGALLICANUM: “Dum *chrisma eum tangis*, dicis: ‘Perungo te chrisma sanctitatis, . . . tunicam immortalitatis, qua Dominus noster Jesus Christus traditam a Patre primus accepit, ut eam integram et inlibatam perferas ante tribunal Christi, et vivas in saecula saeculorum” (M.L. 72, 275).

MISSALE GALLICANUM VETUS: “Infusio chrismae. Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu sancto, quique tibi dedit remissionem peccatorum, ipse te lenit chrismate suo sancto, ut habeas vitam aeternam in saecula saeculorum” (M.L. 72, 369).

MISSALE BOBIENSE: “Ungis eum de oleo sanctificato, dicens: ‘Ungo te de oleo sanctificato, sicut unxit Samuhel David in regem et prophetam’ . . . Baptizas eum, et dicis: ‘Baptizo te in nomine Patris etc.’ *Suffundis chrisma in fronte ejus*,

dicens: 'Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit per aquam et Spiritum sanctum, quicquid tibi dedit, remissionem peccatorum per lavacrum regenerationis et sanguinem, † ipse te liniat chrismate suo sancto in vitam aeternam' (M.L. 72, 502).

EPISTOLA PSEUDO-MELCHIADIS PAPAE (ante saec. 9) cit. in p. 255 sq. et 260. Ibidem Anonymus prosequitur: "Quoad in confirmandis neophytis manus impositio tribuit singulis, hoc tunc Spiritus sancti descensio in credentium populos donavit universis. Sed quia dicimus quod manus impositio, et confirmatio, et qui jam regeneratus in Christo est confirmare aliquid possit, forte cogitat sibi aliquis: Quid mihi prodest post mysterium baptismatis mysterium confirmationis?" (M.L. 130, 240)

EPISTOLA PSEUDO-FABIANI (ante saec. 9): "Litteris vestris vero inter caetera insertum invenimus quosdam regionis vestrae episcopos a vestro nostroque ordine discrepare, et non *per sirtgidos annos in coena Domini chrisma conficere*, sed duos aut tres annos confectionem sancti chrismatis semel actam conservare. Dicunt enim, ut in memoratis apicibus reperimus, nec *balsamum* per singulos annos posse reperire, nec necesse fore per singulos annos chrisma conficere, sed dum una confectio chrismatis abundat, aliam fieri necesse non habere. Errant enim qui talia excogitant . . . In illa enim die Dominus Jesus, postquam coenavit cum discipulis suis, et lavit eorum pedes, sicut a sanctis apostolis praedecessores nostri acceperunt nobisque reliquerunt, chrisma conficere docuit; ipsa enim lavatio pedum nostrorum significat baptismum, quando sancti chrismatis unctione perficitur atque confirmatur . . . *Ista a sanctis apostolis et successoribus eorum accepimus*, vobisque tenenda mandamus. Haec sancta Romana Ecclesia et Antiochena a tempore apostolorum custodit; haec Hierosolymorum et Ephesianorum tenet, in quibus apostoli praesidentes haec docuerunt" (M.L. 130, 154 sq.).

CAROLI MAGNI CAPITULARIA (Benedicti diaconi collectio), l. 3, n. 423sq.: "Placuit, ut sicut Leonis papae et omnium episcoporum nostrorum atque reliquorum fidelium generali et synodali consultu decrevimus, ut nullus corepiscopus *per manus impositionem Spiritum sanctum tradere*, aut sacerdotes vel levitas aut subdiaconos sacrare, vel virgines velare, aut sanctum chrisma conficere . . . Haec vero omnia a cathedralibus episcopis . . . agenda sunt, et non a presbiteris vel chorepiscopis, qui ambo unius formae esse videntur. Quae si ab eis aut propter imperitiam aut propter praesumptionem acta . . . ab imperitis esse putantur, a cathedralibus tamen episcopis reformanda vel peragenda sunt; quia quae illi in his agere cogitarunt, imperfecta remanserunt . . . quod illi non habuerunt, dare non potuerunt. Episcopi namque non fuerunt; quia nec a tribus episcopis, nec ad aliquam episcopalem cathedram ordinati fuerunt, et ideo ex his nihil agere potuerunt. Et ne alicui talis ordinatio vel confirmatio aut consecratio *reiteratio esse videatur*, attendat illud, quod scriptum est: 'Quod non ostenditur gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum'" (M.L. 97, 851 sq.).

RABANUS MAURUS († 858), *De cleric, inst.*, l. 1, c. 28 De tinctione baptismi, et unctione chrismatis: "Legimus et in Gestis Patrum, quod Silvester papa in Ecclesia romana constituerit, ut sicut potestas et privilegium apud solum episcopum constat, quod sacrum chrisma ipse conficiat, et baptizatum *per manus impositionem cum ipso chrismate consignet* propter haereticam suasionem, ita presbyter eodem chrismate liniat baptizatum levatum ex aqua propter occasionem transitus mortis" (M.L. 107, 313).

WALAFRIDUS STRABO, *De rebus eccl.*, c. 26: "Hujus mystici lavacri, gradatim per temporum augmenta, in majus celebratio crevit. Addiderunt alii *chrismatis unctionem*, quam ex veteri sumptam consuetudine nemo qui dubitet, cum primis temporibus *impositione manuum* baptismum confirmari soleret, quod in Samaria fecisse Petrum legitur et Joannem (Act. viii). Quae confirmatio et tunc ad primos

Ecclesiae pastores pertinuit, et nunc pertinere non dubitatur: unde in canonibus saepe interdicitur presbyteris ne chrisma conficiant, neque baptizatos *in fronte consignent*, quod solis debetur episcopis” (M.L. 114, 957 sq.).

RATRAMNUS, Contra Graecor. oppos., I. 4, c. 7: “Postea vero manus imponentibus super eos apostolis, acceperunt Spiritum sanctum. Quae forma servatur hodieque in Ecclesia, ut baptizentur quidem fideles per presbyteros, gratia vero Spiritus sancti *per impositionem manuum* tribuatur ab episcopis: quod *tunc fit, quando frontes baptizatorum chrismate sancto liniuntur ab episcopis*” (M.L. 121, 332 sq.).

5. *PETRUS DAMIANUS* (j. 1072), *Serm. 69* In dedicatione ecclesiae: “Primum est baptismatis sacramentum . . . Secundum est sacramentum confirmationis. In baptisate Spiritus datur ad veniam, hic ad pugnam; ibi mundamur ab iniquitatibus, hic virtutibus praemunimur. Nonne in superliminari *fronte* domus nostrae terrestris *consecrata manus sacri Chrismatis imprimit unctionem?* Nec quilibet tanti mysterii legitur exsecutor, sed solus episcopus, super cuius caput fustum est unctionis oleum, et cuius ditioni sacerdotalis subditur multitudo” (M.L. 144, 898).

RUPERTUS, De div. off., I. 5, c. 16 De chrismate: “Omnis Ecclesia *unctione chrismatis per impositionem manuum consecratur*. Quod solis debeatur episcopis ut *consignent* et Spiritum Paraclatum tradant, non solum consuetudo Ecclesiae demonstrat, verum et . . . lectio Actorum apostolorum” (M.L. 170, 139).

HUGO VICTORINUS, De sacram., I. 2, p. 7, c. 2: “Manus impositio quae usitato nomine confirmatio vocatur, qua Christianus *unctione chrismatis per impositionem manus in fronte signatur*; solis episcopis apostolorum vicariis debetur, ut Christianum *consignent*, et Spiritum Paraclatum tradant; sicut in primitiva Ecclesia Spiritum sanctum per impositionem manuum dandi soli apostoli potestatem habuisse leguntur” (M.L. 176, 459 sq.).

PETRUS LOMBARDUS (f. 1160), *Sent., I. 4, dist. 7, n. 1:* “Nunc de sacramento Confirmationis addendum est; de cuius virtute quaeri solet. Forma enim aperta est, scilicet verba quae dicit episcopus, cum baptizatos *in frontibus sacro signat chrismate*. Hoc sacramentum ab aliis perfici non potest, nisi a summis sacerdotibus; nec tempore apostolorum ab aliis quam ab ipsis apostolis legitur peractum. nec ab aliis quam ab illis qui locum eorum tenent, perfici potest aut debet. Nam si aliter praesumptum fuerit irritum habetur et vacuum, nec inter ecclesiastica reputabitur sacramenta. Licet autem presbyteris baptizatos tangere in pectore, sed non chrismate signare in fronte. Virtus autem sacramenti est donatio Spiritus sancti ad robur, qui in Baptismo datus est ad remissionem” (M.L. 192, 855).

CONCLUSIO

Materia Proxima Confirmationis Consistit In Sola Chrismatione, I.E. In Signatione Frontis, In Ejusdem unctione Et In Ea Tantum Manus Impositione Quae In Ipsa Signatione Et unctione Includitur.

Probatur.

1 PARS. MATERIA CONFIRMATIONIS CONSISTIT IN SIGNATIONE FRONTIS AD MODUM CRUCIS (a. 9).

1. Consignationem ad modum crucis exigunt ipsa verba *formae* sacramenti “Signo te signo crucis” (quibus aequivalet verbum graecae formae “Signaculum”, cum Christiani omnia signo crucis signarent). In

praedictis autem verbis consistere formam sacramenti probabitur in art. 4.

2. De eadem signatione, et quidem in fronte, loquuntur, eamque impositioni manuum vel unctioni coniungunt, iam prima *Traditionis testimonia* (supra citata) quae hoc sacramentum commemorant, i.e. Tertulliani (qui illud solemniter vocat “Signaculum frontium”), Hippolyti, Cornelii P. et Cypriani. Confer etiam posteriora documenta Firmiliani, Can. Hippolyti, Const. Eccles. Aegypt., Sacram. Serapionis, Ambrosii, Anonymi De sacram., Testamenti D.N.J.C., Innocentii I, Augustini, Gelasii, Prudentii, Gregorii M., Sacram. Gelasiani, Sacram. Gregoriani.

Inde est quod quandoque hoc sacramentum vocetur *consignatio*, sicut chrismatio et manuum impositio (cf. v.g. Sacramentarium Gelasianum et Innocentium I).

3. Signationem frontis praescribunt omnes libri *rituales* utriusque ritus. “Unctio apud omnes Orientales fit in formam crucis, ut expresse ordines praescribunt, saltem in unctione frontis” (Denzinger, Rit. Orient., 1, 59). Quod signum est eam esse de essentia sacramenti.

4. In *documentis ecclesiasticis* signatio frontis reservatur episcopis ac nonnisi aliae unctiones (in capite vel pectore) presbyteris permittuntur.

5. *Rationem convenientiae* signationis frontis assignat 5. *THOMAS* hic *in corpore*:

“In hoc sacramento homo accipit Spiritum sanctum ad robur spiritualis pugnae, ut fortiter, etiam inter adversarios fidei, Christi fidem confiteatur. Unde convenienter signatur chrismate signo crucis in fronte propter duo: *primo* quidem quia insignitur signo crucis, sicut miles signo ducis, quod quidem debet esse evidens et manifestum. Inter omnia autem loca corporis humani maxime frons manifesta est, quae quasi numquam obtegatur; et ideo linitur confirmatus chrismate in fronte, *ut in manifesto demonstret se esse Christianum*, sicut et apostoli post acceptum Spiritum sanctum se manifestaverunt, qui prius in coenaculo latebant.

“*Secundo* quia aliquis impeditur a libera confessione nominis Christi propter duo, scilicet propter timorem, et propter verecundiam. Utriusque autem horum signum maxime manifestatur in fronte, propter duo, scilicet propter propinquitatem imaginationis, et propter hoc quod spiritus a corde directe ad frontem ascendunt; unde ‘verecundati erubescunt, timentes autem pallescunt,’ ut dicitur [Ethic., 1. 4, cap. ult. circa prine.]. Et ideo in fronte signatur chrismate, *ut neque propter timorem, neque propter erubescuntiam* nomen Christi confiteri praetermittat.”

2 PARS. MATERIA CONFIRMATIONIS CONSISTIT LV
UNCTIONE (a. 2).

Id patet tum ex constanti et concordi *praxi utriusque Ecclesiae*, tum ex soleninibus *documentis ecclesiasticis*, praecipue Cone. Lugd. II, Cone. Flor., et Cone. Trid., quae supponunt unctionem non esse accidentalem caeremoniam sed ad essentiam sacramenti pertinere, tum ex constanti mentione unctionis in *Ritualibus*, tum ex constanti et antiquo testimonio *Patrum* qui certo inde a saec. 3 de tali unctione loquuntur, Confirmationem nomine ipso Unctionis vel Chrismatis appellant, unctioni tribuunt proprium effectum Confirmationis, i.e. collationem Spiritus S. et virtutem sanctificativam, eam appellant sacramentum ac sacramentis Baptismi et Eucharistiae aequiparant, eam initerabilem dicunt sicut Baptismum (cf. Optatum, Capitularia Caroli M., Cone. Cabillonense) et ex ejus indole ac proprietatibus indolem et effectus hujus sacramenti illustrant.

Prima Patrum testimonia de unctione exhibentur in supra citatis verbis *Theophili* (saec. 2; ad Autol. 1, 12), *Irenaei* (saec. 2; Adv. haer. 1, 21), *Tertulliani* (saec. 2-3; De bapt. 7; Adv. Mare. 3, 22; De resurr. carnis, 8). Attamen, cum in eis explicite non dicatur per illam unctionem conferri Spiritum S., nequit certo affirmari ipsa referri ad unctionem confirmatoriam distinctam ab alia unctione caeremoniali quae fiebat in ipso Baptismo, quamvis id valde probabile sit, attentis maiori momento illius unctionis prae ista et explicitis testimoniis Traditionis quae inde ab eadem aetate cum Hippolyto incipiunt.

Hippolytus (saec. 2-3) exhibet (Zw *Dan. 1, 16*) primum explicitum testimonium de *unctione per quam Spiritus S. conjertur* quaeque proinde ab unctione baptismali distinguitur utpote habens eundem effectum ac illa manuum impositio per quam ab Apostolis Spiritus S. conferebatur (cf. art. praec., Conci., p. 269). Accedit *Origenes* (saec. 2-3) qui docet (*In Lev., hom. 6, 5; 8, 11*) unctionem esse imaginem inhabitationis Spiritus S. in nobis. Posteriores Patres, praecipue Graeci, frequenter insistent in hanc unctionem collativam Spiritus S.

Sacramentarium Serapionis (saec. 4) in "Oratione in oleum quo unguuntur baptizati" tribuit unctioni divinam operationem et doni Spiritus S. participationem.

Cyrillus Hier. (saec. 4), in *Catech. 21* (Myst. 3) supra cit., quae tota est de Confirmatione, docet quod sicut panis Eucharistiae post consecrationem est corpus Christi ita oleum post invocationem fit donarium Spiritus S.

Innocentius I (initio saec. 5), in *Ep. 25 ad Decentium* supra cit., tradens adaequatam fere doctrinam de Confirmatione, distinguit inter

unctionem baptismalem quam presbyteris permittit et unctionem frontis episcopis reservatam, per quam Spiritus S. traditur. Notetur primam mentionem hujus duplicis unctionis inveniri apud Hippolytum (Trad. Apost. supra cit., p. 286).

Augustinus eandem doctrinam signanter proponit ac perficit, insistent in rationem sacramentalem unctionis quam sacramentum vocat ac Baptismo et Eucharistiae aequiparat (cf. *Cont. Iit. Petii. 2, 104; Trinit. 15, 26, 56; In Joan., tract. 118, 5; ibid., tract. 3, 5; Serm. 227, Ad infantes; De bapt. 3, 16, 21*).

Alia praecipua testimonia de unctione supra citavimus, scilicet Constit. Eccl. Aegyptiacae, Pacianum, Optatum, Testamentum D.N.J.C., Leonem M., Gelasium, Isidorum, Cone. Hispal., Bedam, Sacramentarium Gelasianum, Lib. Ord. Eccl. Mozarabicae, Missalia Gothicogallicanum, Gallicanum vetus et Bobiense, Caroli M. Capitularia, Petrum Damianum, varia documenta Ecclesiae.

Obiciunt quidam *Patres latinos* saepius solam manuum impositionem commemorare.

Attamen iidem Patres in aliis locis etiam chrismationem vel solam chrismationem ut essentiam Confirmationis referunt (cf. supra cit. *Augustinum*, *Cont. Iit. Petii. 2, 104, 239; In 1 Joan., tract. 6, 10; Bedam*, *In Marc. 1, 1; Isidorum*, *Etym. 50, 51; Eccl. offic. 2, 27*).²⁴ Non ergo existimant impositionem manuum esse unicam vel sufficientem materiam sacramenti, sicut nec vicissim Patres graeci, commemorando solam chrismationem, manuum impositionem excludere intendunt; sed tantum nominant partem pro toto, *Latini* quidem potius eligentes manuum impositionem, explicite commemoratam in Scriptura, *Graeci* vero chrismationem, magis concrete et vivide significantem sacramenti effectum; quae ultima consideratio paulatim praevaluit apud ipsos Latinos, ita ut Cone. Flor., et Trid. solam chrismationem commemorarent et theologi communiter manuum impositionem cum ipsa chrismatione identificent. Propterea *Innocentius III* in una et eadem Professione fidei Waldensibus praescripta hoc sacramentum indifferenter vocat Confirmationem, manuum impositionem et frontis chrismationem.

Inepte quidam ex supra citatis verbis Libri Pontificalis deducunt *Silvestrem P.* (a. 313-335) unctionem in hoc sacramentum introduxisse. Non enim ibi dicitur Papam constituisse ipsum chrisma, sed constituisse ut ab episcopis non vero a presbyteris chrisma conficeretur.

Ad validitatem sacramenti requiri ut chrismatio (idem dic de con-

* *Galtier*, in *Diet. Théol. Cath.*, art. Imposition des mains, col. 1369 sqq., vim testimoniorum Patrum latinorum infirmare conatur.

signatione et manuum impositione) fiat *per manus contactum* eruitur tum ex sensu *Traditionis* tum ex eo quod in manus contactu, proprius saltem ac plenius, verificatur *impositio manuum* requisita, ut probabimus, ad valorem sacramenti.

Ratio convenientiae ritus unctionis ostenditur ex multiplici ejusdem usu in Scriptura ad significandam copiam donorum divinatorum.

“Ritus unctionis in VT frequentatur, ex more Orientis: a) post balneum, *Ruth.*, 3, 3; b) erga hospites: 2 *Par.*, 28, 15; c) gaudii causa, 2 *Sam.*, 12, 20; *Dan.*, 10, 3; *Am.*, 6, 6; d) ad ostentationem prosperitatis, laetitiae aut roboris: *Ps.*, 22, 5; 103, 15; *Prov.*, 27, 9; *Eccl.*, 9, 8. Inter praecipua Dei dona censetur unctio, *Iudic.*, 9, 9; *Ps.*, 103, 15; e) ad religiosos usus adhibitus, significat Dei amicitiam et gratiam: *Ps.* 22, 5; 44, 8; 88, 21; 104, 15; 132, 2. Confertur prophetis, 3 *Rg.*, 19, 16; *Is.*, 61, 1; regibus, 7 *Sam.*, 16, 13; 3 *Rg.*, 19, 16; summo sacerdote, *Lev.*, 8, 12; *Ps.* 132, 2; *Eccl.*, 45, 18.

“In NT adhibetur: a) hospitii et honoris causa, *Lc.*, 7, 36-50; *Mt.*, 26, 6-13 = *Mc.*, 14, 3-9 = *Io.*, 12, 1-8; b) ad sananda corpora: *Lc.*, 10, 34 (Samaritanus); *Mc.*, 6, 13; *Iac.*, 5, 14. 15 (unctio infirmorum); *Mc.*, 7, 33; 8, 23; *Io.*, 9, 6-11 (unctio ex sputo); c) ad significandum donum Spiritus Sancti: in Domino, *Lc.*, 4, 18 (*Is.*, 61, 1); *Act.*, 4, 27; 10, 38; *Hb.*, 1, 9 (*Ps.*, 44, 8); in discipulis, 2 *Cor.*, 1, 21. 22; 1 *Io.*, 2, 20, 27. Universim, ritu unctionis significatur copia donorum Dei, sive terrestrium sive etiam caelestium.”²⁵

3 PARS. MATERIA CONFIRMATIONIS CONSISTIT IN EA MANUS IMPOSITIONE QUAE IN IPSA SIGNATIONE ET UNCTIONE INCLUDITUR, NON VERO IN EA QUAE HAS PRAECEDIT.

Primo quidem Confirmationis materiam consistere in quadam manus impositione patet ex *Scriptura* (*Act.* 8, 4-17; 19, 1-6; cf. art. praec., p. 267-269) et ex constanti et antiquissima *Traditione* quae impositioni manuum tribuit collationem Spiritus S. eamque aliis sacramentis aequiparat. Confer supra citat. Tertullianum, Cyprianum, Anonymum De rebapt., Firmilianum, Const. Eccl. Aegypt., Testamentum D.N.J.C., Hieronymum, Augustinum, Gregorium M., Isidorum, Bedam, Sacram. Gelasianum.²⁸

Opponunt quidam verba *Cone. Flor.*: “Loco autem illius manus impositionis [quae fiebat ab Apostolis] datur in Ecclesia confirmatio”. *Attamen*, praetermisso quod ibi non dicatur unctio sed confirmatio, ea

²⁵ u A. D'Alès, De bapt. et confirm., thes. 14, Proleg., 3, Parisiis, 1927, p. 180.

²⁸ Quoad traditionem latinam cf. Galtier, in Diet. Théol. Cath., art. Imposition des mains, col. 1347 sqq.

verba ita intelligi possunt quod non substitutionem sonent sed tantum successionem identici ritus, vel si placet substitutionem diversi nominis ejusdem ritus, ita nempe quod id quod appellabatur manus impositio nunc veniat sub nomine confirmationis.

Opponunt alii praecipue silentium Patrum *Graecorum*.²⁷ *Attamen* hi non solam chrismationem commemorant sed etiam, quamvis rarius quam *Latini*, impositionem manuum (cf. citat. Firmil., Testamentum D.N.J.C.; praeterea Cyrillum Hier., Catech. 16, 26; Const. Apost. 2, 32, 3; 3, 16, 3; 8, 28, 2 sq.; Cyrillum Alex., De ador. in spir. 11; Gennadium; Oecumenium, fragm.; Theodoretum, In Hebr. 6. 1). *Ceterum* tale relativum silentium apte explicari potest ex eo quod, cum bini ritus conveniant in unum, satis fuit illis Patribus unum pro utroque commemorare, unctionem scilicet quae magis eorum considerationem attrahebat, sicut accidit etiam deinceps apud ipsos theologos latinos mediaevales, ut S. *Thomam* qui hic a. 2, solam unctionem, in q. 84. a. 4 vero solam manuum impositionem, in Suppi., q. 37, a. 5, ad 1 tandem utramque considerat.

Ad essentiam Confirmationis non pertinere nisi *eam manuum impositionem quae in signatione et unctione includitur*, patet:

1. *Ex sensu Traditionis*. In hac enim sententia aptius intelligitur quare tam frequenter Patres Confirmationem appellent indifferenter signationem vel chrismationem vel manuum impositionem; quare Cone. Flor. in suo Decreto solam unctionem commemoret et quare Petrus Lombardus, S. Thomas, Bonaventura aliique theologi ejusdem aetatis ad chrismationem fere exclusive attendant cum materiam Confirmationis proponunt. Illae enim tres actiones in unam materialiter coalescunt.

Praeterea, eadem sententia signanter inculcatur in quibusdam *testimoniis Patrum*, uti Hippolyti (Tradit. Apostol.), Constitutionum Eccl. Aegypt., Testamenti D.N.J.C., Gregorii M., Bedae (In Cant. 1, 12), Rabani Mauri, Walafri Strabonis, Ratramni, Ruperti, Hugonis Victorini, et praecipue in verbis *Innocenti III. Innocenti IV, Conc. Lugd. II et Cone. Florentini*.

Praeterea, Pontificale Romanum (cit. in Statu Quaest.), exposito ritu primae manuum impositionis seu extensionis, prosequitur: “Pontifex sedens . . . vel etiam, si multitudo *confirmandorum* id exigent. . . stans cum mitra, illos *confirmat* per ordinem genuflexos, et uno ordine *confirmato*, illi surgunt, et alii genuflectunt, et *confirmantur*”, ac immediate describit ritum unctionis. Ex quo sequitur primam ma-

²⁷ Galtier, l. c., coi. 1321-1324, conatur ostendere ex textibus *Patrum Graecorum* erui non posse impositionem manuum ab eis consideratam fuisse ut materiam Confirmationis.

num impositionem non pertinere ad essentiam sacramenti. Idem non obscure innuitur in *Codice J.C.*, can. 780. 781 (§2) supra cit. et 789 in quo dicitur: “Confirmandi, si plures sint, adsint primae manuum impositioni seu extensioni, nec nisi expleto ritu discedant.”

Praeterea, ut dictum est supra, *Benedicts XIV, Congr. de Prop. Fide* et *S. Officium* declarant ut valide confirmatum habendum esse eum qui chrismationem rite acceperit absque prima manuum impositione.

2. *Verba formae* tam latinae quam graecae (Signo te; Signaculum) soli consignationi chrismativae conveniunt, et consequenter etiam manuum impositioni in ea contentae, nullatenus vero manuum impositioni quae sit ab illa signatione distincta; ergo non in ista sed in illa manuum impositione *materia* sacramenti consistit.

Haec ratio supponit formam Confirmationis consistere in praefatis verbis (cf. infra in art. 4); unde reicitur a patronis primae sententiae qui volunt formam esse orationem quae comitatur primam manuum impositionem.

3. *In ritu graeco*, per quem valide sacramentum administratur (cf. *Benedictum XIV* supra cit.), prima manuum impositio non habetur, sed sola chrismatio. Ergo tantum manus impositio quae in ipsa chrismatione continetur pertinet ad essentiam sacramenti.

Haec ratio supponit Ecclesiam non habere potestatem mutandi materiam et formam sacramentorum, ut probavimus in tract. De sacr. in gen., art. 30; unde non valet in sententia eorum qui talem potestatem defendunt.

Obicit Sirmundus absurdum ac ridiculum somnium esse chrismationem vocari manuum impositionem eo quod fiat per tactum manus, cum eadem ratione etiam unctio baptismalis quae fit in capite necnon Extrema Unctio vocari possent manuum impositio.

Respondetur quod etiam in *Scriptura*, Mare. 7, 32-34 et 8, 22-25, applicatio sputi super linguam surdi et muti ac super oculos caeci vocatur manus impositio. Item *Innocentius III* (Decr., l. 1, tit. 15 supra cit.) non cunctatur dicere: “Per frontis chrismationem manus impositio designatur”. Ipse *Codex J.C.* in can. 789 nuper citato loquens de prima manuum impositione implicite se refert ad chrismationem ut ad secundam impositionem manuum; imo in can. 781 (§2) chrismationem manuum impositionem aequivalenter appellat. Juxta *Pontificale Romanum* episcopus consecrator orat super manus episcopi electi: “Deus, et Pater *D.N.J.C.* . . . te chrismate perfundat . . . quidquid sanctificaveris, sanctificetur; et *consecratae manus istius [in ordinando], vel pollicis [in confirmando] impositio* cunctis proficiat ad salutem”.

Unctio autem baptismalis et Extrema Unctio sunt quaedam manuum impositio seu contactus materialiter tantum, non formaliter quemadmodum chrismatio Confirmationis; ipsae enim formaliter sunt tantum unctiones (quamvis nequeant fieri sine aliquo manus contactu), chrismatio vero formaliter est tum unctio tum impositio manuum, seu est unica actio in qua coalescunt duae actiones formaliter distinctae et ad sacramentum formaliter requisitae, ita ut, in hypothesi quod unctio in Confirmatione non requireretur, ipsa manuum impositio per se sola subsisteret ut materia sacramenti.

Ratio convenientiae impositionis manuum ostenditur ex eius usu in utroque Testamento ad designandam collationem alicuius doni vel potestatis.

“Ritus impositionis manuum habet iam a VT commendationem. Adhibetur: a) ad benedicendum: *Gen.*, 48, 14, de filiis Joseph; b) ad constituendum aliquem in aliquo officio: *Num.*, 8, 10 sqq., consecrantur levitae; 27, 18 sqq., consecratur Iosue a Moyse; cf. *Dt.*, 34, 9; c) in ritu sacrificiorum. *Ex.*, 29, 10. 15. 19; *Lev.*, 1, 4, 10 (LXX); 3, 2. 8. 13; 4, 4. 24. 29. 33; 8, 14. 18; 16, 21; 2 *Par.*, 29, 23; d) in poena sortium aut probatione reorum: *Lev.*, 24, 14; *Dan.*, 13, 34. Omnibus his locis (excepto *Gen.*, 48, 14) adhibetur radix verbi *sdmaE*-inniti unde *semikah*: electio seu consecratio per manus impositionem.

“In NT, adhibetur: a) ad benedicendum: *Mt.*, 19, 15: ἐπι&i -ὰ? χ<>α (τοῖς παιδιοῦ); *Mc.*, 10, 16; b) ad curandos infirmos. Dominus: *Mt.*, 9, 18; *Mc.*, 5, 23; 6, 5; 7, 32; 8, 23. 25; *Le.*, 4, 40; 13, 13; discipuli: *Mc.*, 16, 18; *Act.*, 9, 12. 17; 28, 8. c) ad constituendum aliquem in aliquo officio. *Act.*, 6, 6 (septem diaconi): οὗ ἐστήσαν ἐνώπιον τῶν ἀποστόλων, καὶ προσευχόμενοι ἐπέθηκαν αὐτοῦ: τὰς χεῖρας.; 13, 3 (Saulus et Barnabas): ἰσὸς νηστεύσαντες: καὶ προσευχόμενοι καὶ ἐπιθέντες: τὰ χεῖρα αὐτοῖ: ἀπέλυσαν; 1 *Tim.*, 4, 14; 5, 22; 2 *Tim.*, 1, 6. Universim ritus impositionis manuum significat communicationem alicuius doni seu potestatis a Deo ipso, aut a societate humana, in quam Deus illud donum seu potestatem contulisse censetur.”²⁸

ART. 3. Utrum Materia Remota Confirmationis Sit Chrisma, Seu Oleum Olivarum Balsamo Permixture Et Ab Episcopo Benedictum (a. 2 et 3).

STATUS QUAESTIONIS

Ex eo quod in art. praec. de materia proxima statutum est, eam scilicet consistere in unctione, sequitur materiam *remotam* esse *oleum*

UA. D. Alès, De bapt. et confirm., th. 14, proleg., 2, Parisiis, 1927, p. 179 sq.

(unctio enim definitur infusio seu tinctio olei). Restat igitur ut de qualitate et conditionibus huius olei breviter dicamus, quantum spectat ad validitatem sacramenti.

RITUALE ROMANUM (*Appendix, De Confirmatione, n. 3 sq.*) statuit: "Chrisma, quod huic Sacramento administrando inservit, debet esse ab Episcopo benedictum feria quinta in Coena Domini proxime superiore; neque adhibeatur vetus, nisi necessitas urgeat. Mox, deficienti oleo benedicto aliud oleum de olivis non benedictum adjiciatur, etiam iterato, minore tamen copia. — Chrisma, in Sacramento Confirmationis adhibendum, debet esse ab Episcopo consecratum, etiamsi Sacramentum a Presbytero, ex jure vel ex Apostolico induito, ministretur. Unctio autem ne fiat aliquo instrumento, sed ipsa Ministri manu capiti confirmandi rite imposita." Cf. *Codicem J.C.*, can. 734 et 781 cit. in art. praec., p. 277.

Quaeritur utrum materia Confirmationis sit *chrisma*, quod quamvis ex sensu graecae vocis audiat tantum oleum seu unguentum, tamen juxta usum Ecclesiae inde saltem a saec. 6, (cf. Gregorium M., In Cant. 1, 34; Innocentium III, Ep. ad archiep. Trinovitanum, M.L. 215, 283) a *Cone. Florentino* definitur "Confectum ex oleo . . . et balsamo . . . per episcopum benedictum" (Denz. 697).

Tria ergo agitantur: 1. utrum requiratur *oleum olivarum*; 2. utrum debeat esse *balsamo* permixtum; 3. utrum debeat esse benedictum et quidem ab episcopo.

JUVERIT AUTEM ALIQUID PRAEMITTERE DE SENSU ET USU OLEI, BALSAMI ET BENEDICTIONIS UTRIUSQUETM

1. *OLEUM* (graece ελαιον; ἔλαια?: oliva) dicitur liquor crassus praecipue ad unguendum vel comburendum adhibitum. Distinguitur oleum minerale (petroleum), animale (v.g. oleum butyri liquescentis, oleum piscis) et vegetale (v.g. oleum nucum, oleum amygdalarum, oleum olivarum). *Oleum olivarum*, utpote antiquioris et communioris usus, simpliciter oleum appellari consuevit (cf. a. 2, ad 3; Suppi., q. 29, a. 4) etiam in Scriptura et Traditione.

De usu olei in Scriptura dictum est in art. praec., Conci., p. 298. Praecipue notetur *Jacob* oleo consecrasse *lapidem in titulum* qui vocaretur domus Dei (Gen. 28, 18. 21); in lege mosaica Deum praecepisse "oleum ad *luminaria* concinnanda" (Ex. 25, 6); item unctionem olei olivae cum aromatibus, ab usu profano stricte segregandi, ad sanctificandum *tabernaculum*, arcam, *vasa liturgica* et praesertim ad conse-

TMCf. *Diet. Théol. Cath.*, art. Chrême (Saint), col. 2395-2413.

TMCf. *Sacchum*, Sacrorum claeochrismaton myrothecium, t. 3, Romae, 1625, p. 575.

crandos Aaron eiusque filios necnon alios *pontifices et sacerdotes* (Ex. 29, 7 sq.; 30, 22-38; Lev. 8, 10-13, cf. Psal. 132, 2; Eccli. 45, 18). Unde *in liturgia A.T.* oleum adhibebatur in luminaribus concinnandis, in consecratione ecclesiae seu tabernaculi, in consecratione vasorum, in ordinatione. Ordinatio, ut diximus in tract. De sacr. in gen., art. 40, erat unum ex quatuor sacramentis illius legis, in qua non extabant nec sacramentum Matrimonii nec duo sacramenta quae in unctione consistunt, i.e. Confirmatio et Extrema Unctio.

Ecclesia constanter oleum olivarum adhibuit in suis ritibus, sacramentalibus et *sacramentis*. Utitur quidem *oleo simplici* ad accendendum luminare eucharisticum (cf. Codicem J.C., can. 1271), *oleo benedicto* (cf. Rituale Rom., t. 8, c. 19) quod distribuit fidelibus ut sacramentale et praesertim *triplici oleo consecrato* (seu in Feria V in Coena Domini intra Missam solemniter benedicto et ad sacrandas res vel personas ordinato), i.e. *chrismate* (oleo composito cum balsamo) quod adhibetur in *sacramento Confirmationis*, in consecratione fontis seu aquae Baptismi, in unctione verticali quae sequitur ablutionem Baptismi, in ordinatione episcopi, in consecratione Ecclesiae, altaris, calicis patenae et campanae,³¹ *oleo catechumenorum* quod adhibetur in prima unctione baptismali in pectore et inter scapulas, in ordinatione presbyteri et in coronatione regis,³² et *oleo infirmorum* adhibetur in Extrema Unctione et in benedictione campanae.

Oleum olivarum constanter ab Ecclesia adhibitum fuit *in Confirmatione*. A Patribus *latinis* vocatur *oleum* vel *chrisma*, quae vox prius accipiebatur in sensu unguenti ut vox graeca *χρίσμα* (a *χρίο*: ungo), postmodum vero inde a saec. 6 obtinuit sensum olei cum balsamo, vel plenius cum balsamo et benedictione. A Patribus autem *graccis* vocatur *ἴλαιον, χρίσμα* (unguentum), *μύρον* (unguentum odoratum fluens ex arbore; a *μύρω* fluo); hoc ultimum nomen numquam tribuitur oleo Extremae Unctionis quod semper vocatur *ἴλαιον*.

2. **BALSAMUM** (graece *βάλσαμον*: balsamum; *βάλσαμον*: arbor balsamum fundens; *βάλλω*: mitto, proicio, liquorem effundo vel infundo [Matth. 9,17; 26,12; Mare. 2,22; Apoc. 12,15 sq.]) indicat liquorem quemdam odoratum ex quibusdam arboribus per incisionem obtentum et ab aliis liquoribus aromaticis, similiter ex aliis plantis extractis, bene distinctum eisque praecellens.

Usus aromatum communis et universalis fuit ad ornamentum et praeservationem corporis humani; ipsa cadavera myrrha condiri solent ne putrescant. Ipsius autem *balsami usus* communis fuit apud

³¹Lege pulchra verba *Innocenta III*, Ep. ad archiep. Trinovitanum, in ML. 215, 282 sqq.

³²De hac coronatione confer *Pontificale Rom.* circa finem primae partis; de eodem ritu apud Orientales confer *Jugit*, Thcol. Orient., t. 3, c. 3, a. 3, n. 4.

Orientalibus ad corporis curam (ut post balnea) et medicamentum. Magni prae aliis aestimabatur balsamum *judaicum*, a Graecis ὀποβάλαμον (Mi: succus arboris) vocatum, quod praecipue apud Jericho et Engaddi producebatur.

In *Scriptura* nulla fit directa et specifica mentio balsami; graeca vox numquam habetur, latina vero semel tantum occurrit (Eccli. 24, 20) sed ut versio graecae vocis ἀσπάλθο quae significat generaliter liquorem odoratum. Inter aromata (myrrham, cinnamomum, calamus et casiam; cf. Exod. 11. cc.), quae oleo olivae iungi debebant ad *chrisma A.T.* conficiendum, balsamum non invenitur.

Usus balsami in *Ecclesia* ex origine apostolica repetendus est, non vero ut quidam volunt, ex ecclesiastica institutione saec. 6.

Nam imprimis certus est usus *alienjus liquoris odorati* in confectioe olei Confirmationis *apud Graecos*, ut patet ex voce μύρον (oleum odoratum; cf. Luc. 7, 46) quam adhibent inter alios Cone. Const. II (a. 381; can. 7), Cyrillus Hier. (Myst. 3 cit. in p. 273), Ephrem (In Joel. 2, 24), Pseudo-Dionysius Areop. (De eccl. hier. 4, 4) et antiqua ritualia. Juxta *Pseudo-Dionysium* (saec. 5; infra cit. in conc. 2) chrisma erat quaedam compositio plurium materiarum suaviter olentium. *Basilius* (De Spiritu S., 27, 66 cit. in p. 288) usum hujus olei, quem appellat ελαιον πρὸ χρίσου (oleum unctionis, distinctum proinde a communi ελαιον atque in aliis testimoniis μύρον appellatum), repetit ex apostolica traditione.

Quod autem talis liquor esset saltem *balsamum* patet tum ex hujus usu in Ecclesia latina, tum ex antiquis graecis ritualibus quae inter varia aromata, oleo Confirmationis admiscenda, semper balsamum commemorant, quod constanter servatum est, etiam apud *Graeco-Russos* post separationem.

Apud istos “numerus et natura elementorum, quibus το μύρον pro temporum et locorum diversitate constitit, multum variaverunt, ut patet tum ex codicibus manuscriptis euchologii, tum ex ipsis exemplaribus editis. In vetustissimo *codice Hi, 55 Barberino*, ante annum 797 exarato, species Sacrum Unguentum componentes sunt tantum numero tredecim; in euchologio vero a Goario edito, sunt triginta novem, et in euchologiis saeculo xix ultimo prelo mandatis, triginta octo. Caeterum haec novissima exemplaria veram sacri Unguenti compositionem, prout nunc inter Graecos exstat, non referunt. Anno enim 1833, Constantius I, patriarcha oecumenicus, novum officium consecrationis τοῦ μύρον concinnavit, ex quo non minus quam quinquaginta et septem species ad conficiendum chrisma adhibentur. Ex illis quadraginta tres una cum oleo coquuntur; caeterae materiis ita decoctis infunduntur.

“Secundum theologos, haec multiplicitas varietasque odoramento-

rum varietatem donorum ac charismatum Spiritus Sancti significat. Hujus sacri unguenti originem ab ipsis apostolis plerique derivant.”³³

Mirum autem est purum oleum absque balsamo in usu fuisse apud orientales *Nestorianos*, qui tandem ipsum oleum omnemque unctionem omiserunt retinentes solam manuum impositionem quae ut diximus ad validitatem sacramenti non sufficit.

De usu *alicujus liquoris odorati apud Latinos* non habentur certa testimonia ante saec. 6 (de solo enim oleo loquuntur Patres, ut Tertullianus, Cyprianus, Augustinus aliique citati in art. praec.); unicum testimonium quod explicite proponit unguentum, imo ipsum *balsamum* (*ὀ-οβ<ιλσαμον*), est *Irenaci* (Adv. haer. 1, 21, 3 cit. in p. 270), quod tamen ad solum usum Gnosticorum directe refertur. Probabilis etiam allusio ad balsamum habetur in verbis *Optati Mil.*, De schism. Donat., 7,4 cit. in p. 288.

Exinde tamen non licet absentiam talis usus inferre, tum quia apud Graecos observabatur tamquam ex apostolica traditione descendens, tum quia inde a saec. 6 explicite proponitur a scriptoribus et ritualibus latinis, nec tamquam quid novum aut minoris momenti sed ut quid a majoribus traditum et stricte servandum, tum quia non fuit necesse priores Patres *latinos* compositionem illius olei, Christianis bene notam, explicare sed sufficiens eis fuit explicite proponere principale tantum elementum seu oleum, cui balsamum accedit, dum vicissim Patribus *graccis* congruum visum est insistere etiam in mentione liquoris odorati qui erat apud ipsos magis complexus quique sublimibus eorum interpretationibus aptissimus erat.

A saec. 6 abundant testimonia usus odorati liquoris, et quidem ipsius *balsami*. Primum testimonium est S. *Gregorii Turonensis* (saec. 6) qui in suis *Libris Miraculorum* (l. 1, De gloria martyrum, c. 41) ait de quodam martyre temporis Diocletiani: “Ablutus *balsamo* unctus” (M.L. 71, 742). Cum autem haec expressio apud *Prudentium* (Apotheosis, vers. 487), ex quo est excerpta, sic sonet: “Lotus ... et unctus” (M.L. 59, 963) recte infertur S. Gregorium non vim verbis Prudentii inferre voluisse sed potius putasse balsamum etiam tempore illius fuisse in usu.

Quoad posteriora testimonia, praeter Cone. Bracarense III (a. 572). Aratorem (saec. 6), Bedam (saec. 8), Rupertum et Auctorem libri De cardinalibus operibus Christi infra in Conci, citandos, confer Gregorium M. (In Cant. 1, 34), Sacramentarium Gregorianum (Lib. sacr., de ben. chrism.) et Ordinem Romanum (10).

Epistola Pseudo-Fabiani Papae (ante saec. 9; mox cit.), *Cone. Moguntinum* (a. 1549; cit. in art. praec.) et *Cone. Bituricensc* (a. 1584;

u Jugie, l. c., a. 2, Parisiis, 1930, p. 132.

infra cit. in concl. 2) chrismatis, i.e. olei cum balsamo, confectionem ad ipsam Apostolorum et Christi institutionem referunt.

3. *BENEDICTIO SEU CONSECRATIO AUT CONFECTIO CHRISMATIS.*^{3*}

Constans usus hujus consecrationis ostenditur ex Ecclesiae et Patrum documentis quorum plura citavimus in duobus art. praec. Confer Tertullianum, De bapt. 7; Cyprianum, Ep. 70, 2; Innocentium I, Ep. ad Decentium; Cyrillum Hier., Catech. 21, 3; Basilium, De Spir. S. 27, 66; Augustinum, In Joan., tract. 118, η. 5.

Basilius (l.c.) et *Pseudo-Fabianus Papa* illum ad apostolicam traditionem referunt.

Talem consecrationem cum quadam rituali solemnitate inde ab initio fieri coepisse apparet ex verbis *Cypriani*, Ep. 70, 2: "Baptizati unguentur oleo *in altari sanctificato*". Peculiarem solemnitatem in Oriente adhibitam describit *Pseudo-Dionysius Areop.* (circa 500; De eccl. hier. 4, 2). Documenta Traditionis inde *a saec. 5* ostendunt usum celebrandi consecrationem olei *Feria V in Coena Domini. Ordo Romanus* (saec. 8; 10) testatur hunc usum esse universalem in Ecclesia. *Pseudo-Fabianus Papa* (cit. in p. 293) illum refert ad institutionem Apostolorum, immo ipsius Christi. Consecratio olei Confirmationis (necnon olei Catechumenorum et Infirmorum) fiebat intra secundam ex tribus Missis quae celebrabantur *Feria V in Coena Domini* quaeque *Missa chrismatis* vocabatur.

In moderno iure juxta praescriptionem *Ritualis Rom.* (cit. in Statu Quaest.) eadem *Feria V* intra Missam fit solemnitas benedictio chrismatis (necnon olei Catechumenorum et Infirmorum); episcopus nempe primo benedicit balsamum oratione et signo crucis, dein benedicit oleum exorcismo, oratione et signo crucis, tandem utrumque commiscet pronuntians formulam "Haec commixtio liquorum fiat omnibus ex ea perunctis propitiatio et custodia salutis in saecula saeculorum" (cf. *Pontificale Rom.*, in *Feria V Coenae Domini*).

Chrismatis consecratio tam constanter et exclusive *episcopis reservata est* (cf. *Silvestrem P.*, *Cone. Hisp. II*, *Gelasium P.*, *Isidorum*, *Innoc. IV*, *Clementem VI* et *Cone. Flor.*) ut nulla citari possit certa exceptio in favorem presbyteri (cf. infra conc. 3), cui tamen a iure vel ex induito ipsa facultas confirmandi frequenter concessa est; immo cum haec facultas conceditur, explicite a facultate chrismata conficiendi separatur ac presbyter iubetur uti chrismate ab episcopo confecto (cf. *Rituale Rom.* et *Codicem J.C.* cit. in Statu Quaest.; item *Cone. Flor.*,

* Cf. *Chardon*, *Histoire des sacrements*, l. 1, sec. 2 (De confirm.), chap. 2.

Decr. pro Armenis (Denz. 697), *Clementem VI*, *Innocentium IV* et *Isidorum* cit. in art. 2).

Etiam apud schismaticos *Graeco-Russos* "benedictio chrismatis solis reservatur episcopis; quidam vero expresse docent hoc esse de necessitate sacramenti. Olim quidem quilibet episcopus pro sua dioecesi hanc consecrationem peragebat, secundum canonem Carthaginensem a Byzantinis receptum; progrediente vero tempore, patriarcha Constantinopolitanus hanc consecrationem pro toto Oriente, quibusdam praesulibus identidem reclamantibus, sibi soli sensim reservavit. Saeculo xvii, Russi ab hac pia servitute jam sese expedierunt. Saeculo autem xix, alii, ut Rumeni, eandem libertatem sibi vindicarunt; recenter vero et alii. Ubique tamen privilegium consecrandi chrisma primati cujusque Ecclesiae autocephalae defertur; a quo alii episcopi ejusdem regionis illud recipiunt.

"Neque quotannis haec benedictio celebratur, ut apud Latinos mos est; sed plerumque per intervalla plus minusve longa tum propter implicatam Sacri Unguenti compositionem, tum etiam propter gravia expensa ad comparandas multiplices materias necessaria. Ratio autem cur hujusmodi consecratio episcopis, et quidem primoribus, reservatur, juxta *Catechismum Philareti* haec est; scilicet quod episcopi successores exstant apostolorum, qui impositionem manuum ad dona Spiritus Sancti communicanda ipsi perficiebant."³⁵

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

PROTESTANTES chrisma eiusque consecrationem peculiariter reiiciunt; in eam tamquam in abominandum romanae superstitionis foetum invehunt praecipue *Calvinus* et *Chemnitius*; *Jo. Dallaeus*TM modo erudito hanc protestanticam negationem defendere conatur quam directe anathematizavit *Cone. Trid.*, can 2 de Confirm., relato in p. 284.

Gregorius VII in *Ep. ad Synnadensem archiep.* (in *Armenia*) sic conqueritur: "Audivimus etiam quod contra morem sanctae Ecclesiae vestrae [i.e. vestra ecclesia in Armenia] non ex balsamo sanctum chrisma, sed *ex butyro conficiat*" (M.L. 148, 571 sq.).

Monachus graecus Theorianos conqueritur apud Patriarcham *Armenorum* quod iste permiserit usum *olei sesami* prae *olivae* in confectione chrismatis (cf. M.G. 133, 192).

In ecclesia schismatica *Graeco-Russica*, cujus doctores generatim quoad materiam Confirmationis catholicis consentiunt, loco chrismatis "unguentum e corpore sancti *Demetrii Thessalonicensis* vel aliorum

^w *Jugie*, *Theologia Orientalium*, t. 3, c. 3, a. 2, Parisiis, 1930, p. 133 sq.

"In opere De duobus latinorum ex unctione Sacramentis . . . Disputatio, Genevae, 1689.

sanctorum miraculose (?) manans interdum a quibusdam adhibitum fuisse non uno constat testimonio. Haec tamen praxis tum a praesulibus tum a theologis tanquam abusus haud semel damnata est. In casu necessitatis, deficiente *myro*, 'aqua, ait Theophilus Papaphilus, sufficit tum ad unctionem, tum ad signaculum, tum ad confessionem mortui?''³⁷

Mirum est olim schismaticos Photianos *Latinos incusasse* quod fluminis aquam adhiberent ad chrisma conficiendum; quam accusationem refellunt *Ratramnus* (Contra Graecorum opposita, 4, 7) et *Nicolaus I* (Ep. 152, ad Hincmarum).

Quamvis *documenta Ecclesiae* manifeste faveant parti affirmativae hujus articuli secundum tres ejus partes, tamen cum nulla habeatur proprie dicta definitio de hac re, *IN UTRAMQUE PARTEM THEOLOGI DISCEDUNT*, praecipue quoad necessitatem balsami, nam in affirmandam necessitatem benedictionis episcopalis, hodie saltem, fere omnes conveniunt.

Igitur:

1. *QUOAD NECESSITATEM OLEI OLIVARUM*, nulla est nec fuit disceptatio.

2. *QUOAD NECESSITATEM BALSAMI* disputatur. *Negant* plures theologi, ut *Cajetanus* (hic, In a. 2), *Dom. Soto* (In 4 Sent., dist. 7, q. unica, a. 2), *Valentia* (In 3 p., disp. 5, q. 1, punct. 2), *Juénin*, *Estius*, *Vitasse* (De confirm., p. 1, q. 2, a. 3, § 12 ubi haec sententia existimatur probabilissima), *Tournely* et plures moderni, ut *Dickamp* et *Bernard* (in Diet. Théol. Cath., art. Chrême, col. 2406), qui hanc sententiam ut probabilem amplectuntur.

Arguunt quidam (ut *Cajetanus*) *tum* ex pretiositate ac raritate balsami, ex quo in pluribus casibus impediretur administratio sacramenti, *tum* ex silentio plurium Patrum qui hoc sacramentum non balsamum sed tantum oleum appellant, *tum* praecipue ex auctoritate *Innocentia III* qui *Episcopo Eliensi rescribit*: "Praeterea, nos consulere voluisti, an permitti debeat ministrare, si quis sine impositione manuum fuit ad ordinem diaconatus assumptus, et si confirmationis sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit *non chrismate, sed oleo delinitus*? Ad quae fraternitati tuae breviter duximus respondendum, quod in talibus non est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat praetermissum" (M.L. 215, 484).

Affirmant autem *S. Thomas* (hic a. 2; cf. In 4 Sent., dist. 7, q. 1, a. 2, q. 2, ubi dicit materiam esse oleum balsamatum), *Scotus* (In 4 Sent., dist. 7, q. 1, n. 2), *Bellarmino* (De Confirm. 8), *Suarez* (Disp. 33, sect.

Jugie, l. c., p. 132 sq.

h. 6), *S. Alphonsus* (l. 5, n. 162), *Billuart*, *Gihl*, *Ilugon*, *Pesch*, *Tanquercy*, *Lercher*, *Hervé*, *Merkelbach*, *Cappello* et communius alii theologi moderni, qui saltem ut probabiliores hanc sententiam amplectuntur.

Notat tamen *Cappello* cum aliis moralistis et canonistis: "Negari tamen non potest sive extrinseca sive etiam intrinseca probabilitas oppositae sententiae, ita ut communiter auctores doceant, Confirmationis sacramentum cum solo oleo, sine balsamo, collatum, dubium esse; et recte inierunt in articulo mortis sacramentum sub conditione conferri posse cum solo oleo, si nequeat haberi chrisma ex balsamo confectum".³⁸ Cui videtur contradicere *Ilugon* dum scribit: "At praecise quaestio est utrum sacramentum quod non est tantae necessitatis possit cum materia dubia conferri et nullitatis periculo exponi."³⁹

3. *QUOAD NECESSITATEM BENEDICTIONIS SEU CONSECRATIONIS OLEI* ad sacramenti valorem iterum dividuntur theologi.

Negant quidam theologi antiquiores, ut *Petrus de Palude* (In 4 Sent., dist. 7, q. 4, ad 1), *Dom. Soto*, *Estius* (qui tamen docent benedictionem esse necessariam de praecepto divino, eo modo quo admixtio aquae vino consecrando), *Fr. Victoria* et alii pauci.

Provocant quidam ad *paritatem cum materia Baptismi et Eucharistiae* (excelleniorum quidem sacramentorum) quae non indiget praevia benedictione ad valorem sacramenti; ad quam etiam paritatem roborandam adducunt verba *Augustini* (In Joan. 118, n. 5 cit. in p. 289) docentis absque signo crucis seu benedictione nec Confirmationem nec Baptismum nec Eucharistiam rite perfici; ex quo sequitur juxta *S. Doctorem* benedictionem olei esse quid accidentale sacramento.

Affirmant autem communius antiquiores doctores, ut *Hugo a S. Victore*, *Petrus Lombardus*, *Bonaventura*, *S. Thomas* (hic, a. 3), *Cajetanus* (In a. 3), *Suarez*, *Billuart*, et communiter moderni, ut illi quos nominavimus supra in sententia affirmativa numeri 2.

Notat iterum *Cappello* cum aliis moralistis: "Necesse est, chrisma *speciali benedictione*, qua ut materia Confirmationis propria constituitur, sit benedictum. Utrum haec *specialis benedictio* sit de essentia, necne, non satis constat. Proinde in articulo mortis, deficiente chrismate, Confirmatio potest sub conditione administrari cum materia dubia, scii, cum oleo infirmorum vel catechumenorum".⁴⁰ Ex quo principio sequitur in articulo mortis Confirmationem administrari posse cum quolibet oleo, etiam nullatenus benedicto nec balsamo commixto.

³⁷ De Sacramentis, v. 1, l. 3, De confirm., c. 1, a. 2, n. 196, Taurini, 1921, p. 141.

³⁸ Tract. Doctim., v. 3, tract. De confirm., a. 2, n. 5, Parisiis, 1931, p. 258.

⁴⁰ L. c., n. 197, p. 142.

Disputant quoque theologi cuinam ministro, attentata sola validitate, spectet talis benedictio: a) Utrum soli episcopo an etiam presbytero ita quod hic non indigeat potestatis ecclesiasticae licentia ad valide chrisma conficiendum, ut non improbable reputat Cajetanus, negatur vero communius, b) Utrum saltem etiam presbyteris facultas oleum benedicendi concedi possit ab Ecclesia, i.e. a proprio episcopo, ut volunt Ledesma et Vitasse, negant vero alii communiter, vel a Papa, ut volunt Scotus, Cajetanus, Soto, S. Alphonsus, Diekamp, Tanquerey aliique non pauci, negant vero Suarez, Billuart, Arriaga, Berti, Gilr. c) Utrum in casu quo presbyter possit conficere chrisma haec potestas competat ei jure proprio sicut episcopo et non tantum jure extraordinario; quod negatur communiter.⁴¹

CONCLUSIO

Conclusio 1. Materia Valida Confirmationis Est Oleum Olivarum (a. 2, ad 3).

Probatur.

1. Tantum oleum olivarum (non vero nucem, amygdalinum etc.) simpliciter oleum dicitur, ex quo fit ut documenta Ecclesiae de specificanda olei natura generatim non curent.

2. Ecclesiastica consuetudo numquam aliud olei genus adhibuit, quamvis in quibusdam regionibus copia olei olivarum desideretur.

3. *INNOCENTIUS IV* (Denz. 3041, cit. in art. praec., p. 283), explicite docet chrisma confici ex oleo olivarum atque symbolismum olivae applicat Spiritui S.

4. *Beda*, In Cant. (1, 12), 2 cit. in p. 291, dicit balsamum “in chrismae confectione, liquori olivae admisceri”.

5. *Ratramnus*, Contra Graecorum opposita, 4, 7, scribit: “Non autem [Latini] ipsum chrisma (quod mentiuntur Graeci) de fonte conficiunt, sed ex succo balsami, vel olivae liquore: quod fit non solum a Graecis, verum ab universis Christi Ecclesiis” (M.L. 121, 334).

6. *Rupertus*, De div. officiis, 5, 16 infra cit., ex proprietatibus arboris olivarum “quae . . . pacis et luminis ministra est” explicat sacramentalem symbolismum et virtutem materiae Confirmationis.

7. *Convenientia usus olei olivarum*, ut materiae sacramenti, sic assignatur a S. *THOMA*:

“Proprietates olei [cf. art. praec., Conci., p. 298], quibus significatur Spiritus sanctus, magisveniuntur in oleo olivarum quam in quocumque alio oleo; unde et ipsa oliva semper frondibus virens, virorem et misericordiam Spiritus sancti significat. Hoc etiam oleum proprie

⁴¹ Has quaestiones expendit *Vitasse*, De confirm., q. 2, a. 3, § 13 sqq.

dicitur oleum, et maxime habetur in usu ubi haberi potest; quilibet autem alius liquor ex similitudine hujus oleum nominatur; nec est in usu communi, nisi in supplementum apud eos quibus deest oleum olivarum. Et ideo hoc oleum solum assumitur in usum hujus, et quorundam aliorum sacramentorum.”

Conclusio 2. Probabilius Balsamum Est Materia Ad Valorem Sacramenti Requisita (a. 2).

Probatur.

1. *DOCUMENTA ECCLESIAE*, quorum plura citavimus in art. praec., favent huic sententiae.

Innocentius III, Ep. “*Cum venisset*”, ad archiep. Trinovitanum: “Scire te volumus duas esse species unctionis: exteriorem, quae materialis est et visibilis: et interiorem, quae est spiritualis et invisibilis. Exteriore visibiliter ungitur corpus, interiore invisibiliter ungitur cor . . . Ad exhibendam igitur, exteriorem et visibilem unctionem, benedicitur oleum, quod dicitur catechumenorum vel infirmorum, et conficitur chrisma, quod ex oleo fit et balsamo, mystica ratione. *Per oleum enim, nitor conscientiae designatur*, juxta quod legitur: ‘Prudentes virgines acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus (Matth. xxv);’ *per balsamum autem, exprimitur odor jamae*, propter quod dicitur: ‘Sicut balsamum aromatizans odorem dedi (Eccli. xxiv)’ ” (M.L. 215, 283).

Innocentius IV docet in unctione chrismae, confecti ex balsamo et oleo, *conferri donum Spiritus S.*; unde non soli oleo sed chrismae tribuit vim sanctificandi.

Conc. Florentinum docet materiam sacramenti esse chrisma confectum ex oleo et balsamo. *Nec valet opponere Concilium etiam docere in confectione Eucharistiae aquam permiscendam esse vino consecrando, quae tamen permixtio non requiritur ad valorem sacramenti. Nam Concilium non ait materiam Eucharistiae esse vinum et aquam, sed esse “vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet”* (Denz. 698). Unde non est paritas ubi modus loquendi est plane diversus.

Conc. Tridentinum, sess. 7, can. 2 de Confirm, “confirmationis chrismae virtutem aliquam” tribuit; absque dubio autem chrisma intelligit juxta usum ecclesiasticum oleum cum balsamo.

Catechismus Conc. Trid., mentem Concilii explanans, ait: “Haec autem [materia] chrisma appellatur, quo nomine a Graecis accepto etsi profani scriptores quodlibet unguenti genus significant, illud tamen, qui res divinas tradunt, communi loquendi consuetudine ad illud tantummodo unguentum accommodarunt, quod ex oleo et balsamo

solemni episcopi consecratione conficitur. Quare duae res corporeae permixtae confirmationis materiam praebent; quae quidem diversarum rerum compositio, quemadmodum multiplicem Spiritus sancti gratiam, quae confirmatis tribuitur, declarat, ita etiam ipsius sacramenti excellentiam satis ostendit. Quod autem ea sit huius sacramenti materia ... sancta ecclesia et concilia perpetuo docuerunt” (p. 2, c. 3, q. 7).

Cone. Bituricense (Bourges; a. 1584), *can. 2*: “Nemo dicat chrismatis confectionem ab alio quam a Christo institutam esse” (Labbe, *Sacr. conc.*, t. 15, p. 1088).

2. *PLURA PATRUM TESTIMONIA* eandem sententiam inculcant.

Imprimis modus quo constanter Traditio consociat balsamum oleo, et quidem (inde saltem a saec. 6) sub unica voce chrismatis, dum explicat indolem et efficacitatem hujus sacramenti inculcat eam utriusque esse communem.

Praeterea peculiariter hanc doctrinam confirmant sequentia testimonia:

Ephrem (saec. 4; *In Joci. 2, 24* cit. in p. 272 sq.) vocat materiam Confirmationis “oleum in *unguentum suave*, quo signati sunt baptizati *induentisque* arma Spiritus Sancti”.

Pseudo-Dionysius Areop., *Eccl. hier. 4*: “Dicamus igitur, unguenti compositionem collectionem quamdam esse fragrantium materiarum quae in se affatim suaveolentes continet qualitates, cujus qui participes existunt, odoris suavitate afflantur” (M.G. 3, 478).

Introductio vocis *balsami* in ea brevi ac transeunti citatione Baptismi et Confirmationis, quam *Gregorius Turonensis* (cit. in *Statu Quaest.*) desumit ex Prudentio, videtur innuere S. Doctorem balsamum habere pro materia necessaria et essentiali.

Cone. Bracarense III (a. 572), *can. 4*: “Placuit ut *modicum balsami* quod benedictum pro baptismi sacramento per ecclesias datur, quia a singulis tremisses pro ipso exigi solent, nihil ulterius exigatur: ne forte quod *pro salute animarum* per invocationem sancti Spiritus *consecratur*, sicut Simon magus donum Dei pecunia voluit emere, ita nos venundantes damnabiliter venundemur” (M.L. 130, 574).

Arator (Ecclesiae romanae subdiaconus, saec. 6), *De Ad. Apost.*, I. 7, circa initium: “Creaturam, signata fronte micantem, *divinus commendat odor*, cum desuper *tinctos abluit interius* Christus de nomine chrisma” (M.L. 68, 90).

Beda, *In Cant.* (7, 72) 2 cit. in p. 291, ait balsamum in confectione chrismatis misceri oleo et consecrari per benedictionem episcopi ut *hac unctione signati* cum impositione manuum *accipiant Spiritum S.*

Haec verba Bedae sub sequenti expressiori forma inveniuntur (pro-

habiliter interpolata) in *Comm. Gregorii M. in Cant.* 1,3: “In Engaddi balsamum gignitur, quod cum oleo, pontificali benedictione *chrisma efficitur, quo dona sancti Spiritus exprimuntur*” (M.L. 79, 493 in nota).

Rupertus, *De div. offic.* 5, 16: “*Chrisma* Spiritus sancti signum est, cujus et *virtutem continet*. Et pulchre Spiritui sancto, per hanc speciem suam nobis complacuit *dare gratiam*. Fructus namque et pinguedo est oleae, quae arbor pacis et luminis ministra est, *commisto balsamo*, cujus arbor odorifera una est et praecipua arborum aromaticarum. Sanctus autem Spiritus divinae substantiae pinguedo est, ita ut quicumque ex eo reffectus fuerit, dicat: ‘Impinguasti in oleo caput meum (Psal. xxii).’ Et balsami odor in oleo suavitate ejusdem Spiritus sancti significat, qua cunctos qui nasum, id est virtutem habent discretionis, bono odore allicit et suimet appetentes efficit. Quem quicumque accipiunt, cum Apostolo dicunt: ‘Christi bonus odor sumus Deo in omni loco (II Cor. ii; Hebr. xiii).’ Bene ergo Spiritus sanctus, qui propter nos idcirco agit *visibilia*, quo per haec facilius capere queamus *invisibilia*, per hoc simile suam nobis *suavem et odori/eram injundit gratiam*” (M.L. 170, 140).

In libro *De cardinalibus operibus Christi* (olim inter opera Cypriani relato, a Vitasse Anonymo saec. 9 anteriori tributo, in *Patrologia* vero Latina Migne inter opera Ernaldi Abbatis Bonaevallis [saec. 12] relato), *n. 8 Serm. De unctione chrismatis*, legitur: “Hodie die Coenae Domini in Ecclesia cum caeteris unctionibus ad populum acquisitionis (I Petr. ii) sanctificandum, in participationem dignitatis et nominis, *sacrum chrisma conficitur, in quo mistum oleo balsamum*, regiae et sacerdotalis gloriae exprimit unitatem, *quibus dignitatibus initiandis divinitus est unctio instituta*” (M.L. 189, 1653 sq.).

3. *CONVENIENTIAM* usus balsami in oleo ostendit 5. *Thomas* inquiens:

“*Chrisma* est conveniens materia hujus sacramenti. Sicut enim dictum est, in hoc sacramento datur plenitudo Spiritus sancti ad robur spirituale, quod competit perfectae aetati. Homo autem, cum ad perfectam aetatem pervenerit, incipit jam communicare actiones suas ad alios; antea vero quasi singulariter sibi ipsi vivit. Gratia vero Spiritus sancti *in oleo designatur*; unde Christus dicitur esse *unctus oleo laetitiae* [Psal. 44, 8], propter plenitudinem Spiritus sancti quam habuit. Et ideo oleum competit materiae hujus sacramenti. Admiscetur autem balsamum propter fragrantiam odoris, quae redundat ad alios; unde Apostolus dicit: ‘Christi bonus odor sumus Deo’, etc.

“Et licet multa alia sint odorifera, tamen praecipue accipitur balsamum, propter hoc quod habet praecipuum odorem, et quia etiam incor-

ruptionem praestat; unde Eccli. xxiv, 21 dicitur: 'Quasi balsamum non mixtum odor meus' ” (*in corp.*).

In his verbis S. Doctor compendio tradit varias rationes sacramentalis symbolismi quas Patres assignant circa materiam Confirmationis (cf. Theophylum, Optatum, Ambrosium, citatos in p. 269. 288, et Rupertum nuper citatum); peculiariter vero prosequitur binas rationes traditas a *Cone. Flor.* (cit. in p. 284) et ex *InnocentTM III* (supra cit., p. 311) fere ad verbum excerptas.

Convenientiam etiam compositionis materiae ex duplici elemento sic proponit:

“Baptismus datur ad spiritualem vitam simpliciter consequendam; et ideo competit illi sacramento materia simplex. Sed hoc sacramentum datur ad plenitudinem consequendam Spiritus sancti, cujus est multiformis operatio, secundum illud Sap. vii, 22: 'Est enim in illa Spiritus intelligentiae sanctus, unicus, multiplex'; et I Cor. xii, 4 dicitur: 'Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus'. Et ideo convenienter hujus sacramenti est materia composita” (*ad 2*).

Praeterea S. Doctor ostendit quomodo in ipsa collatione Spiritus S. Apostolis *in die Pentecostes*, quae fuit quoddam signum et sigillum hujus sacramenti, quodammodo ipsa materia significata fuerit. “Aliquid conforme materiae hujus sacramenti exhibitum fuit apostolis sensibilibus in collatione Spiritus sancti. Quod enim sensibilibus Spiritus sanctus super eos descendit *in specie ignis*, ad eandem significationem refertur ad quam refertur *oleum*, nisi quod ignis habet vim activam, oleum autem habet vim passivam, in quantum est materia et fomentum ignis. Et hoc satis competebat; nam per apostolos gratia Spiritus sancti erat ad alios derivanda. Super apostolos etiam Spiritus sanctus descendit *in figura linguae*, quod ad idem significandum refertur quod significat *balsamum*; nisi quod lingua per locutionem est communicativa ad alterum, balsamum vero per odorem; quia scilicet apostoli replebantur Spiritu sancto, ut fidei doctores, alii autem fideles ut operatores eorum quae pertinent ad aedificationem fidelium” (*ad 1*).

RATIONIBUS AB ADVERSARIIS OBIECTIS RESPONDETUR:

Ratio ex raritate balsami non obstat. Nam “baptismus est sacramentum absolutae necessitatis, et ideo ejus materia debet inveniri ubique. Sufficit autem quod materia hujus sacramenti, quod non est tantae necessitatis, possit de facili ad omnia loca terrarum deferri” (*ad 4*).

Quidam arguunt etiam *ex paucitate balsami* quod oleo admiscetur,

ex quo, aiunt, fieri potest ut sacramentum solo oleo administretur. *Attamen* imprimis tanta est vis diffusiva balsami ut facile omnes partes quantitatis olei cui *solet admisceri* penetrare queat. Propterea Ecclesia permittit ut “deficienti oleo benedicto aliud oleum de olivis non benedictum adjiciatur, etiam iterato, minore tamen copia” (*Rituale Rom.*, Appendix, De Confirm., n. 3). Quatenam sit proportio quantitatum ultra quam praedictum inconueniens verificari posset nemo scit. Caeterum Ecclesia etiam jubet ut omni anno novum chrisma consecretur ac veteri substituatur.

Ratio ex silentio Patrum non tenet. Nam ut ostensum est in Statu Quaest., ut taceamus de allusionibus contentis in verbis Irenaei et Gregorii Turonensis, conferendo ad invicem testimonia Graecorum qui balsamum proponunt sub nomine *μΑρον* et testimonia Latinorum qui inde a saec. 6 necessitatem balsami universaliter praedicant, apparet usum illius ad apostolicam traditionem ascendere. Inde est quod inter ipsos adversarios quidam, ut *Estius*, dicunt balsamum esse necessarium necessitate praecepti divini.

Ad tertiam rationem ex auctoritate Innocenti III ductam, alii aliter respondent.⁴² Aptius quidam dicunt Papam prohibere *solemnem iterationem* Confirmationis atque iubere supplendam partem omissam; nec refert quod, cum haec pars sit essentialis, talis suppletio aequivalet *privatae iterationi sacramenti*. Praeterea si contraria ratio valeret, ex iisdem verbis Pontificis sequeretur manuum impositionem non pertinere ad essentiam diaconatus, contra id quod docent plures ex adversariis.

Conclusio 3. Ad Valorem Sacramenti Requiritur Ut Chrisma Sit Benedictum, Et Quidem Ab Episcopo, Salva Facultate S. Sedis Presbytero Concessa (a. 3).

Probat.

Ratio tam constantis et explicitae doctrinae ac legis Ecclesiae de chrismate benedicendo, et quidem ab episcopo (cf. Stat. Quaest.), non plene intelligeretur nisi utrumque esset requisitum ad valorem sacramenti.

Textus autem *Augustini* quem adversarii obiciunt seriam difficultatem non parit. Nam quod ait absque signo crucis nec Baptismus nec Eucharistiam nec Confirmationem *rite perfici*, intelligi potest de defectu aut validitatis aut liceitatis, distributive scilicet pro diversa materia seu sacramento.

⁴²Cf. *Vitasse*, De confirm., q. 2, a. 3, § 12.

DOCUMENTA ECCLESIAE hanc sententiam signanter inculcant. Imprimis *Cone. Florentinum* (cit. in p. 284) docet *materiam* hujus sacramenti esse chrisma ab episcopo benedictum. Hanc autem benedictionem solo episcopo saltem *jure proprio* et ordinario competere inculcat cum addit: “Legitur tamen aliquando per Apostolicae Sedis dispensationem ex rationabili et urgente admodum causa simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto hoc ministrasse confirmationis sacramentum” (Denz. 697).

Catechismus Cone. Trid., p. 2, c. 3, q. 10, haec habet: “Consecratur autem chrisma solemnibus caeremoniis ab episcopo; ita enim Salvatorem nostrum docuisse in extrema coena, quum chrismatis conficiendi rationem Apostolis commendaret, Fabianus Pontifex [i.e. Anonymus Epistolae Fabiani P.] ... tradidit”.

Clemens VI, cit. in p. 283 sq., interrogat: “Primo de *consecratione chrismatis*, si credis, quod per nullum sacerdotem, qui non est episcopus, chrisma potest rite et debite consecrari” (Denz. 571).

5. *Officium 13 jan. 1611* (sub Paulo V) declaravit “temerariam et errori proximam” hanc propositionem: “Quod . . . sacramentum extremae unctionis oleo episcopali benedictione non consecrato ministrari *valide* possit” (Denz. 1628). Idem a pari, sin minus a fortiori, argui potest de oleo Confirmationis, cuius benedictionis necessitatem antiquius et constantius tota Traditio praedicavit.

RATIO CONVENIENTIAE benedictionis olei patet ex eo quod congruum est ut materia quae est de se indifferens ad usum religiosum, imo potius ad corporales usus ordinata, fiat quodammodo sacra cum elevatur ad usum religiosum et ad dignitatem *instrumenti gratiae*.

Non valet opponere omnem consecrationem quae fit in sacramentis ordinari ad gratiae consecutionem, materiam autem sensibilem non esse capacem gratiae. *Nam* “materia corporalis non est capax gratiae, quasi gratiae subjectum, sed solum sicut gratiae instrumentum . . . et ad hoc materia sacramenti consecratur vel ab ipso Christo, vel ab episcopo, qui gerit in Ecclesia personam Christi” (ad 3).

Nec valet instare materiam consecrari et sanctificari in ipso usu sacramenti per formam verborum ex qua accipit virtutem instrumentalem, adeoque non indigere praevia sanctificatione ac frustra bis consecrari. *Nam* “utraque consecratio chrismatis non refertur ad idem. Sicut enim instrumentum virtutem instrumentalem acquirit dupliciter, scilicet quando accipit formam instrumenti, et quando movetur a principali agente ad effectum; ita etiam materia sacramenti duplici sanctificatione indiget, per quarum unam fit propria materia sacramenti, per aliam vero applicatur ad effectum” (ad 2).

Item non valet insistere a paritate cum materia *Baptismi et Eucharistiae* aci ostendendum etiam in materia Confirmationis non requiri benedictionem ad valorem sacramenti. *Nam* imprimis paritas non est veluti a priori statuenda ubi disparitas ostenditur ex monumentis Traditionis per quam voluntas Institutoris nobis innotescit.

Ceterum, quaedam disparitas apparet quoad *Baptismum* in eo quod hoc sacramentum, cum sit *stimmae necessitatis*, exigit ut in qualibet aqua et a quolibet homine administrari possit; quoad *Eucharistiam* vero in eo quod materia hujus sacramenti sublimiori modo benedicatur per ipsam consecrationem, per quam fit non tantum instrumentum gratiae *in momento quo applicatur*, sed res in se permanenter sanctificata *antequam applicetur*, per praesentiam Auctoris gratiae, ac ita duplicem consecrationem induat, unam ante usum, alteram in usu.

Meliorum ac profundiorum *disparitatis rationem* assignat S. Thomas inquit:

“Tota sacramentorum sanctificatio a Christo derivatur . . . Est autem considerandum quod quibusdam sacramentis habentibus materiam corpoream Christus est usus, scilicet *baptismo* et etiam *Eucharistia*. Et ideo ex ipso usu Christi, materiae horum sacramentorum aptitudinem acceperunt ad perfectionem sacramenti. Unde Chrysostomus⁴³ dicit quod ‘nunquam aquae baptismi purgare peccata credentium possent, nisi tactu dominici corporis sanctificatae fuissent.’ Et similiter ipse dominus accipiens panem benedixit; similiter autem et calicem, ut habetur Matth. xxvi et Luc. xxii. Et propter hoc non est de necessitate horum sacramentorum quod materia prius benedicatur, quia sufficit benedictio Christi. Si qua vero benedictio adhibeatur, pertinet ad solemnitatem sacramenti, non autem ad necessitatem.

“Unctionibus autem visibilibus Christus non est usus, ne fieret injuria invisibili unctioni, qua est ‘unctus prae consortibus suis’ [Psal. 44, 8]. Et ideo *tam chrisma quam oleum sanctum infirmorum* prius benedicuntur quam adhibeantur ad usum sacramenti” (*in corp.*).

Quoad tria reliqua sacramenta dici potest quod materia *Ordinis*, si dicatur esse traditio instrumentorum, fuit consecrata ex usu Christi benedicientis panem et calicem hosque Apostolis idem facturis tradentis, si vero dicatur esse impositio manuum, fuit consecrata in ipsa consecratione episcopi ordinantis, cujus actio est manuum impositio, materia vero *Poenitentiae* et *Matrimonii*, quae similiter non consistit in re materiali sed in ipsis actibus poenitentis et contrahentium, fuit consecrata in ipso Baptismo per quem christiani fiunt “regale sacerdotium, gens sancta” (1 Petr. 2, 9).

⁴³ Verba quae Chrysostomo tribuuntur a S. Thoma et a Gratiano (Decr., 3 pars, De consecr., dist. 4, c. 10) auctorem habent *Chromâtiuin* episc. aquileiensem (saec. 4), In Matth. (3, 14), 1 (M.L. 20, 329).

Ex allatis monumentis Traditionis et Ecclesiae sequitur etiam hanc benedictionem *SOLI EPISCOPO RESERVARI, SALTEM JURE PROPRIO ET ORDINARIO.*

Idipsum inculcatur in praxi Ecclesiae reservandi episcopo confirmationem seu benedictionem chrismatis, etiam quando presbyteris concessa est ipsa facultas sacramentum administrandi (cf. in Statu Quaest.). Paucissima testimonia quae adducuntur ad ostendendam concessionem chrisma conficiendi, presbyteris factam, rem non evincunt.

Citatur imprimis *Cone. Toletanum I* (a. 400), *can. 20*: “Quamvis pene ubique custodiatur, ut absque episcopo chrisma nemo conficiat, tamen quia *in aliquibus locis vel provinciis presbyteri dicuntur chrisma conficere*, placuit ex hac die nullum alium nisi episcopum chrisma conficere . . . Episcopo sane certum est quod omni tempore licet chrisma conficere, sine conscientia autem episcopi nihil penitus presbyteri agere praesumant” (M.L. 130, 436).

Attamen certum non est utrum tales presbyteri consecrarent ipsum chrisma Confirmationis an oleum catechumenorum (cuius usus non vero consecratio ipsis committebatur) vel etiam ipsum chrisma administratum a presbytero in unctione verticali Baptismi (nec dicas hoc esse idem ac chrisma Confirmationis, nam potuerunt illi ex ignorantia vel praesumptione distinguere inter duo chrisma). *Praeterea* ac praecipue, non apparet utrum talem usum Concilium approbet; imo videtur illum reprobare ac inde occasionem sumere insistendi in universalem legem Ecclesiae illum prohibentem. *Ceterum*, Concilium factum illud non ut certum proponit dum ait quod “in quibusdam locis aut provinciis presbyteri *dicuntur* chrisma conficere”.

Citantur praecipue verba *Joannis Diaconi* (saec. 6), *Epist. ad Senarium virum illustrem, 7 sq.*: “Soli pontifici liceat consecrare, quod presbytero non videtur esse concessum . . . Nec illud tangat animum, quod sibi aliquando quaedam vis necessitatis assumit, veluti (*quod nunc per Africam fieri dicitur*) ut presbyteri sanctum chrisma conficiant: quod merito moveret, si istam pontificalis auctoritas licentiam non dedisset. Unde constat etiam nunc a pontificibus quodammodo fieri, quod in tanta rerum necessitate, ut a presbyteris effici possit, superior ordo constituit” (M.L. 59, 404).

Ut patet ex contextu, Joannes Diaconus certe loquitur de oleo Confirmationis ac iudicat talem facultatem concedi posse. *Attamen*, factum non ut certum ipse proponit (Nunc per Africam fieri dicitur), nec ceterum scire possumus utrum illi presbyteri abusive agerent aut utrum ex debita licentia consecrarent oleum catechumenorum.

Citatur etiam facultas cuidam presbytero missionario facta a. 1444

ab Eugenio IVfi' sed authenticitas tam singularis concessionis non probatur.

Talem autem facultatem *non ita esse episcopo reservatam* ut non possit *presbyteris concedi de jure extraordinario*, probabile videtur.

Id ostendunt tum citata testimonia *Cone. Tolet. I* et *Joannis Diaconi* (si quid valoris eis tribuitur), tum *paritas cum ipsa facultate sacramentum administrandi* quae est in se excellentior potestate solius materiae remotae conficiendae (cf. *Cajetanum*, In a. 3). Huic rationi *adversarii opponunt*: “Disparitas est inter collationem sacramenti confirmationis et consecrationis chrismatis, quod aliquando possit deferri chrisma quo non posset episcopus personaliter proficisci; sicque est ratio concedendi unum, et non alterum. Adde quod sit majus concedere utrumque, quam unum tantum.”⁴⁵

Hujusmodi autem facultatem non ab episcopo sed *tantum a Papa* dari posse probabilius videtur ex quasi paritate cum facultate confirmandi (utraque enim ad essentialia sacramenti refertur) quae a solo Papa directe vel indirecte conceditur.

Ratio convenientiae benedictionis episcopalis est illa eadem quam cum *S. Thoma* assignabimus infra in art. 9 quoad ipsam sacramenti administrationem per episcopum quamque *S. Doctor* hic (a. 3, ad 3) breviter resumit inquiring episcopum “gerere in Ecclesia personam Christi”.

ART. 4. Utrum Forma Confirmationis Consistat In Verbis “Signo Te Signo Crucis Et Confirmo Te Chrismate Salutis In Nomine Patris Et Filii Et Spiritus Sancti”, Aut In Aliis Aequivalentibus (a. 4).

STATUS QUAESTIONIS

Quoad *Ecclesiam Latinam CODEX J.C.* (can. 780) et *RITUALE ROM.* (Appendix, De Confirm., n. 1), citata in art. 2, p. 277, iubent “Sacramentum Confirmationis conferri . . . per verba in pontificalibus libris ab Ecclesia probatis praescripta.” *PONTIFICALE* autem Romanum (cit. ibidem) tres verborum formulas exhibet: primo, *invocationem* initialem “Spiritus sanctus superveniat in vos . . .”; secundo, *orationem* quae comitatur primam manuum impositionem

«Cf. *Wadding*, Annales ordin. fr. min., t. 11, p. 209, Romae, 1734; *Benedictum XIV*, De syn. dicec. 7, 8; *Straub*, De Ecclesia, v. 2, n. 692; *Cappello, Diekamp, Noldin*, ubi de materia Confirmationis.

⁴⁵ Ita *Billuart*, Curs. Theol., t. 9, tract. De confirm., a. 4, obj. 2, Parisiis, 1904, p. IS.

‘Omnipotens sempiterne Deus . . . emitte in eos septiformem Spiritum . . . tertio, *jormulam personalem* prolatam in unctione chris-matis “Signo te signo crucis et confirmo te Chrismate salutis. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.”

In *Ecclesia Graeca catholica* Euchologia exhibent primo aliquam *in-vocationem* de genere primae formulae latinae, qua sacerdos SS. Trini-tatem invocat ut confirmandis largiatur donum Spiritus S., secundo *jormulam impersonalem* prolatam inter ungendum: *Ἐφραγὶ δωρεὴ Πνεύματος ἁγίου* (Signaculum doni Spiritus sancti).

Apud Schismaticos *Graeco-Russos* in quibusdam Euchologiis uncti-oni frontis, quae semper fit cum formula “Signaculum doni Spiritus S.,” additur formula specialis pro unctione aliarum corporis partium. Ita in antiquo *Euchologio Barberino Sancti Marci* (saec. 8) legitur: “Super oculos: *Χρῖσμα δωρεὰ Πνεύματος ἁγίου*, Unctio doni SpiritUS Sancti — In naribus: *Χρῖσμα ἀρραβώνα Πνεύματος ἁγίου*, Unctio pignoris SpiritUS Sancti — In auribus: *Χρῖσμα μετοχή ζωῆ αἰωνίου*, Unctio participationis vitae aeternae — In manibus, vola interiore: *Χρῖσμα ἁγίου Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ καὶ σφραγὶ ἀνεπιβούλευτο*, Unctio sancti Christi Dei et signaculum insidiis liberum — Super cor: *Πλήρωμα δωρεὰ Πνεύματος ἁγίου καὶ δωραξ ἰπίστω καὶ ἀληθεία*, Plenitudo (seu complementum) doni Spiritus Sancti et thorax fidei et veritatis.”¹⁰

Apud *Nestorianos* Ritualia hanc formulam unctionis frontis exhibent: “Baptizatus est et *perjedus est* talis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti”. Quae formula invalida videtur utpote declarans effectum iam productum.

Apud *Monophysitas* abundat varietas formularum. *Copti* habent duplicem formam, alteram in impositione manuum (hanc enim ipsi soli adhibent), alteram in unctione, quae variat iuxta diversitatem partium corporis inunctarum; in prima autem unctione *jrontis* et oculorum dicunt: “Unctio gratiae Spiritus S. Arnen”. Simili modo apud *Armenos* formula unctionis multiplicatur. Apud *Syros* vero unica formula adhibetur quae ter repetitur dum unguuntur frons et tempora: “Chrismate sancto, suavitate odoris Christi, signaculo verae fidei, complemento doni Spiritus Sancti signatur *N. φ* in nomine Patris, Arnen; *ψ* et Filii, Arnen; *φ* et Spiritus vivi et sancti in vitam saeculi saeculorum. Arnen.”

Quaeritur quaenam ex tribus latinis formulis sit forma Confirmationis, utrum tantum *tertia*, et quaenam elementa sint essentialia in hac formula; exinde necessario etiam patebit quid in formula graeca, aliisque pluribus, ad valorem sacramenti pertineat.

Haec quaestio de forma Confirmationis, magis adhuc quam praece-

^{**} *Goar*, Euchologium Graecorum, ed. Venetiis, 1730, p. 296.

dens tractatio de materia, est inter theologos controversa et certae solutioni impervia; idque non tam ob diversitatem opinionum circa materiam quam ob inopiam documentorum Ecclesiae et praecipue ob defectum testimoniorum ipsius Traditionis, quorum priora determinatam formulam non produunt, posteriora vero varietate determinatarum formularum abundant, ut patet ex sequenti historico conspectu.

In *SCRIPTURA* nullum est certum testimonium, ut diximus in art. 2, de *unctione* nec proinde de formula eam comitante, quamvis non immerito quidam theologo, ut *Bellarmino* (cf. etiam Ambrosium, De myst. 7, 42 infra cit.), illius allusionem legant in verbis *apostoli 2 Cor. 1, 21 sq.*: “Qui autem *confirmat* nos vobiscum in Christo et qui *unxit* nos, Deus, qui et *signavit* nos et dedit *pignus Spiritus* in cordibus nostris.”

Manuum vero impositioni oratio ad accipiendum Spiritum S. coniuncta invenitur in *Ad. 8, 14-17*: “Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum . . . Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.” Quamvis autem ex solis verbis nequeat probari eam orationem (de qua tacet Act. 19, 1-6) composuisse unicum ritum cum manuum impositione, nec fuisse quamdam accidentalem tantum ac praeparatoriam actionem a Petro et Joanne ante ritalem manuum impositionem pro libito exhibitam, tamen id apparet ex praxi posterioris Ecclesiae quae, modum agendi Apostolorum fideliter applicare intendens, orationem et manuum impositionem ad instar unius ritus constanter composuit.

Quoad doctrinam et praxim *TRADITIONIS* juverit distinguere inter formulas adhibitae in manuum impositione et formulas concomitantes unctionem seu consignationem.

MANUUM IMPOSITIONEM constanter collatam fuisse cum quadam formula verborum patet ex frequentissimis Patrum testimoniis, quorum primum est *Tertulliani* (De bapt., cit. in art. 2, p. 270).

Tum priores Patres, ut Tertullianus et Cyprianus (Ep. 73), tum etiam illi posteriores qui hujus sacramenti doctrinam potius quam liturgicam praxim exponunt, ut Hieronymus (Adv. Lucif. 4), Augustinus (De Trin. 15, 26), Leo M. (Ep. 79, 7; 92, 18), Isidorus (Etym. 6, 19. 50-54), loquuntur indeterminate de aliqua *formula deprecatoria qua collatio Spiritus S. invocatur* quin specificent quibus verbis ea exprimeretur.

Cujus silentii ratio videtur quandoque saltem fuisse *antiqua disciplina arcani*, ut innuit *Innocentius I* (a. 401-417), *Ep. ad Decentium* cit. in art. 1: “Verba vero dicere non possum, ne magis prodere videar, quam ad consultationem respondere” (Denz. 98) ac explicite assertit

Pseudo-Dionysius Areop., *De eccl. hier.*, c. 7: “Invocationes . . . consecratorias nefas est scripto interpretari, et arcanum earum sensum, virtutesque quas in iis Deus operatur, e secreto in publicum efferre; sed . . . ubi eas secretioribus instructionibus hauseris . . . ad supremam earum scientiam subveheris” (M.G. 3, 566).

Formulas determinatas exhibent inter initium saec. 3 et finem saec. 5 opera *praxim liturgicam* Confirmationis exponentia quae *Hippolyto* (saec. 3) tribuuntur vel ex ejus originali opere derivata sunt,^{4†} scilicet: *Traditio Apostolica* (134-141 cit. in p. 286; quae est probabiliter originale opus Hippolyti), sic dictae *Constitutiones Ecclesiae Aegyptiacae* (cit. in p. 287; quae videntur esse idem ac *Traditio Apostolica*), *Testamentum D.N.J.C.* (2, 9, ed. Rahami, p. 131; quod est opus derivatum ex praecedenti) et *Canones Hippolyti* (134-141 cit. ibidem; quod est similiter derivatum opus).

Paulo diversas formulas exhibent saeculis posterioribus supra citata (in p. 292) *Sacramentarium Gelasianum* et *Sacramentarium Gregorianum* quod unicam orationem habet pro impositione manuum et pro unctione, inter utrumque ritum dispositam. Haec formula gregoriana mox generalioris usus evasit ac perseveravit in Ecclesia latina et adhuc hodie in *Pontificali Romano* praescribitur.

Communis autem nucleus illarum formularum est *jorma deprecativa et invocatio gratiae Spiritus S.*, cui in Sacramentariis Gelasiano et Gregoriano coniungitur enumeratio septem donorum Spiritus S., juxta doctrinam de septiformi spiritu quam post *Hilarium* (In Matth. 15, 10) divulgaverant Patres saec. 4 et 5 (cf. Ambrosium, *De myst.* 7, 42 cit. in p. 288 sq.; Augustinum, *Serm.* 347, 1, 2; *Serm.* 270, 5; Hieronymum, *Epist.* 149, 4).

In liturgia *Gallicana* (cf. *Missalia Gothicogallicana*, *Gallicanum vetus* et *Bobiense* cit. in p. 292) explicita formula impositionis manuum non exhibetur sed sola formula unctionis. Idem dic de liturgia *Orientali*, si excipiantur praefatae *Constitutiones Ecclesiae Aegyptiacae*, *Testamentum D.N.J.C.* et *Canones Hippolyti*, quae tamen, cum opus ipsum Hippolyti substantialiter exhibeant, principaliter saltem ad traditionem latinam referenda sunt.

QUOAD FORMULAM IN UNCTIONE ADHIBITAM quidam, ut *Vitasse*, volunt eam *apud Latinos* originem habuisse saeculo octavo ex imitatione ritus Graecorum. -P.24-

Iamvero formula unctionis explicita exhibetur in praefatis operibus *Hippolyti*, i.e. in *Traditione Apostolica* (“Ungueo te sancto oleo in

⁴*Diet. Théol. Cath.*, art. Hippolyte, col. 2502-2504.

“De confirm., p. 1, q. 3, a. 3, 2.

Domino Patre omnipotente et Christo Jesu et Spiritu Sancto”), in sic dictis *Constitutionibus Eccl. Aegypt.* (“Ungo te oleo sancto per Deum Patrem omnipotentem et Iesum Christum et Spiritum Sanctum”) et in *Testamento D.N.J.C.* (“Ungendo ungo in Deo omnipotenti, in Christo Iesu et in Spiritu Sancto”). Verum tamen est *Canones Hippolyti* solam formulam impositionis manuum referre (cf. textum cit. in p. 287).

Praeterea *ANONYMUS DE SACRAM.* 2, 7, 24 explicitam quamdam exhibet formulam: “Ergo mersisti, venisti ad sacerdotem: quid tibi dixit? Deus, inquit, Pater omnipotens qui te regeneravit ex aqua et Spiritu Sancto, concessitque tibi peccata tua, *ipse te ungat in vitam aeternam*” (M.L. 16, 450). Quae verba quamvis possint proxime referri ad unctionem sacerdotalem in Baptismo, tamen similem formulam subsequentis unctionis episcopalis appellant.

Non immerito proinde quidam, ut *Bellarminus* et *Estius*, vident allusionem ad formam unctionis in his verbis *AMBROSII*, praefati Anonymi coetanei: “Accepisti signaculum spiritale . . . *Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus; et dedit pignus Spiritus in cordibus tuis, sicut Apostolica lectione didicisti* (II Cor. i, 21, 22)” (M.L. 16, 419).

In opere *SERMONUM ARIANORUM FRAGMENTA ANTI-QUISSIMA* edito a *Mai*, *jragm.* 7, legitur: “Nullo modo [Catholici] praeponunt Filio Patrem in scriptis suis: insuper damnant omnes, qui praeponunt Patrem Filio: et tamen ipsi in benedictionibus suis praeponunt Patrem Filio, dum dicunt: ‘Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te regeneravit ex aqua, ipse te linet Spiritu sancto’, et caetera” (M.L. 13, 611).

Post saec. 7 abundant formulae in variis libris liturgicis, seu in Sacramentariis, Missalibus et Ordinibus, ut in Sacramentariis Gelasiano ac Gregoriano et in Missalibus Gothicogallicano, Gallicano ac Bobiensi citatis in art. 2. *Dom Martène* in suo opere *De antiquis Ecclesiae ritibus* (l. 1, c. 2, a. 4) varias formulas collegit.⁴⁹ Satis erit praecipuas hic subicere:

Hippolytus, *Trad. Apost.*: “Ungueo te sancto oleo in Domino Patre omnipotente et Christo Jesu et Spiritu Sancto”.

Anonymus De sacr.: “Deus Pater omnipotens . . . ipse te ungat in vitam aeternam”.

Sacramentarium Gelasianum: “Signum Christi in vitam aeternam”.

Sacramentarium Gregorianum: “Omnipotens sempiternus Deus . . . consigna eos signo crucis in vitam propitiatus aeternam. Per Dominum nostrum Iesum Christum...”

⁴⁹Breviorem elenchem harum formularum exhibent *Hugo Menardus*, *Notae* . . . in *S. Gregorii M. lib. Sacram.*, n. 334 (M.L. 78, 352 sq.), et *Vitasse*, *De confirm.*, p. 1, q. 3, a. 3, § 2.

Missale Gothicogallicanum: “Perungo te chrisma sanctitatis . . . tunicam immortalitatis, qua Dominus noster Jesus Christus. . .

Missale Gallicanum vetus: “Deus Pater . . . ipse te lenit chrismate suo sancto, ut habeas vitam aeternam”.

Missale Bobiense: “Deus Pater . . . ipse te liniat chrismate suo sancto in vitam aeternam”.

Codex S. Theodorici (prope Rhemos): “Consigno et confirmo te signo crucis, in nomine P. et F. et Sp. S.”

Ordo Romanus (fragmentum Einsidlense): “Confirmo te in nomine P. et F. et Sp. S.”

Sacramentarium Tolosanum: “Signat te Deus sigillo fidei suae, in consignatione fidei, in nomine P. et F. et Sp. S.”

In duobus *Ordinibus manuscriptis Tiliano et S. Germani a Patris*: “Confirmo te et signo in nomine P. et F. et Sp. S.”

In *Pontificali* manuscripto quod asservatur in Ecclesia *Rothomagensi* (probabiliter saec. 12): “Consigno te signo crucis et confirmo chrismate salutis, in nomine P. et F. et Sp. S.”

Ordo Romanus (ante saec. 13; infra cit.): “Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine P. et F. et Sp. S.”

Rituale asservatum in *Foxensi* collegio Tolosano et inscriptum “Ordo Romanae Ecclesiae” (in usu saec. 12-13): “Signo te signo crucis”.

Guilelmus Parisiensis: “Consigno te et cruce confirmo te”.

Alexander Halensis: “Consigno te signo crucis”.

Albertus Magnus: “Confirmo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine P. et F. et Sp. S.”

Bonaventura: “Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine P. et F. et Sp. S.”

S. Thomas: “Consigno te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine P. et F. et Sp. S.”

Cone. Florentinum: “*Forma* autem est: ‘Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti’” (Denz. 697).

Pontificale Romanum: “*N.* Signo te signo cru T. cis: Et confirmo te Chrismate salutis. In Nomine Pa ψ tris, et Fi 4« Iii, et Spiritus 4 sancti. *R.* Arnen.”

Notentur praecipue *FORMULAE GELASIANA, GREGORIANA* et *ORDINIS ROMANI*. In *Sacramentario Gelasiano* duae ponuntur formulae, i.e. formula deprecatoria collationis Spiritus S. in impositione manuum et distincta formula assertiva impersonalis ipsius chrismationis “*Signum Christi in vitam aeternam*”.

In *Sacramentario Gregoriano* vero utraque formula coniungitur in

unicam deprecatoriam quae incipit per invocationem Spiritus S. et terminatur per invocationem consignatoriam “*Consigna eos signo crucis in vitam propitiatus aeternam*”, quaeque exhibetur inter manuum impositionem et mentionem unctionis.

In quodam *Ordine Romano* (qui est antiquior saec. 13 ac probabiliter ad saec. 11 est revocandus; cf. Migne, P.L. 78, 1007 sq.) refertur ad verbum integra formula quae hodie praescribitur in *PONTIFICALI ROMANO*. Juerit ipsum textum subicere:

“*Ordo ad consignandum pueros sive injantes.*

. . . pontifex imposita manu super capita singulorum, dicat Orationem super eos cum invocatione septiformis gratiae Spiritus sancti, sic dicens: *Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo. Oremus. Omnipotens sempiternae Deus, qui regenerare, etc., sanctum Paracletum de coelis. Resp. Arnen. Spiritum sapientiae et intellectus. Resp. Arnen. Spiritum consilii et fortitudinis. Resp. Arnen. Spiritum scientiae et pietatis. Resp. Arnen. Adimple eos spiritu timoris tui, et consigna eos signo crucis Christi in vitam propitiatus aeternam. Per . . . in unitate ejusdem.* Tunc pontifex, intincto pollice in chrismate, et interrogato uniuscujusque nomine, faciat crucem in frontibus singulorum, sic dicens: *Joannes, vel alio quovis nomine invocans eos, Signo te signo ψ crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine 4 Patris, et Fi Iii et Spiritus ψ sancti. Pax tecum*” (M.L. 78, 1016 sq.).

Conferendo hunc ritum cum ritu descripto in duobus praedictis Sacramentariis, apparet primam formulam in manuum impositione esse integram et immutatam formulam gregorianam, alteram vero in chrismatione esse gelasianam formulam unctionis personaliter expressam et per mentionem chrismatis ac nominum divinarum personarum magis determinatam. Similis formula invenitur in *Codice S. Theodorici prope Rhemos* (cf. M.L. 78, 626), qui est antiquior praedicto Ordine Romano.

IN QUIBUSDAM RARIS MONUMENTIS MEDII Aevi VIDENTUR HAEC FORMULA UNCTIONIS PROPONI: “IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS S.”

Ita *Pseudo-Alcuinus*, De div. off. 19 scribit: “Dat pontifex super eos orationem, imposita scilicet manu super capita eorum, cum invocatione septiformis gratiae Spiritus sancti. Oratio: *Omnipotens sempiternae Deus, qui regenerare.* Hac finita, facit crucem de chrismate cum pollice in singulorum frontibus, ita dicendo: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, pax tibi.* Respondeant omnes: *Et cum spiritu tuo.* Haec verba sunt salutationis ad novum hominem, qui regeneratur” (M.L. 101, 1220).

Amalarius, De eccl. off. 1, 27 habet: “Dicit Romanus libellus [Ordo

Romanus]: de quo saepe commemoravimus: Oratione expleta, facit crucem cum pollice ex chrismate in singulorum frontibus, ita dicendo: In nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti, Pax tibi, et cum spiritu tuo. Haec verba sunt salutationis ad novum hominem” (M.L. 105, 1053).

In quodam *Ordine Romano* transeunter dicitur: “Episcopus (Jebet dicere quando mittit chrisma in frontibus infantum: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, pax tecum” (M.L. 78, 964). In alio vero *Ordine Romano* in quo directe exponitur ritus Baptismi et Confirmationis dicitur: “Dat *Orationem* pontifex super eos, *confirmans* eos cum invocatione septiformis gratiae Spiritus sancti. Oratione expleta, facit crucem cum pollice et chrisma singulorum frontibus, ita dicendo: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, pax tibi*” (M.L. 78, 1000).

Similia habet *Durandus* (in “Rationale divinorum officiorum”).

Attamen ex ipsa textuum consideratione apparet verba “In nomine P. et F. et Sp. S.” non proponi ut ipsam sacramentalem formam unctionis, saltem integram, sed esse vel abbreviatam citationem formae vel quamdam accidentalem et completoriam formulam, additam orationi praeviae in qua ipsa forma sacramentalis continetur. Id apparet tum ex mentione hujus orationis “Omnipotens . . .” tum ex eo quod verba “In nomine Patris . . .” a *Pseudo-Alcuino* et *Amalario* dicuntur esse formulam salutationis ad novum baptizatum. Ceterum, verba praedicti *Ordinis Romani* sic referuntur a *Menardo*: “Confirmo te in nomine P. et F. et Sp.S.”, quae magis conveniunt formulae *Ordinis Romani saec. 11-12* (nuper cit.). Quoad *Durandum* prorsus improbabile est ipsum habere ea verba ut formam Confirmationis cum omnes libri pontificales illius temporis usui talis formulae refragentur, ut observat *Martène* (De ant. eccl. rit. 1, 3, 11).

Apud Graecos, ut taceamus de supradictis documentis *Hippolyti* quae, principaliter saltem, ad latinam traditionem referuntur, formula unctionis inde saltem a saec. 7 unica invenitur ac immutata permansit, scilicet ἠφραγι δωρεά Πνεύματο αγίου (Signaculum doni Spiritu S.).

Ad eam non obscure alludunt *Cyrillus Hier.* (saec. 4) sub verbis Σφραγι τῆ κοινωνία (= communicationis; loco verbi δωρεά = doni) τοῦ ἁγίου Πνεύματος (Catech. 18, 33) et *Asterius*, Amaseae episcopus (saec. 4), sub ipsis verbis Σφραγι δωρεά Πνεύματο ἁγίου (Homiliain duos filios Evangelii Lucae); ex quo inferri potest jam inde a saec. 4 eam formulam in usu fuisse.

Primo tamen explicite refertur, sed interpolata, in *can. 7 CONC. CONSTANT. I* a. 381 statuente: “Arianos . . . et Macedonianos et Sabbatianos et Novatianos . . . recipimus . . . et signatos sive unctos primum sancto chrismate et frontem et oculos et nares et os et aures.

Et eos signantes dicimus: signaculum doni Spiritus Sancti [Σφραγι δωριὰ Πνεύματος ἁγίου]” (Cavallera, 1033). Certe autem sub forma legis relata est in decisionibus {*can. 95) CONCILII QUINISEXTI SEU TRULLANI II* a. 692 (cf. Hardouin, t. 3, c. 1694) ac per saecula transmissa in omnibus *Euchologiis*.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

PROTESTANTES formulam latinam “Signo te etc.” reiciunt, ut omni destitutam fundamento tum in Scriptura tum in primitiva Traditione atque ab Ecclesia introductam, minime congruenter indoli ac spiritui Evangelii. Confer *Calvinum* (Inst. christ., l. 4, c. 19, § 5), *Chemnitium* (Exam. Cone. Trid., p. 2) et *Dallaenum* qui in opere De Confirm., l. 1, c. 2, ait: “Forma vero ipsa Confirmationis in his verbis sita, Consigno te signo crucis, etc., ab Evangelii majestate, gravitate, atque genio, non minus distat, quam a coelo terra abest. Nihil in omnibus Dei litteris extat verbis istis conceptis simile”.

Inter *SCHISMATICOS GRAECO-RUSSOS* quidam particulares errores de forma Confirmationis observantur.

“*Quidam . . .* praeter haec verba [Signaculum doni Sp. S.], ad validitatem exigere videntur orationem chrismationi praeviam in euchologio, sic incipientem: Εὐλόγητο «ζ Κυρ» ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ, quod apostoli orare solebant, dum manus ad dandum Spiritum Sanctum imponebant (Act., viii, 15). *Dyovuniotis* ad signum sacramentale pertinere vult non solum hanc primam orationem, verum etiam longam formulam benedictionis chrismatis: Κίριε τοῦ ἐλεος καὶ πατρὸς τῶν φώτων. *Gabriel Severus* vero, Confirmationem sacramento Eucharistiae quadamtenus assimilans, formam videt in hac ipsa τοῦ μύρον benedictione a pontifice facta, quasi Sacrum Unguentum sacramentum permanens esset, Eucharistiae instar. Eum confutat Arcudius.”⁵⁰ ax

Nota Theologica.

Certum est in toto ritu latino aut graeco, prout de facto applicatur, contineri essentialem formam Confirmationis, secus indirecte periclitaretur dogma de infallibili Ecclesiae magisterio.

Diximus in p. 281 sine aliqua temeritatis nota negari non posse unctionem esse de essentia sacramenti; quamvis autem ex hoc non necessario sequatur formulam “Signo te . . .” esse essentialem, cum posset fortasse aliquis considerare, ut formam unctionis, ultimam partem praecedentis orationis quae dicitur in ipsa manuum impositione (“Con-

MDe Concordia Eccl. orient, et occid. in septem sacramentorum administratione, l. 2, c. 6.

li M. Jugie, Theol. Orient., t. 3, c. 3, a. 3, Parisiis, 1930, p. 140.

signa eos signo crucis”), tamen consideratis improbabilitate hujus explicationis (cf. Conci. 1,1), communi sententia theologorum et praecipue sensu Ecclesiae (cf. Cone. Flor., Catech. Cone. Trid. et Benedictum XIV), dici potest non sine *aliqua nota* negari posse formulam “Signo te . . .” esse essentialem Confirmationi. Ad rem faciunt verba *Benedicti XIV* (Encycl. “Ex quo primum” cit. in art. 2) declarantis “*extra controversiam* esse” sacramentum administrari dum, applicando unctionem, “minister formae verba pronuntiat”.

Quaenam vero elementa sint in hac aliisque formulis essentialia, liberae discussioni relinquatur.

Documenta Ecclesiae.

Cone. Florentinum, Decr. pro Armenis (Denz. 697 cit. in Statu Quaest., p. 324).

Catechismus Cone. Trid., p. 2, c. 3, q. 11: “Explicanda erit praeterea altera pars, ex qua sacramentum constituitur, forma scilicet et verba, quae ad sacram unctionem adhibentur. . . His igitur verbis confirmationis forma absolvitur: ‘Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti.’”

Cone. Bituricense (a. 1584), *De Confirm., can. 3*, docet nullam aliam esse hujus sacramenti formam debitam et qua uti consuevit Ecclesia praeter hanc “Signo te. . .”

Benedictus XIV, Encycl. “Ex quo primum” cit. in p. 285.

Ab *Urbano VIII* et *Benedicto XIV* validitas *formulae graecae* declarata est. Primus enim per specialem *Cardinalium congregationem* ad examen Ritualis Graecorum deputatam statuit nihil in eo innovandum esse, alter vero in *Encycl. “Ex quo primum”* 1 martii 1756 (§ 51. 54-59) declaravit totum ritum materiae et formae Confirmationis a Graecis adhibitum esse validum (cf. in p. 285).

THEOLOGORUM OPINIONES variant praecipue juxta varia placita de materia Confirmationis exposita in art. 2 (p. 279-281).

1. QUOAD IPSAM FORMULAM.

Primo, illi qui docent materiam esse solam primam manuum impositionem dicunt consequenter formam esse *solam orationem concomitantem*, formulam vero “Signo te. . .” esse accidentalem. Praecipue autem *arguunt* ex recenti origine hujus formulae in ritu latino; ex ipsius forma personali opposita formae deprecatoriae quae universaliter adhibita est in primis saeculis cujusque necessitas non minus eruitur ex Act. 8, 15 quam necessitas formae deprecatoriae in Extrema Unctione eruitur ex Jac. 5, 14; ex eo quod haec formula nullo modo correspondet impositioni manuum quae est de essentia sacramenti sed soli unctioni; ex eo quod mentionem Spiritus S. et proprii effectus hujus sacramenti

(i.e. collationis Spiritus S.) non continet; ex eo quod non convenit cum formula graeca quae praefatam mentionem et formam impersonalem habet.

Quarum rationum solutio patet ex dictis in Statu Quaest. et ex dicendis in Conci.

Secundo, Doctores qui volunt materiam esse solam unctionem, vel unctionem et manuum impositionem in ipsa unctione contentam, docent formam esse *tantummodo jormulam unctionis* "Signo te. . ." Haec est sententia *communior*, et hodie communis, sicut in quaestione de materia.

Tertio, qui volunt materiam esse duplicem, i.e. primam manuum impositionem et unctionem, generatin'! constituunt formam in *utraque formula* eas actiones concomitante, i.e. in verbis "Signo te. . ." et in oratione immediate praecedenti; quidam tamen videntur unam tantum formam, i.e. *orationem, pro utraque materia* admittere.

2. *QUOAD VERBA FORMULAE "SIGNO TE. . T*, patroni secundae sententiae disputant quaenam sint essentialia.

Plures (praecipue inter antiquiores), ut S. Thomas, Scotiis, Hadrianus VI, Dom. Soto, Suarez, Billuart, S. Alphonsus, Hugon, Priimmer, Hervé, dicunt integram formulam esse essentialem, nec referre si aliis aequivalentibus verbis exprimatur dummodo haec tria praecipue exhibeantur: *causa* (in nomine P. et F. et Sp. S.), *effectus* (Confirmo te chrismate salutis) et *signum* (Signo te signo crucis). Quidam ex his doctoribus (praecipue qui post Cone. Trid. scripserunt), ut Suarez, S. Alphonsus, Billuart et Hugon, videntur hanc sententiam defendere in eo *rigido sensu* quo dicimus verba "Ego te baptizo. . ." esse essentialia in Baptismo; commoda autem ratio qua eam defendunt est recursus ad potestatem Ecclesiae in determinationem materiae et formae sacramentorum.

Alii docere videntur sufficere expressionem *causae et signi*, ita ut haec sit valida: "Signo te signo crucis et confirmo te in nomine P. et F. et Sp.S." (ita *Bellarmino*), vel "Signo te (aut confirmo te) in nomine P. et F. et Sp.S." quemadmodum dicitur in Baptismo: "Baptizo te in nomine P. et F. et Sp.S." (ita *Estius*).

Alii, ut *Pesch, Cappello, Lercher*, dicunt sufficere expressionem *signi et effectus*, ita ut haec sit valida: "Signo te (aut confirmo te, aut utrumque) chrismate salutis."

Alii tandem docent sufficere expressionem *solius signi*, sive cum mentione subjecti ut in his "Signo te", "Confirmo te" (ita quidam quos tacito nomine memorat nec reprobatur *Estius*) vel absque illa mentione ut in hac "Confirmo" (ita *Amicus*).

Citatur etiam singularis *opinio Richardi archiepiscopi Armachani*,

docentis solam mentionem *causae* probabiliter sufficere, ita ut haec sit valida forma tum Confirmationis tum aliorum sacramentorum: "In nomine Patris et Filii et Spiritus S." Hanc sententiam memorat nec reprobatur *Petrus David Cardinalis ab Ostiaco*.⁶² (Cf. quae de tali formula diximus in Statu Quest., p. 325 sq.).

CONCLUSIO

Conclusio 1. Forma Confirmationis Non Consistit In Oratione Quae Comitatur Primam Manuum Impositionem Sed In Sola Formula Unctionis, Scilicet "Signo Te Signo Crucis Et Confirmo Te Chrismate Salutis In Nomine Patris Et Filii Et Spiritus Sancti".

Probat.

1. Materia Confirmationis non est prima manuum impositio sed chrismatio, ut probatum est in art. 2. Ergo forma consistit non in oratione quae manuum impositionem concomitat sed in verbis quae in chrismatione proferuntur.

Nec obstat quod ad finem illius orationis mentio consignationis habeatur in verbis "Deus, . . . consigna eos signo crucis Christi, in vitam propitiatus aeternam". *Nam* quamvis per haec et similia verba (sive unita sive separata ab illa oratione) posset Ecclesia confirmare, idque quandoque antiquitus factum esse non improbable est, de facto tamen hodie ea non constituere formulam essentialem patet tum ex satis longa temporis mora quae intercedere potest inter orationem et unctionem⁵³ quaeque posset officere morali simultati materiae et formae, tum praecipue ex eo quod frustra episcopus repeteret eandem fere formulam et quidem in ipso actu unctionis et sub forma assertiva ac personali.

2. *DOCUMENTA ECCLESIAE* huic Conclusioni favent.

Concilium Flor., *Catechismus Cone. Trid.* et *Cone. Bituricense* supra citata tantummodo formulam "Signo te. . .", eamque ut *joram* sacramenti, proponunt. *Pontificale Romanum* eos, qui jam primam manuum impositionem sub praedicta oratione susceperunt, vocat *confirmandos* jubetque episcopum *confirmare*. Praeterea, ut dictum est in p. 285, *Benedictus XIV*, *S.C. de Prop. Fide* et *S. Officium* declararunt ut valide confirmatum habendum esse eum qui solam chrismationem acceperit absque prima manuum impositione (et concomitanti oratione) eo quod, addit *S. Officium*, haec sit mera caeremonia.

⁵³ Ejus verba citat *Vitasse*, De confirm., p. 1, q. 3, a. 3, sect. 1, circa initium.

Constat quandoque eam orationem in una ecclesia post Baptismum, unctionem vero in alia ecclesia adhiberi consuevisse (cf. *Marlène*, De ant. Eccl. ritibus, l. 1, c. 2).

Sensus Ecclesiae tam manifeste patet, ut hodie vix reperiri poterit theologus qui contrariam sententiam defendat.

3. *TRADITIONIS MONUMENTA*, exposita in Statu Quaest., eidem sententiae favent. Nam in liturgia *Orientali* et in liturgia latina *Gallicana* non alia formula exhibetur quam ea quae unctioni coniungitur.

In pluribus ex aliis documentis (v.g. Codice S. Theodorici prope Rhemos, M.L. 78, 626; Ordine Romano supra cit. et Pontificali Romano in quibus eadem formulae exhibentur) verba prolata in unctione sunt quaedam repetitio, et quidem sub forma personali (Signo te), verborum quae habentur ad finem ipsius orationis quae manuum impositionem comitatur; haec autem repetitio frustranea esset et forma personalis praesumptionem redoleret nisi verba unctionis essent ipsa forma sacramenti.

Item ipsa *jorma personalis* verborum unctionis, quae apparet in pluribus etiam ex antiquioribus documentis (cf. Tradit. Apost. Hippolyti, Constit. Eccl. Aegypt., Testamentum D.N.J.C.), ostendit haec, potius quam verba deprecatoria impositionis manuum, habere rationem sacramenti quod est signum efficax gratiae ex opere operato; idque probabiliter ratio fuit quare apud Graecos forma deprecatoria vix unquam adhibita fuerit et apud Latinos paulatim in desuetudinem abierit.

4. In *ECCLESIA GRAECA* unica formula quae adhibetur est formula unctionis,⁵⁴ quae valida declarata est ab Urbano VIII et Benedicto XIV supra laudatis. Ergo, supposito quod Ecclesia non possit determinare essentiam sacramenti, ut probatum est in tract. De sacr. in gen., art. 30, etiam in Ecclesia latina forma sacramenti est formula unctionis.

5. *CONVENIENTIA HUIUS FORMAE* ostenditur ex eo quod in ea apte exprimuntur ipse ritus sacramentalis eiusque causae et effectus, scilicet causa materialis seu ritus (chrismate — signo), effectus i.e. gratia (confirmando — salutis) et character (signo), causa efficiens principalis (in nomine P. et F. et Sp. S.), minister (signo — confirmando) et subjectum (te).

Ad rem S. *Thomas*: “Praedicta forma est conveniens huic sacramento. Sicut enim forma rei naturalis dat ei speciem, ita forma sacramenti continere debet quidquid pertinet ad speciem sacramenti. Sicut autem ex supra dictis patet, in hoc sacramento datur Spiritus sanctus ad robur spiritualis pugnae. Et ideo in hoc sacramento *tria sunt necessa-*

^M Hanc esse formam sacramenti apud Graecos, non vero orationem quae praecedit unctionem aut quamlibet aliam, ostendit *Vitasse*, De confirm., p. 1, q. 3, a. 3, sect. 2.

ria, quae continentur in forma praedicta: quorum primum est *causa* conferens plenitudinem roboris spiritualis, quae est sancta Trinitas, quae exprimitur cum dicitur: *In nomine Patris/ etc.* Secundum est ipsum *robur spirituale* quod homini confertur per sacramentum materiae visibilis ad salutem, quod quidem tangitur cum dicitur: 'Confirmo te chrismate salutis.' Tertium est *signum* quod pugnatori datur, sicut et in pugna corporali milites insigniis ducum insigniuntur, et quantum ad hoc dicitur: 'Consigno te signo crucis/ in quo scilicet Rex noster triumphavit, ut dicitur Coloss. ii.'

Conclusio 2. Probabilius Sive In Praedicta Formula, Sive In Qualibet Alia, Ea Verba Sunt Requisita Et Essentialia Quae SuffICIENTER (i.e. Formaliter, Acquivalenter Aut Implicite) Expriment Materiam, Effectum, Causam Principalem, Ministrum Et Subjectum Hujus Sacramenti.

Probatur.

In hac implicata quaestione de determinatione formae Confirmationis, in qua vix certa sententia statui potest, *ex duplici principio procedendum est*, i.e. tum ex *SENSU ECCLESIAE ET TRADITIONIS*, tum ex *IPSA RATIONE SACRAMENTI ET FORMAE SACRAMENTALIS*, quam cum S. Thoma determinavimus in tract. De sacr. in gen. quaeque in ipso sensu Ecclesiae et Traditionis fundatur.

Attendendo autem ad *sensum Ecclesiae et Traditionis*, oportet imprimis certa ab incertis discernere. Certum est enim (ex dictis in Conci. praec.) tum in *formula graeca*, saltem inde a saec. 7 constanter adhibita, tum in *formula latina*, saltem inde a saec. 13 usitata, inveniri quidquid requiritur ad valorem sacramenti.

Id vero certum non est de *aliis formulis* exhibitis in monumentis Traditionis, quarum praecipuas supra citavimus, tum quia non constat in uno vel alio loco errorem in administratione hujus sacramenti non irrepsisse, tum praecipue quia *non constat eas immutatas aut integras ad nos pervenisse*, nam formulae citatae sive a privatis Doctoribus, sive etiam ab ipsis antiquis libris liturgicis aut praxim liturgicam explicite referentibus (qui non eadem praecisione et integritate ac moderna ritualia aut liturgica manualia exarabantur), quandoque sunt, aut esse possunt, tantummodo quaedam allusiones ad formam sacramentalem, omnibus aliunde bene notam, vel ejus abbreviatae citationes.

Id apparet ex his quae notavimus in Statu Quaest. de formula "In nomine P. et F. et Sp. S."; item ex comparatione ipsarum formularum *Gelasianae et Gregorianae* (cf. textus citatos in p. 292); non enim verisimile videtur in eadem Romana Ecclesia et eadem fere aetate factum esse transitum a ritu perfectiori et explicitiori (Gelasiano) ad

ritum minus distinctum (Gregorianum) relate ad ritum et formulas Ordinis Romani (saec. 11-12) quae nunc praescribuntur in Pontificali Romano; idem apparet ex comparatione inter ritum descriptum in *Testamento D.N.J.C. ac Canonibus Hippolyti* ex una parte et ritum relatum in *Traditione Hippolyti ac Constit. Eccl. Aegypt.*, qui propius accedit ad formulam latinam, quamvis haec duo opera ab eodem fonte procedant, imo, juxta probabiliorem eruditorum sententiam, sint antiquiora illis.

Attamen, ex tanta formularum varietate *dubium* aliquod ingeritur an omnia et singula elementa formulae latinae sint essentialia, cum videamus unum vel plura ex illis in aliis formulis frequenter desiderari. Hujusmodi *dubium* crescit et substantiatur ex consideratione *differentiae inter formulam latinam et formulam graecam*, utramque pariter antiquam, certam et validam.

Huic difficultati dupliciter quis occurrere potest: *Primo*, admittendo essentialem disparitatem formularum, et inde inferendo *vel* quod non omnia elementa importata in formula latina sint essentialia, *vel* quod Ecclesia habeat potestatem statuendi diversas formulas validas pro diversis temporibus et locis. *Secundo*, negando essentialem formularum disparitatem et ostendendo quomodo inter se conveniant.

Prior solutio videtur magis facilis et commoda ad difficultates solvendas, sed aliunde in alia incommoda impingit. Facile enim est statuere non omnia elementa latinae formulae esse essentialia, sed arbitrarie determinatur quaenam sint essentialia, praecipue cum Cone. Flor., Catechismus Cone. Trid., Cone. Bituricense et communis sententia antiquorum theologorum proponant integram formulam ut formam sacramenti. Commodissimum autem effugium ad praedictam potestatem Ecclesiae refutavimus in tract. De sacr. in gen., art. 30, ubi statuimus Christum essentiam sacramentorum specificè et immutabiliter instituisse.

Hinc videtur nobis recurrendum esse ad *alteram solutionem*, non quidem ut eam defendamus in eo rigido sensu quo omnes theologi docent in formula *Baptismi* "Ego te baptizo in nomine P. et F. et Sp. S." omnia elementa esse essentialia, sed *in hoc largiori sensu* quod in forma Confirmationis exprimi quidem debeant omnia elementa quae exprimuntur in formula latina, i.e. materia, effectus, causa principalis, minister et subjectum, non tamen eodem modo sed quaedam *jormaliter* (materia proxima et causa principalis), quaedam saltem *aequivalenter* (effectus, minister et subjectum), quaedam saltem *implicite* (materia remota).

Haec sententia:

1. *MAGIS CONVENIT SENSUI ECCLESIAE*, qui unice exprimitur in praedictis documentis, necnon doctrinae theologorum antiquorum, nominatim S. *Thomae*.

Non enim necesse est doctrinam Cone. Flor, et S. Thomae in tali rigido sensu interpretari quo dicatur omnia elementa formulae latinae, eo praeciso modo quo in hac continentur, esse essentialiâ. S. Doctor tantum docet quod, cum in hoc sacramento detur Spiritus S. ad robur spiritualis pugnae, oportet in ejus forma haec tria exprimere, i.e. Trinitatem, robur spirituale et signum quod pugnatori confertur, et haec tria apte exprimuntur in latina forma; non autem dicit ipsa necessario exprimi debere eo modo quo in latina forma exprimuntur; imo ex eo quod S. Doctor prorsus taceat de forma graeca, cujus convenientiam cum latina quoad sacramentum Baptismi ostenderit in q. 66, a. 5, ad 1, sequitur eum nullatenus dubitare de aequivalentia utriusque formulae, in quibus tamen non eodem modo illa elementa exprimuntur.

2. *CONVENIENTER OCCURRIT DIFFICULTATI* quae provenit ex varietate formularum.

Nam in *formula graeca*,TM de qua sola est potissimum curandum, *materia proxima* exprimitur partim formaliter (quoad signationem), partim aequivalenter (quoad manuum impositionem), partim implicite (quoad unctionem) verbo "Signaculum"; *materia remota* exprimitur similiter implicite eodem verbo; *effectus* exprimitur formaliter verbo "donum Spiritus S." (quoad gratiam) et eodem verbo "Signaculum" (quoad gratiam; probabiliter etiam quoad characterem); *causa principalis* exprimitur formaliter et quidem nomine "Spiritus S."; *minister* et *subjectum* exprimuntur aequivalenter in tota formula quae, quamvis in se habeat tantum speculativam significationem, ex usu tamen, ex circumstantiis et ex ipsa indole graeci sermonis aequivalet huic: "Ego do tibi signaculum doni Spiritus S.", sicut cum porrigendo alicui pecuniam dicimus: Ecce quinque libellae, vel tantum: Quinque libellae.

Quoad *ceteras vero formulas*, generale earum examen ac comparatio ostendit in eis, saltem collective sumptis, omnia praedicta elementa inveniri. Ostendere autem quomodo singulae cum latina formula conveniant necesse non est donec probetur eas esse certo validas vel saltem integras ad nos pervenisse, quod, ut nuper notavimus, valde dubium videtur. Ceterum etiam singularum convenientia cum formula latina non difficile attente consideranti apparebit praecipue post explicationes mox tradendas.

TM "Validitatem et aptitudinem huius formulae vindicarunt inter graecos theologos doctissimi Card. Bessarion (Opusc. De Eucharistia, in Bibliotheca Patrum, t. 26, p. 795) et Arcudius (De concordia Eccl. Occ. et Orient, in septem sacram, admin., l. 2, c. 7 sq.).

3. *CONSENTANEA EST RATIONI SACRAMENTI IN GENERE*, quod est signum gratiae, et hujus sacramenti in particulari, quod est signum gratiae roborantis in Spiritu S.

Cum enim sacramentum sit signum, oportet quod in ejus forma a qua speciem accipit “contineatur quidquid pertinet ad speciem sacramenti” (in corp, supra cit.), scilicet materia proxima et remota, effectus, causa principalis, minister et subjectum. Unde oportet quod in forma Confirmationis aliquo modo exprimaturs actus signationis chrismativae, chrisma, gratia roborans, S. Trinitas vel Spiritus S. (cui attribuitur collatio gratiae maxime roborantis), minister et subjectum.

Ceterum *necesse non est haec omnia aequali modo exprimi*, ut patet etiam ex consideratione formarum aliorum sacramentorum, non excepto ipso Baptismo, sed quaedam formaliter, quaedam aequivalenter, quaedam implicite. Ad quem modum determinandum (cum majori vel minori certitudine aut probabilitate), attendere oportet tum testimonia Traditionis tum propriam indolem hujus sacramenti.

Ex quibus haec deduci posse videntur:

Materia proxima, seu consignatio chrismativa, debet certo *formaliter* exprimi saltem sub una ratione, seu signationis (signo — signaculum), aut unctionis (ungo — unctio), aut manuum impositionis, probabiliter sub ratione *signationis aut unctionis*; non vero necessario sub ratione confirmationis (confirmo), hoc enim nomen, quamvis ex se referatur ad gratiam confirmatoriam, tamen ex usu importat tres illas actiones prout sunt unus ritus.

Materia remota seu chrisma, non formaliter ut in forma latina (signo chrismate), nec aequivalenter (ungo), sed saltem *implicite* ut in forma graeca (Signaculum, i.e. signum per oleum ductum), exprimi debet.

Effectus gratiae confirmativae (roborativae vel augmentativae) non debet exprimi formaliter (confirmo — augeo tibi gratiam), sed saltem *aequivalenter* (signaculum vel signo te spiritualiter [signantur enim res prius electae, et sigillare est veluti confirmare ac stabilius reddere]; chrisma salutis vel ungo te spiritualiter [unguntur enim res jam ablutae]). Expressio autem *characteris* non videtur esse essentialis, sicut nec in Baptismo habetur, quamvis probabile sit et ipsum exprimi in verbo “signare” (ad 3).

Causa principalis, seu Deus, probabiliter debet *formaliter* exprimi (Deus, Trinitas, Spiritus S., Christus); unde non sufficit implicita ejus expressio *nec requiritur formalis mentio Trinitatis* ut in latina formula *aut Spiritus S.* ut in graeca.

Explicita enim mentio Trinitatis deest in forma graeca, implicita vero continetur etiam in nomine Christi et practice in nomine Dei.

Nec valet opponere relationem hujus sacramenti ad Spiritum S., *nam* in ea agitur de mera attributione quae valet de qualibet gratia etiam in Baptismo collata; aut analogiam cum Baptismo, *nam* Baptismus est primum sacramentum spiritualis regenerationis et christianae initiationis, unde intelligitur quare sub expressione fundamentalis mysterii totius religionis constitutus fuerit, Confirmatio vero confertur subjecto jam in nomine Trinitatis per Baptismum consecrato.

Minister et subjectum non debent formaliter sed saltem *aequivalenter* exprimi, ut fit v.g. in sequentibus formulis: Signaculum doni Spiritus S.; Signum Christi in vitam aeternam; Signetur; Ungatur; Signatur; Ungitur; Deus te liniat; Deus te ungat.

Ex his sequitur:

1. Forma valida Confirmationis reduci potest ad duo verba quorum unum exprimat formaliter actionem sacramentalem, aliud formaliter divinam causam; nam his duobus elementis cetera quoque facile, modo praedicto, connectuntur. Tales sunt formulae: Signaculum Christi; Signaculum Spiritus S.; Unctio Spiritus S.; Chrismatio Deitatis.

2. *Hae non sunt validae:* Signaculum doni; Signum confirmationis; Signatio; Chrismatio; Confirmatio; Signo te; Confirmo te; Signo et confirmo te (in his enim deest mentio causae); item: Donum Spiritus S.; Gratia Trinitatis (in his enim deest mentio ritus seu actionis sacramentalis).

3. *Omnes jormae enumeratae in Statu Quaest. sunt validae*, non exclusa brevi illa gelasiana “Signum Christi in vitam aeternam”; exhibent enim formaliter sacramentalem actionem et causam, aliaque elementa modo praedicto involvunt.

4. In *forma graeca* omnia verba, excepto “donum”, sunt essentialia quamvis possint substitui aliis magis vel minus explicitis.

5. In *forma latina* non omnia verba sunt essentialia sed tantum “*signo*” et “*in nomine Patris (aut Filii aut Spiritus S.)*”, quae etiam aliter exprimi possunt.

6. *Forma latina simpliciter graecam praecellit* propter explicitiorem mentionem tum materiae (Signo chrismate — Signaculum) tum effectus (Confirmatio salutis — Donum) tum causae principalis (Signo crucis in nomine P. et F. et Sp. S. — Spiritus S.) tum ministri (Signo et confirmo — Signaculum) tum subjecti (Te). Forma vero graeca praecellit latinam *secundum quid* tum ex parte expressionis causae cui peculiariter hoc sacramentum attribuitur, i.e. Spiritus S., tum ex parte expressionis effectus tamquam specialis doni Spiritus S. superadditi gratiae baptismali sub nomine Trinitatis collatae, tum rituali illa ac synthetica solemnitate qua exprimitur.

7. *Ex comparatione formae Baptismi cum forma Confirmationis* patent sequentia. In illa, non in ista, omnia elementa formulae latinae sunt essentialia. In illa, *materia proxima* formaliter exprimi debet (abluo); in ista, formaliter quidem sed non totaliter, sufficit enim formaliter exprimere aut signationem aut unctionem; in utraque, sub forma vel deprecativa, vel impersonali, vel personali, exprimi potest (baptizetur; baptizatur; baptizo; signetur; signatur; signo). In utraque, *effectus* characteris explicite non indicatur, effectus gratiae intime imbibitur in ipsa expressione materiae proximae (abluere spiritualiter abluendo materialiter; signare vel ungere spiritualiter signando vel uniendo materialiter). In illa, requiritur explicita et distincta expressio Trinitatis; in ista, sufficit mentio *causae* divinae. In illa, mentio *subjecti* debet esse formalis; in ista, sufficit aequivalens. In utraque, sufficit aequivalens expressio *ministri*. *Breviter*, illa nequit his verbis compendiari: “Ablutio Trinitatis”, ista potest ad haec verba reduci: “Signatio Deitatis”.

Quae omnes convenientiae et discrepantiae proveniunt tum ex voluntate Institutoris, tum ex ipsa natura duorum sacramentorum (cf. dicta in tract. De Baptismo, art. 6).

e

ART. 5. Utrum Effectus Confirmationis Sit “Gratia Perfectae Aetatis Spiritualis Vitae” Et Character Militiae Christi (a. 1. 5. 6. 7).

STATUS QUAESTIONIS

In Introductione tractatus *definivimus* Confirmationem, metaphysice: *Sacramentum spiritualis roborationis*; physice vero: *Unctio chris-matis in fronte sub praescripta forma verborum, significans collationem gratiae roborantis*.

In art. 1 autem probavimus Confirmationem esse sacramentum, quod est *genus* seu materia *metaphysicae definitionis*; in art. 2. 3. 4. disputando de unctione et formula verborum, assignavimus *compositionem physicam* hujus signi sacramentalis. Manet igitur ut in praesenti, agentes de gratia roborativa, quae est *differentia specifica* seu forma definitionis metaphysicae, compleamus sermonem de utraque definitione et de *causis intrinsecis* hujus sacramenti.

Cum autem gratia roborativa sit non tantum signatum sed etiam *effectus* Confirmationis, eodem sermone explicabitur et absolvetur quaestio de *PRIMA CAUSA EXTRINSECA SEU DE FIXE*, quod enim est effectus in executione est etiam finis in intentione.

Diximus autem in tract. De sacr. in gen. praeter collationem gratiae

haberi in omni sacramento secundarium effectum, i.e. rem et sacramentum. qui in Baptismo, Confirmatione et Ordine *character* nominatur. De utroque igitur Confirmationis effectu hic sermo erit.

PARS NEGATIVA

1. QUOAD GRATIAM.

PROTESTANTES effectum spiritualis roborationis huic sacramento vehementer denegant. Talem effectum *alii* cum *Luthero* (De capt. babyl.) tribuunt *Eucharistiae*, dicentes hoc fortitudinis cibo olim martyres christianos confirmatos esse. *Alii* frequentiores, cum *Chemnitio* (Exam. Cone. Trid.) et *Calvino* (Inst. christ., l. 4, c. 19, n. 8; Antid. Cone. Trid., ad sess. 7, can. 2 de Confirm.), illum tribuunt *Baptismo*, dicentes doctrinam romanam esse contrariam dignitati et excellentiae Baptismi, contumeliosam in Spiritum S. cuius virtutem putido oleo alligat, injuriosam Apostolis et martyribus qui chrismati non fuerunt, oppositam doctrinae Scripturae (cf. Joan. 3, 5; Rom. 6, 4; 2 Tim. 1,7 sq.; Tit. 3, 5) et Patrum de virtute renovativa ac perfectiva Baptismi, nullatenus consentaneam ipsi ritui baptismali catholico, in quo habetur et repetita abjuratio Satanae et affirmatio regenerationis in Spiritu S., necnon ipsi praxi Ecclesiae non severius urgendi susceptionem rei tam necessariae. *Alii* tandem illum tribuunt *et Baptismo et Eucharistiae* cum *Jo. Dallaeo* scribente:

“Causantur spirituali robore ad mystica adversus persecutores certamina opus fuisse: quasi vero Spiritus ille, quem in genitali Christi unda hausimus, in eis sit vel ignavus, vel cor non confirmet panis ille, quem in Domini mensa invadimus . . . Vel ergo nega istum nos Spiritum et in Baptismo et in Eucharistia accipere; vel certe confitere, quod res est, post donata coelestia illa praesidia, nullam nobis suscipiendae unctionis istius tuae necessitatem.”⁸⁸

Initio saec. 17, tempore persecutionis anglicanae, *QUIDAM DOCTORES CATHOLICI ANGLI*, ut *Edoardus Knott S.J.* et *John Floyd S.J.*, docuerunt gratiam roborativam *non esse proprium et exclusivum effectum Confirmationis*. Cum enim, tempore quo Richard Smith, episcopus chalcedonensis, in Angliam ab Urbano VIII missus est, exorta esset controversia inter saeculares et regulares Anglos de necessitate immo opportunitate praesentiae episcopi tempore persecutionis, plures regulares, inter quos praesertim praefati doctores, talem necessitatem negaverunt, ad quam negationem firmandam sequentes propositiones

⁸⁸“De duobus latinorum ex unctione Sacramentis, Confirmatione et Extrema Unctione Disputatio, l. 1 De Confirm., c. 2, Genevae, 1659.

ediderunt quae, a *Matthaeo Kellison*, Duacensis Anglorum collegii rectore, impugnatae (De Ecclesiastica Hierarchia), a *facultate Parisiensi* a. 1631 variis gravibusque *censuris mulctate sunt*.⁵¹

“Catholicos chrismate unctos in Baptismo, licet ab episcopo non confirmatos, perfectos esse Christianos in sensu Patrum.

“Chrismatio in Baptismo per sacerdotem instituta fuit ab Ecclesia, ad supplendum non solum significationem episcopalis chrismatis, sed etiam effectum, nempe ad conservandos et confirmandos homines in baptismali gratia. Hoc docetur a D. Thoma q. 71, a. 3, ad 4.

“Cum D. doctor dicit quod Confirmatio sit ordinarium medium institutum ad dandum robur, ad profitendam fidem ante perseoutorem, si intelligat quod sit unum ordinarium medium, verum dicit; si intelligat esse ordinarium medium, id est, solum et unicum ordinarium medium ad faciendos Christianos perfectos et fortes, dictum ejus non est consonum veritati, cum alia media instituta sint a Christo ad faciendos nos fortes.”

2. QUOAD CHARACTEREM.

In tractatu De sacr. in gen., art. 15, dictum est tum *Protestantes* omnes, tum plures schismaticos *Graeco-Russos*, negare existentiam cujuslibet characteris.

Quoad Graeco-Russos notandum est “quosdam . . . non negare quidem existentiam alicujus characteris vel signaculi a Confirmatione impressi; hujusmodi autem signaculum habere ut aliquid mere externum vel deputationem extrinsecam; quosdam autem alios docere, ut videtur, *την σφραγίδα* Sacri Unguenti internam quidem, sed debilem et amissibilem esse, ipsumque sacramentum in certis casibus iterari posse. Hujus sententiae occasio fuit praxis Ecclesiae byzantinae chrismandi apostatas a fide Christiana, et etiam imperatores in caeremonia coronationis.”⁵⁸

PARS AFFIRMATIVA

Nota Theologica.

1. *QUOAD GRATIAM*. Est *de fide*, formaliter implicite definita, Confirmationem conferre gratiam; nam de fide est ipsam esse sacramentum et sacramentum esse causam gratiae (Cone. Trid., sess. 7, can. 1 de Confirm.; can. 1 et 6 de sacr. in gen.). Est *theologice certum* Confirmationem non esse ordinatam ad conferendam primam gratiam;

⁵¹De hac controversia confer *Vitasse*, De Confirm., p. 3, q. 2, a. 2.
⁵⁸*u M. Jtigie*, Theol. Orientalium, t. 3, c. 3, a. 4, n. 2, Parisiis, 1930, p. 144.

nam doctrina Ecclesiae est remissionem peccatorum mortalium non fieri nisi per Baptismum vel Poenitentiam (Conc. Trid., sess. 14, cap. 2 et can. 6; sess. 6, cap. 7). Est *saltem theologice certum* Confirmationem conferre specialem gratiam (i.e. roborativam, vel perfectivam, vel Spiritus S. collativam); hoc enim tam explicite proponit tum extraordinarium tum ordinarium et universale Ecclesiae magisterium, ut pluribus theologis videatur esse de fide.

2. *QUOAD CHARACTEREM.* Est *de fide*, explicite definita a Conc. Trid. (sess. 7, can. 9 de sacr. in gen.), Confirmationem imprimere characterem sicut Baptismus et Ordo.

Documenta Ecclesiae.

1. *QUOAD GRATIAM.*

Ex variis documentis *citatis in art. 2* apparet magisterium Ecclesiae hanc doctrinam explicite proponere: Confirmationem habere “*virtutem aliquam*” (Conc. Trid., can. 3 de Confirm.); hanc virtutem consistere in “*invisibilis gratiae collatione*” quemadmodum virtus Baptismi et ordinis (Conc. Tolet. XI; cf. Conc. Trid. quod idem formaliter implicite proponit ut supra diximus); hanc gratiam esse *quid peculiare*, i.e. aliquid quo baptizatus “*perficitur*” (Conc. Illiberitanum), vel fit “*Christi particeps*” (Conc. Laodicense), vel “*accipit Spiritum S.*” (Conc. Arelatense; Conc. Hispalense II; Innocentius I; Innocentius IV); hanc peculiarem gratiam consistere in quodam gratiae “*augmento et robore*” (Innocentius III; Conc. Florentinum).

Notentur praecipue tria haec documenta in quibus ratio gratiae Confirmationis gradatim determinatur:

Innocentius III, Ep. ad Basilium archiep. Trinovitanum: Chrismatio vel manus impositio “*alio nomine dicitur confirmatio, quia per eam Spiritus Sanctus ad augmentum datur et robur*” (Denz. 419).

Conc. Florentinum, Decr. pro Armenis: “*Per baptismum . . . spiritualiter renascimur; per confirmationem augemur in gratia, et roboramur in fide; renati autem et roborati nutrimur divina Eucharistiae alimonia*” (Denz. 695). “*Effectus . . . hujus sacramenti est, quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut videlicet Christianus audacter Christi confiteatur nomen*” (Denz. 697).

Catechismus Conc. Trid., p. 2, c. 3, q. 19: “*Pastores docebunt, confirmationem hoc cum ceteris sacramentis commune habere, ut, nisi impedimentum aliquod ex parte eius, qui recipit, inferatur, novam gratiam tribuat . . . Sed praeter haec, quae cum aliis communia censenda sunt, primum quidem illud proprie confirmationi tribuitur, quod*

baptismi gratiam perficit. Qui enim per baptismum Christiani effecti sunt, quasi infantes modo geniti, teneritatem adhuc et mollitiem quamdam habent; ac deinde chrismatis sacramento adversus omnes carnis, mundi et diaboli impetus *robustiores jiunt*, et eorum animus in fide omnino *confirmatur ad confitendum* et glorificandum nomen Domini nostri Iesu Christi, ex quo etiam nomen ipsum invectum esse nemo dubitarit.”

2. QUOAD CHARACTEREM.

Conc. Trid., sess. 7, can. 9 de sacr. in gen. et sess. 23 de Ordine, cap. 4, definit per Confirmationem, sicut per Baptismum et Ordinem, imprimi indelebilem characterem in anima, ex quo evadit sacramentum initerabile (Denz. 852, cit. in tract. De sacr. in gen., p. 270; Denz. 960).

Conc. Flor., Decr. pro Armenis, idem docuerat (Denz. 695, cit. ibidem, p. 269).

Catechismus vero Romanus, p. 2, c. 1, q. 25, fusius definitionem tridentinam explicavit.

Collatio characteris implicite etiam affirmatur in documentis quae initerabilitatem Confirmationis exprimunt (cf. art. seq.).

Scriptura.

1. *EFFECTUS GRATIAE*, et quidem peculiaris ac baptismalem gratiam subsequentis, explicite exhibetur in *Act. 8, 14-17 et 19, 1-6* per *collationem Spiritus S.* iam baptizatis; cujus collationis praedictiones iam in *A.T.* inveniebantur (Isai. 44, 3; Joel 2, 28 sq.; cf. Joan. 7,38 sq.; Act. 2, 16-18; citat, in Introductione tractatus). Ipsa Apostolorum sollicitudo in confirmandis baptizatis, quae in praefatis locis Actuum ostenditur, inculcat ipsis persuasum fuisse fidelibus, utut baptizatis, aliquid deesse ad perfectam participationem vitae Christianae ante susceptionem effectus Confirmationis, adeoque hunc esse quamdam gratiam *perjectivam* effectus Baptismi.

Hanc autem gratiam esse peculiariter *roborativam* in ordine ad fidei confessionem innuitur in *Act. 1, 8*: “Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem et in omni Judaea et Samaria, et usque ad ultimum terrae” (cf. Luc. 24. 48 sq.) et 5, 32: “Et nos sumus testes horum verborum, et Spiritus sanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus sibi” (cf. Act. 2, 47; 4, 33; 5, 41). Ex effectu enim quem adventus Spiritus S. habuit in Apostolis argui potest quid collatio ejusdem Spiritus operetur in *confirmatis*, nam his idem Spiritus S. datur “*sicut datus est Apostolis in die Pentecostes*” (*Conc. Flor.*; cf. *Catechismus Conc. Trid.*).

2. *EFFECTUS CHARACTERIS* indirecta allusio habetur in 2Cor. 1, 21, Eph. 1, 13, Eph. 4, 30; ut enim dictum est in tract. De sacr. in gen. (p. 270 sq.), in his textibus probabiliter Apostolus alludit ad confirmationem quam homo accipit in sua initiatione Christiana seu in Baptismo et praecipue in Confirmatione quae est sacramentum consignatorium per excellentiam.

Patres.

1. *QUOAD GRATIAM.*

Ut patet ex *testimoniis citatis in art. 1 et 2*, Patres docent effectum Confirmationis esse:

Primo, gratiam sanctificantem. Nam Confirmatio “spiritualiter proficit sicut baptismus” (Tertullianus); dat “gratiam Christi” (Cyprianus); “cutem conscientiae mollit exclusa duritia peccatorum et animum innovat” (Optatus); confert “donum gratiae” (Augustinus), “chrisma perenne” (Prudentius), “signaculum spiritale, spiritum sapientiae etc.” (Ambrosius).

Secundo, augmentum gratiae. Per Confirmationem anima accipit “ampliolem gratiam Spiritus S.” (Beda); “tunicam immortalitatis” (Missale Gothicogallicanum); “vestitur Spiritu S.” (Tertullianus; cf. Luc. 24, 49); qui in eam descendit tamquam in suum templum, Baptismo iam consecratum, divina praesentia et majestate replendum (Cyprianus, Ep.. 74, 5; Isidorus; Rabanus Maurus; P. Lombardus) vel in Baptismo aedificatum, in Confirmatione consecrandum (5. *Thomas* hic, a. 11).

Tertio, peculiarem collationem Spiritus S. Per Confirmationem enim “Spiritus S. advocatur” (Tertullianus); accipitur “virtus Spiritus S.” (Hippolytus) vel “munus et donum Spiritus S.” (Hilarius); consequitur, infunditur “ipse Spiritus S.” (Cornelius P.; Pacianus; Augustinus; Beda); “quo anima sanctificatur” (Cyrillus Alex.) et “vestitur” (Tertullianus); eo quod “in ea inhabitat” (Optatus).

Quarto, gratiam confirmativam, completivam et roborativam. Nam christiani “sacramento utroque nascuntur”, i.e. Baptismo generationem conferente et Confirmatione eandem ad perfectum complementum deducente (Cyprianus); unde per Confirmationem “post fontem *perficiuntur*” (Anonymus De sacr.) ac “signaculo dominico *consummantur*” (Cyprianus; Cyrillus Alex.; Optatus); sicut virtus aquae (Bapt.) perficitur per *virtutem ignis* (Confirm.) ad panem (Euchar.) conficiendum (Augustinus); sicut dignitas filii perficitur per dignitatem *regis et sacerdotis* (Leo M.); sicut virtus hominis succrescit in *robur militis*

(Sacramentarium Serapionis; Augustinus; Pseudo-Melchiades; P. Damianus; P. Lombardus).

Hic peculiaris aspectus gratiae ad spiritualem agonem *roborativae* signanter inculcatur ab *Ephrem* (In Joel. 2, 24) qui ait “baptizatos induere arma Spiritus S.”; a *Sacramentario Serapionis*, in quo dicitur baptizatos unctos signo crucis in quo Christus Satanam debellavit eoque confirmatos “permanere stabiles et immobiles, innocuos et inviolatos”; ab *Augustino* (In Psal. 141, 9), qui ait Christum hoc sacramentum per signum crucis in fronte seu “in loco pudoris nostri constituisse”; et praecipue a *Pseudo-Melchiade P.* (cit. initio Introd. tractatus), qui, explanans triplicem aspectum gratiae augmentativae, confirmativae et roborativae, ejusdem ad christianum agonem relationem constanter extollit.

2. QUOAD CHARACTEREM.

Confirmationis character involvitur in verbis “consignatio; signatio; signaculum; signum”, quae de hoc sacramento constanter ac veluti antonomastice praedicantur; nam, ut ait *Catechismus Cone. Trid.* (2 p., c. 1, q. 24), characteris “proprium est aliquid signare et notare”.

Attamen in his et similibus expressionibus non magis quam quaedam *innuitio* continetur; nam verbum “signare” non exclusive nec immediate refertur ad aliquem effectum distinctum a gratia et ab ipso ritu exteriori. Quandoque enim directe refertur ad ritum ipsum exterioris unctionis ad modum crucis collatae, quem Tertullianus vocat “signaculum frontium”; quandoque refertur tantum ad gratiam, quam Anonymus De sacr. et Ambrosius vocant “spiritale signaculum, spiritum sapientiae et intellectus, spiritum consilii etc.”; quandoque refertur ad totum effectum sacramenti in communi, quin inde concludi possit hunc esse duplicem seu importare aliquid a gratia distinctum, ut cum Tertullianus dicit quod “caro signatur ut anima muniatur” (i.e. signo spiritali, quod est vel gratia, vel character, vel utrumque) aut cum Sacramentarium Serapionis ait baptizatos per unctionem “accipere donum Spiritus S. et hoc sigillo confirmari”, vel cum Cyprianus docet eos “Spiritum S. consequi et signaculo Dominico consummari” (particula enim “et” potest significare identitatem utriusque membri istius dictionis, eo vel magis quod verbum “consummari” videtur referri ad gratiam Confirmationis quae gratiam Baptismi perficit).

Ipsae formae Confirmationis: “Signo te signo crucis — Signaculum doni Spiritus S. — Signum Christi in vitam aeternam” et similes, non ad aliud directe referuntur quam ad ipsum ritum exterioris signationis.

Patrum doctrina de existentia characteris Confirmationis praecipue consideranda est *ad modum unius cum eorum doctrina de existentia*

characteris Baptismi, exposita in tract. De sacr. in gen., art. 15. Nam propter intimum horum sacramentorum nexum, quorum unum est alterius complementum, eorumque copulatam administrationem, Patres, cum loquuntur de Christiano obsignato, prae oculis habent fidelem complete initiatum seu Baptismo et Confirmatione perfectum vel, juxta aptissimam expressionem *Cypriani*, “*utroque sacramento natum*”; unde quaecumque ipsi dicunt de existentia alicuius spiritualis ac indelebilis signi a gratia et a ritu exteriori distincti quoad Baptismum, valent quoque, proportione servata, de sacramento Confirmationis.

Praeterea, in quibusdam textibus distincte consideratur *ipsum signaculum Confirmationis* quod jam ab auctore Anonymo Sermonis De cataclismo (inter opera Augustini) *character* nominatur.

Ita *Cyrillus Hier*, in Cateches. distinguit inter characterem Baptismi, “sigillum per aquam” (*Catech. 3*) et characterem Confirmationis, “sigillum communicationis Spiritus S.” (*Catech. 18, 33; 21, 3; 22, 7*); in *Procatech. 17* hunc signanter appellat “*Spiritus S. signaculum indelebile in saecula*”.

Anonymus De cataclismo (Sermo ad catechumenos), c. 1, ait: “Baptizatus es, *signatus es regio caractere*, coepisti consequi annonam de mensa Regis tui” (M.L. 40, 693); in quibus verbis tria sacramenta christianae initiationis exhibentur, quemadmodum in authentico Augustini Serm. 227 (Ad infantes) cit. in p. 290. Ceterum, ibi agi de caractere Confirmationis non vero Baptismi, apparet etiam ex verbis quae in c. 2 immediate sequuntur: “Baptizatus es, mundatus, *unctus oleo*, restauratum est corpus tuum ad priorem statum primi illius hominis ante peccatum”.

Augustinus, Contra litt. Petii. 2, 104 (cit. in art. 1) et *De bapt. 3, 16*, dum ait Confirmationem sicut Baptismum permanere in hominibus pessimis, aequivalenter asserit Confirmationem habere aliquem effectum indelebilem adeoque a gratia distinctum. Praeterea, S. Doctor in opere *Contra epist. Parmen. 2, 13, 28* existentiam characteris Baptismi et Ordinis horumque initerabilitatem deducit ex eo quod haec sacramenta consistunt in aliqua subjecti consecratione; jamvero juxta ejus mentem etiam Confirmatio similem consecrationem importat.

Praeterea, affirmatio existentiae characteris *implicite* continetur in doctrina Patrum de *initerabilitate* Confirmationis, de qua in art. sequenti.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Effectus Primarius Confirmationis Est “Gratia Perfectae Aetatis Spiritualis Vitae”, Seu Plenissima Datio Et Missio Spiritus S. (a. 1.7).

Probatur.

Confirmationem conferre *gratiam communem* sequitur ex eo quod sit sacramentum, sicut vicissim in art. 1 probavimus eam esse sacramentum ex eo quod gratiam producit (ubi nullus est circulus vitiosus, quia non unica hac ratione utrumque probatur). Ut diximus supra, Patres hanc spiritualem efficaciam explicite et multipliciter proponunt, praecipue sub ratione *collationis Spiritus S.*; haec enim “missio seu datio Spiritus sancti non est nisi cum gratia gratum faciente” (a, 7), ut explicatur a theologis in tractatu De Deo Trino vel De Gratia, ubi de missionibus divinarum personarum.

Eam *per se* conferre gratiam communem *secundam seu augmentum gratiae* sequitur ex eo quod sit sacramentum vivorum (quod nonnisi *per accidens primam* gratiam conferre valet, ut dictum est in tract. De sacr. in gen., art. 13). Nam “sicut ex ipso nomine apparet, hoc sacramentum datur ad confirmandum quod prius invenerit; et ideo non debet dari his qui non habent gratiam. Et propter hoc sicut non datur non baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per poenitentiam reparatis. . . Et tunc per hoc sacramentum perficitur poenitentiae effectus, sicut et baptismi; quia per gratiam collatam in hoc sacramento consequitur poenitens plenior remissionem peccati” (a. 7, ad 2). Hanc veritatem quidam *Patres* proponunt sub figura *tunicae* spiritualis, *indumenti* Spiritus S., *consecrationis habitationis Dei* per Baptismum incoeptae.

Nec valet opponere in pluribus testimoniis citatis in art. 2 (v.g. Tertull., De Bapt. 6; Hippol., Trad. Apost.; Can. Hippolyti; Const. Eccl. Aegypt.; Paciano; Isidoro; Beda) effectus Baptismi et Confirmationis ita comparari ut illi tribuatur remissio peccatorum, huic vero collatio gratiae; ex quo sequitur hanc supervenire effectui Baptismi ut *primam gratiam*.

Etenim iidem Doctores tum in aliis locis in quibus explicant efficacitatem Baptismi, tum etiam in obiectis testimoniis, effectum hujus sacramenti proponunt ut quid positivum seu ut gratiam regenerationis quae vitam spiritualem importat; ceterum ex eorum mente remissio peccatorum nonnisi per gratiae infusionem obtineri potest. Inter schismaticos tamen *Graeco-Russos* quidam ita efficacitatem Confirmationis exaggerare videntur ut tribuant Baptismo solum negativum effectum remissionis peccatorum. Ita *Simeon Thessalonicensis* scribit: “Igitur necessario indigemus nos quoque hujus spiritualis unguenti, ac magis in ipso baptismate. Neque erit quispiam perfecte baptizatus qui unguentum non susceperit. Siquidem baptismo regeneratur, et a peccatis abluitur Spiritu. Caeterum pignora gratiae, ut etiam odorem vitae et

signaculum Spiritus nondum habet. Unde, ut baptizari, ita etiam *ἠ> μνρω* ungi necesse est... Nulla gratia praeditus nulloque signaculo apud Christum est insignitus qui *το μύρον* non suscepit.”⁵⁰

Confirmationem conferre propriam *gratiam sacramentalem*, ab effectu aliorum sacramentorum distinctam, patet ex ipsa ejus distinctione ab aliis sacramentis (cf. tract. De sacr. in gen., art. 12). Hanc autem esse *gratiam perfectae aetatis spiritualis vitae* patet ex modo quo in doles et effectus Confirmationis describuntur in Traditione et Documentis Ecclesiae. Hoc quippe sacramentum exhibetur ut *complementum Baptismi*, baptizatus enim per Confirmationem *confirmatur, roboratur, perficitur, consummatur*; effectus autem Baptismi est gratia generationis seu initii vitae spiritualis; unde effectus Confirmationis est gratia hanc vitam complens seu ad perfectam aetatem deducens.

Signanter *Cyprianus* hanc gratiam proponit cum ait Deum in spiritali hominis generatione procedere sicut in opere creationis primi hominis; quemadmodum enim prius Adamum plasmavit ac dein spiritum vitae in ipsum insufflavit, ita novae creaturae prius per Baptismum confert nativitatem, deinceps per Confirmationem Spiritum S. in eam immittit. Immo, ultra procedens, non cunctatur asserere quod christiani “*sacramento utroque nascuntur*” et utrique sacramento referre formulam spiritualis regenerationis: “Nisi quis renatus fuerit ex aqua [Baptismo] et Spiritu S. [Confirmatione], non potest introire in regnum Dei” (*Epp. 74, 7 et 73, 21* cit. in art 1, p. 271).

EX HIS PATET FALSITAS SUPRADICTAE SENTENTIAE KNOTT ET FLOYD. Nec valet ad mentem illorum, necnon *Protestantium, obicere* exemplum multorum martyrum qui fidem Christi publice confessi sunt non suscepto sacramento Confirmationis, immo Baptismi. *Nam*, ut dictum est in tract. De sacr. in gen., art. 12, p. 219, Dices 1, id potuit esse per accidens ex virtute abundantioris gratiae communis suppletis *alio modo* effectum gratiae sacramentalis Confirmationis. *Ceterum*, ut observat S. *Thomas*, “virtus divina non est alligata sacramentis. Unde potest conferri homini spirituale robur ad confitendum publice fidem Christi absque sacramento confirmationis; sicut etiam potest consequi remissionem peccatorum sine baptismo. Sicut tamen nullus consequitur effectum baptismi sine baptismi voto, ita nullus consequitur effectum confirmationis *sine voto ipsius*, quod potest haberi etiam ante susceptionem baptismi” (*a. 6, ad 1*; cf. ad 3).

Item inepte *PROTESTANTES arguunt* ex praxi Ecclesiae non severius urgendi susceptionem tanti sacramenti. *Nam*, ut dicitur in art. 7, ex ipsa ratione perfectionis hujus sacramenti sequitur ipsius susceptio-

⁵⁰De septem sacramentis, 43 (M.G. 155, 188); cf. *Jugie*, Theol. Orient., t. 3, Parisiis, 1930, p. 85 sq. et 142.

nem, secus ac Baptismi, non esse necessariam ad salutem, sicut ad esse vitae naturalis sufficit natiuitas, nec adulta aetas requiritur nisi ad bene et plene esse.

NOTA. *DE NATURA GRATIAE SACRAMENTALIS CONFIRMATIONIS.*

Haec *variis nominibus* a theologis appellari consuevit, ut collatio Spiritus S., donum Spiritus S., gratia augmentativa, gratia confirmativa, gratia perfectiva, praecipue vero gratia roborativa. At haec nomina exhibent unum vel alterum ex eius aspectibus qui omnes compendiantur in hac formali definitione S. THOMAE: *gratia qua "homo accipit quasi quamdam perfectam aetatem spiritualis vitae."*

Sic eam describit S. Doctor:

"Sacramenta novae legis ordinantur ad speciales gratiae effectus. Et ideo ubi occurrit aliquis specialis effectus gratiae, ibi ordinatur speciale sacramentum. Quia vero sensibilia et corporalia gerunt spiritualium et intelligibilium similitudinem, ex his quae in vita corporali aguntur, percipere possumus quid in spirituali vita gratiae speciale existât.

"Manifestum autem est quod in vita corporali specialis quaedam perfectio est quod homo ad perfectam aetatem perveniat, et perfectas actiones hominis agere possit; unde et Apostolus dicit [1 Cor. 13, 11]: 'Cum autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli'; et inde est etiam quod praeter motum generationis, quo aliquis recipit vitam corporalem, est motus augmenti, quo aliquis perducitur ad perfectam aetatem. Sic igitur et vitam spiritualem homo accipit per baptismum, qui est spiritualis regeneratio; in confirmatione autem homo accipit quasi quamdam perfectam aetatem spiritualis vitae" (a. 7).

Particulares aspectus huius gratiae sunt:

Collatio vel donum Spiritus S. Cum enim Spiritui S., potiusquam aliis personis Trinitatis, effectus gratiae (et consequentis inhabitationis, dationis et missionis divinae) *attribuatur*, maxime conveniens est specialissimam hanc gratiam (inhabitationem, dationem, missionem), qua homo ad perfectam aetatem deducitur, in eundem Spiritum, quasi reduplicata et antonomastica attributione, refundere.

Unde inepte *opponunt Protestantes* Spiritum S. iam in Baptismo conferri. *Equidem* et in Baptismo et in omnibus sacramentis aliisque inediis gratiae Spiritus S. confertur, at non eodem modo nec unquam eo peculiari et pleno modo quo in Confirmatione. Inde est quod in testimoniis Patrum et in formulis ritualibus non quomodolibet collatio Spiritus S. Confirmationi tribuitur sed secundum abundantissimam effusionem *omnium donorum septiformis Spiritus*; quo sensu etiam dicitur Spiritum S. per Confirmationem sua praesentia replere templum

in Baptismo consecratum vel consecrare templum in Baptismo aedificatum.

Apte Cone. Florentinum et Catechismus Cone. Trid. observant Spiritum S. in Confirmatione conferri “*sicut datus est Apostolis in die Pentecostes*” (Denz. 697), quatenus repetita descensio Spiritus S. efficit in singulis confirmatis quidquid generaliter effecit in Ecclesia pentecostalis adventus, excepta exteriori effusione gratiarum gratis datarum.

Gratia augmentative. Confirmationi non simplex gratiae augmentum convenit, quod est commune omni sacramento vivorum, sed tale quod ad adultam aetatem perducit; quo sensu gratia Confirmationis est veluti continuata gratia spiritualis regenerationis.

Gratia perjectiva. Haec fere idem sonat ac praecedens, nisi quod videatur addere relationem ad membra spiritualis vitae, seu virtutes et dona Spiritus S., quae in adulta aetate plenam evolutionem consequuntur. S. *Thomas* in q. 65, a. 1, ad 3, exhibet differentiam inter gratiam perfectivam Confirmationis et gratiam perfectivam *Eucharistiae* inquit: “Perfectio. . . quantum ad virtutem quidem, quae est quasi perfectio formalis, pertinet ad confirmationem; quantum autem ad consecutionem finis, pertinet ad Eucharistiam.”

Gratia confirmativa. Haec refertur tum ad donum gratiae, quod repetita elargitione a Deo confirmatur, tum ad generationem baptismalem quae firmatur ac stabilitur, sicut vita naturalis firmior evadit per augmentum adultae aetatis, tum ad vires interiores quas adulta aetas suppeditat.

Gratia roborativa. Haec peculiariter importat *internum remedium contra vulnus infirmitatis* relictum a peccato originali et partialem restitutionem doni integritatis justitiae originalis; praesertim consistit in quodam peculiari incremento virtutum fidei et *fortitudinis* necnon donorum intellectus et fortitudinis quae illis correspondent.

Consequenter autem relationem dicit, ac instanter in documentis Traditionis referri solet, ad *exteriora agentia* quae vitam spiritualem contrariantur et ad bella unde militia Christiana nomen ducit. Ad rem S. *Thomas* in C. Gent. 4, 60: “Perfectio spiritualis roboris in hoc proprie consistit quod homo fidem Christi confiteri audeat coram quibuscumque, nec inde retrahatur propter confusionem aliquam vel terrorem; fortitudo enim inordinatum timorem repellit. Sacramentum igitur quo spirituale robur regenerato confertur, eum quodammodo instituit pro fide Christi propugnatorem.”

Huic gratiae peculiariter correspondet alter sacramenti effectus, i.e. *character*, cuius praecise necessitas deducitur ex ordinatione Christiani ad pugnam spiritualem, ut mox dicetur.

COMPARANDO AD INVICEM EFFECTUS BAPTISMI ET CONFIRMATIONIS apparet, ut notavimus in tract. De sacr. in gen. (p. 534 sq.), hunc illum praecellere ordine dignitatis seu perfectionis, cum sit sacramentum plenitudinis gratiae individualis, quae praestat initiali gratiae in Baptismo collatae, sicut perfectum imperfecto et sicut aetas virilis aetati infantili (cf. verba Pseudo-Melchiadis citata initio Introductionis tractatus).

Nec valet opponere gratiam Baptismi esse majoris efficaciae eo quod conferat plenam remissionem et culpae et poenae, quod non obtinet gratia Confirmationis. *Nam* “sacramentum baptismi est efficacius quam hoc sacramentum, quantum ad remotionem mali, eo quod est spiritalis generatio, quae est mutatio de non esse in esse. Hoc autem sacramentum est efficacius ad proficiendum in bono, quia est quoddam spirituale augmentum de esse imperfecto ad esse perfectum. Et ideo [etiam] hoc sacramentum digniori ministro committitur” (a. 11, ad 2).

Disputant quidam utrum gratia Baptismi et gratia Confirmationis *differant specificè*. Affirmativa responsio patet ex eo quod, ut dictum est in tract. De sacr. in gen., art. 12, gratiae sacramentales sunt modalitates gratiae communis, adeoque differunt ab ea ut modus a re, ad invicem vero formaliter et specificè.

Ad rem S. *Thomas*: “Gratia sacramentalis addit super gratiam gratum facientem communiter sumptam aliquid effectivum specialis effectus, ad quod ordinatur sacramentum. Si ergo consideretur gratia in hoc sacramento collata, quantum ad id quod est commune, sic per hoc sacramentum non confertur aliqua alia gratia quam per baptismum, sed quae prius inerat, augetur. Si autem consideretur quantum ad illud speciale quod superadditur, sic non est ejusdem speciei cum ipsa” (g. 7, ad 3).

Conclusio 2. Secundarius Effectus Confirmationis Est Character Militiae Christianae (a. 5. 6).

Probatum eo triplici modo quo in tract. De sacr. in gen., art. 15, probata est existentia characteris in communi, scilicet:

1. *EX INITERABILITATE* hujus sacramenti, de qua in art. seq.; non alia enim ratio huius initerabilitatis assignari potest praeter impressionem characteris, ut explicatum est in praedicto art. 15.

2. *EX EXPLICITA FIDE TRADITIONIS DE EXISTENTIA CHARACTERIS*, quae patet tum argumento *indirecto seu praescriptionis*, ut dictum est in eodem art. 15, tum argumento *directo* supra exposito, ubi de Patribus et Documentis Ecclesiae (p. 341. 342. 343 sq.).

3. *EX RATIONE CONVENIENTIAE* fundatae in ipsa indole Confirmationis eiusque gratiae sacramentalis.

Nam “sicut supra dictum est [cf. praefatum art. 15] character est quaedam spiritualis potestas ad aliquas actiones sacras ordinata. Dicitur est autem supra, quod sicut baptismus est quaedam spiritualis regeneratio in vitam Christianam, ita etiam confirmatio est quoddam spirituale augmentum promovens hominem in spiritualem aetatem perfectam.

“Manifestum est autem ex similitudine corporalis vitae, quod alia est actio hominis statim nati, et alia actio quae competit ei, cum ad perfectam aetatem pervenerit. Et ideo per sacramentum confirmationis datur homini potestas spiritualis ad quasdam alias actiones sacras, praeter illas ad quas datur ei potestas in baptismo. Nam in baptismo accipit homo potestatem ad ea agenda quae ad propriam pertinent salutem, prout scilicet secundum seipsum vivit; sed *in confirmatione accipit homo potestatem ad agendum ea quae pertinent ad pugnam spiritualem contra hostes fidei*, sicut patet exemplo apostolorum, qui antequam plenitudinem Spiritus sancti acciperent, erant in coenaculo perseverantes in oratione; postmodum vero egressi non verebantur publice fidem fateri etiam coram inimicis fidei christianae. Et ideo manifestum est quod in sacramento confirmationis imprimitur character” (a. 5).

NOTA. *DE ESSENTIA CHARACTERIS CONFIRMATIONIS.*

Ex his quae de indole characteris in genere diximus in tract. De sacr. in gen., art. 16. 17. 18. 20, patet quod character Confirmationis:

Est quaedam *potentia* ad actus cultus, non quidem activa seu ad ea quae sunt cultus tradenda sicut est character Ordinis, sed *passiva* seu ad ea suscipienda, non tamen prout respiciunt privatam vitam spiritualem, ad id enim ordinatur character Baptismi, sed *prout important publicam fidei professionem*.

Omnes quidem Christiani quaedam ad divinum cultum pertinentia, imo quaedam sacramenta (i.e. Baptismum et Matrimonium), tradere possunt, non tamen omnia nec tamquam *ex officio* sicut ordinati; item omnes homines ad cultum et sacramenta Ecclesiae *suscipienda* vocantur ac quodammodo ordinantur, non tamen sicut baptizati qui proximam *potentiam et jus* suscipiunt ad reliqua sacramenta participanda; item omnis “baptizatus accipit potestatem spiritualem ad protestandam fidem per susceptionem aliorum sacramentorum [sed]. . . confirmatus accipit potestatem *publice* fidem Christi verbis profitendi, *quasi ex officio*” (fl. 5, ad 2).

Quidam theologi, ut *Ilugon*, dicunt characterem Confirmationis esse potentiam *activam*, vel praesertim activam; sed id adversatur sententiae S. *Thomae* (q. 63, a. 6; q. 65, a. 1, ad 3; hic a. 5 corp, et ad 2). *Nec obstat* quod character Confirmationis sit character militis, cuius est agere et pugnare; *nam* etiam character Baptismi est character civis,

cujus est civilia agere; unde ipse S. Thomas ait (hic a. 5) tum Confirmationem tum Baptismum ordinari ad diversas actiones sacras. Utriusque tamen character est quaedam passiva potentia, quia non ordinat, sicut character Ordinis, ad jura et res tradendas sed suscipiendas vel exsequendas, utique etiam per actiones sacras qualis est v.g. fidei protestatio.

Est *signum distinctivum* militum Christi seu fidelium spiritualiter provectorum. Omnis quidem Christianus ad spiritualem pugnam contra hostes invisibiles procedit, tum in Baptismo, Satanae eiusque operibus abrenuntiando, tum post Baptismum, eiusdem insidias devitando, “sed *contra hostes visibiles*, id est, contra persecutores fidei, pugnare, nomen Christi publice confitendo, est confirmatorum, qui jam sunt perducti spiritualiter ad virilem aetatem, secundum quod dicitur I Joan, ii, 14: ‘Scribo vobis, juvenes, quoniam fortes estis, et verbum Dei in vobis manet, et vicistis malignum.’ Et ideo character confirmationis est signum distinctivum, non infidelium a fidelibus, sed spiritualiter provectorum ab his quibus dicitur I Petri ii, 2: ‘Sicut modo geniti infantes’, etc.” (z. 5, ad 7).

Est *signum configurativum* Christi Ducis sacerdotalis. Sicut enim homo per characterem Baptismi, factus civis supernae illius civitatis cuius Christus est sacerdotalis Rector, ei assimilatur per regale quoddam sacerdotium (1 Petr. 2,9; Apoc. 20, 6), ita per characterem Confirmationis, ad dignitatem militis elevatus, assimilatur Christo Bellatori in signo crucis, quasi novus levita vexillum Regi proferens Arcamque foederis in coelestem Hierusalem deducens (cf. Psal. 109, 3 juxta textum massoreticum; Apoc. 7, 14).

Est *signum dispositivum* gratiae adultae aetatis; ab ea enim exigitur eamque exigit, ad eam ordinatur eamque causât, breviter, ad eam se habet ut praevius et secundarius effectus sacramenti (res et sacramentum) ad ultimum et principalem (rem sacramenti).

COMPARANDO AD INVICEM CHARACTEREM BAPTISMI ET CHARACTEREM CONFIRMATIONIS, apparet hunc illum praecellere pro quanto dignitas militis dignitatem civis, et vestis militaris tunicam civilem, praecellit.

Disputant theologi antiquiores an bini characteres *specificè distinguantur*. Quidam pauci, inter quos *Aureolus*, videntur solam distinctionem gradus docere, quatenus nempe idem specificè character secundum intensiorem gradum infundatur in Confirmatione quam in Baptismo, et in Ordine quam in Confirmatione.

Attamen ex specifica distinctione trium sacramentorum *specificè quo-*

que distinctio trium characterum, sicut et ipsarum gratiarum sacramentalium, necessario concluditur. Ceterum inde non necessario sequitur tres characteres esse veluti ad invicem juxtapositos, sed probabilius *coalescunt in unam realitatem* in qua tres formalitates materialiter identificantur eo fere modo quo, ut dictum est, ipsae gratiae sacramentales ita in unam gratiam coalescunt ut inter se distinguantur specificè, a gratia vero communi tantummodo modaliter (cf. tract. De Baptismo, art. 7, p. 92 sq.). Ex quo etiam intelligitur differentia modi quo identificantur characteres diaconalis, presbyteralis et episcopalis; hi enim sunt varii aspectus vel extensiones ejusdem formaliter characteris qui producit ab uno sacramento Ordinis per gradus collato.

EX GENERALI COMPARATIONE BAPTISMI ET CONFIRMATIONIS quoad eorum effectus, sequentes definitiones vel descriptiones utriusque sacramenti colligi possunt:

BAPTISMUS

1. Sacramentum *Trinitatis*
 - Sacr. aedificationis templi Dei
 - Sacr. consecrationis templi Dei
2. Sacramentum *regenerationis*
 - Sacr. incorporationis Christo et Ecclesiae
3. Sacramentum *primae collationis gratiae*
 - Sacr. fidei collatae
4. Sacramentum *remissionis*
 - Sacr. spiritualis ablutionis
 - Sacr. initiationis
5. Sacramentum *formationis*
 - Sacr. fidei
 - Sacr. Christianitatis seu societatis
 - Sacr. abrenuntiationis
 - Sacr. adhaesionis
 - Sacr. seu signaculum verticis

CONFIRMATIO

1. Sacramentum *Spiritus S.* (Augustinus)
 - Sacr. consecrationis templi Dei (S. Thomas)
 - Sacr. repletionis templi praesentia Deitatis (plures Patres)
2. Sacramentum *adultae aetatis* (S. Thomas)
 - Sacr. conformationis Christo, i.e. Uncto oleo plenitudinis gratiae (S. Thomas)
3. Sacramentum *confirmationis gratiae*
 - Sacr. fidei confirmatae
4. Sacramentum *perfectionis*
 - Sacr. spiritualis unctionis
 - Sacr. consummationis
5. Sacramentum *roborationis*
 - Sacr. fortitudinis
 - Sacr. militiae Christianae
 - Sacr. pugnae (Bonaventura)
 - Sacr. defensionis
 - Sacr. seu "signaculum frontium" (Tertullianus)

Hae omnes Confirmationis definitiones compendiari possunt in hac brevi S. THOMAE: "SACRAMENTUM PLENITUDINIS GRATIAE" (a. 1, ad 2 et 4).

ART. 6. Utrum Sacramentum Confirmationis Sit Absolute Initerabile.

STATUS QUAESTIONIS

Quaestio est de *PRIMA PROPRIETATE*, quae immediate fundatur in effectu hujus sacramenti, signanter in caractere, quemadmodum cognata proprietas Baptismi.

S. THOMAS specialem articulum de hac re non instituit ex eo quod initerabilitas Confirmationis iisdem fere rationibus probetur ac Baptismi initerabilitas, de qua explicite tractavit in q. 66, a. 9, ac immediate sequatur ex existentia indelebilis characteris de qua egit in q. 63, a. 5.

PARS NEGATIVA

Inter adversarios initerabilitatis recenseri nequeunt quidam qui tempore disputationum de *Rebaptismate et Reordinationibus* hoc etiam sacramentum, ab haereticis vel malis ministris collatum, ideo repetebant quia invalidum falso reputabant.

Verus error de initerabilitate Confirmationis tardius apparuit apud *SCHISMATICOS ORIENTALES*.⁶⁰ Inde a saec. 12 plures doctores, ritum reconciliationis haereticorum, qui in Oriente praesertim post innovationem introductam probabiliter a S. Methodio patriarcha constant. (843-847) magnam similitudinem cum ritu Confirmationis habuit et adhuc habet (cf. infra ubi de Patribus, obi. secundo), interpretare coeperunt ut veram iterationem ipsius sacramenti, indeque docuerunt Confirmationem esse iterabilem eo quod ejus effectus, secus ac effectus Baptismi, sit in se delebilis et amitti possit, praesertim per *apostasiam a fide*.

Ita *Job monachus*, *Nicolaus Cabasilas*, *Simeon Thessalonicensis* et communius Graeci moderniores, inter quos praecipue *Meletius Syrigus* qui hanc sententiam in ipsa *Confessione orthodoxa* consignavit.

Non defuerunt tamen theologi graeci qui initerabilitatem Confirmationis implicite admiserint, docentes indelebitatem characteris; immo quidam inter modernos, ut *Andrutus* et *Dyovuniotis*, eam explicite

^w Ci. *Juÿe* Theol. Orientalium, t. 3, c. 3 De Confirm., a. 4, n. 3.

admittunt. Praeterea theologi *Russi* a doctrina et praxi Graecorum iam a pluribus saeculis communiter dissentiunt.

“Sub influxu enim theologiae catholicae, theologi Kiovienses saeculi xvii praxi reconfirmandi apostatas a fide vel a quacumque haeresi reduces renuntiarunt. Ritus reconciliandi apostatas a sancto Methodio introductum Petrus Moghila in suo *Trebniko* non retinuit, sed quoscumque apostatas vel haereticos jam in Ecclesia ‘orthodoxa’, vel etiam in Ecclesia catholica confirmatos, per solam errorum abjurationem recipere jussit. Hunc reconciliationis apostatarum modum Ecclesia russica anno 1757 suum publice fecit et hactenus servavit. Unde plerique theologi russi ab hoc tempore reconfirmationem apostatarum reprobarunt.”¹

PARS AFFIRMATIVA

Nota Theologica.

De fide definita.

Documenta Ecclesiae.

Cone. Toletanum VIII (a. 653), *can. 7*: “Sanctum chrisma collatum et altaris honor [sacr. Ordinis] evelli non queunt” (M.L. 130, 512).

Cone. Cabillonense II (a. 813) cit. in art 2, p. 282.

Cone. Florentinum (Denz. 695), *Cone. Trid. {sess. 7, can. 9; Denz. 852}*. *Pius IV* (Denz. 996), *Codex J.C. {can. 732}*, citata in tract. De Baptismo, art. 8, p. 96 sq.

Codex J.C. definitionem Conciliorum sub hac explicitiori forma refert: “Sacramenta baptismi, confirmationis et ordinis, quae characterem imprimunt, iterari nequeunt. Si vero prudens dubium existat num revera vel num valide collata fuerint, sub conditione iterum conferantur” {*can. 732*}.

Scriptura.

Ut dictum est in tractatu De Baptismo, art. 8, initerabilitas tum Baptismi tum Confirmationis continetur in verbis Apostoli ad Hebr. 6, 4. 6 juxta unam ex probabilibus expositionibus illius textus.

Patres et Theologi.

In doctrina Patrum de impressione characteris *indelebilis*, exposita in art. praec., initerabilitas Confirmationis *implicite* continetur. *Explicite* eam exhibent sequentia documenta:

n Jugie, Thcol. Orientalium, t. 3, c. 3, a. 4, n. 3, Parisiis, 1930, p. 150 sq.

Optatus Mil., De schism. Donat. 7, 4, cit. in art. 2, p. 288.

Fulgentius, Serm. 45, De unico Baptismo, loquens de unitate seu initerabilitate Baptismi, transeunter affirmat etiam initerabilitatem Confirmationis: "Unum diluvium, una columba, unus ramus, unum baptisma, unus Spiritus, et unum chrismatis sacramentum. Accusat te illa columba uno contenta gestatorio rami frondentis. Emissa est iterum de arca (Genes, viii, 8), et alteram non deportavit, quia sufficit ei quod unum semel sub uno sacramento. Vecta labia columbae tenentis ramum tanquam duo sunt Testamenta, ut frondosa tenentis chrismatis Christi mysterium. Et tibi, haeretice, leve est multos diluvios [Baptismos] iterare?" (M.L. 65, 910 sq.)

Gregorius M., Ep. 9, ad Januarium, cit. in art. 2, p. 290.

Idem, Epp., I. 14, Ep. 17, ad Felicem Messanensem episc.: "Quoties tam de baptismo aliquorum, vel confirmatione, quam de ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, et nec scriptis nec testibus ratio certa habetur utrum baptizati vel confirmati, sive ecclesiae consecratae sint, ut baptizentur tales ac confirmentur, atque ecclesiae canonice dedificentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat, quoniam non monstratur iteratum quod non certis indiciis ostenditur rite peractum" (M.L. 77, 1325 sq.).

Gregorius II (saec. 8), Ep. 14, ad Bonifacium episc., n. 4: "De homine qui a pontifice confirmatus fuerit, denuo illi talis reiteratio prohibenda est" (M.L. 89, 525).

Capitularia Caroli M., I. 3, n. 424, cit. in art. 2, p. 293.

Bernaldus Presbyter, De vitanda excommunicatorum communione etc.⁰²: "Sive . . . manus impositio pro reconciliatione poenitentium. sive pro depulsione infirmitatis vel diaboli, sive pro simplici benedictione hominibus impendatur, satis congrue juxta Augustinum nihil aliud nisi oratio super hominem intelligitur; unde et iterari quoties necesse fuerit non prohibetur. Cum vero pro confirmatione vel ordinatione impenditur non jam pro sola oratione, sed etiam pro sacramento habenda est; quod sancti Patres iterari prohibuerunt" (M.L. 148, 1189 sq.).

Goffridus Vindocensis (saec. 11), Opusc. 9: "Ibi reiteratur sacramentum, ubi idipsum iterum datur . . . Ubi vero propter aliud et aliud datur, non iteratur sacramentum, sed tribuitur ad virtutis augmentum. Quamvis enim prius in vertice, et postea in fronte homo chrismate ungetur, non tamen iteratur chrismatis sacramentum, quia, ut superius diximus, propter aliud et aliud fit; sicut et baptismus minime iteratur, etiam si multoties post baptismum aquis baptismatis aspergamur" (M.L. 157, 226).

Photius (820-892) initerabilitatem Confirmationis fortiter defendit

⁰²Hoc opus tribuendum est *Hincmaro Rhemensi* (ca. 882).

dum, falso attribuens Latinis iterationem hujus sacramenti (cf. infra Obi. tertio), scribit in sua Encyclica ad Orientales: "Talem quis insaniam unquam audivit, quam isti mente capti audere non dubitaverunt, ut illos, qui semel chrismate uncti sunt, iterum chrismarent, excelsa divinaque Christianorum mysteria in nugas et derisum convertentes?" Et paulo infra: "Iterata chrismatio illorum qui baptizati sunt et chrismate uncti canonum auctoritate non indiget, ut opinor, ut damnetur; cum vel ipsa sola rei narratio superet omnem impietatis excessum."

Decretum Gratiani, pars 3 de consecr., dist. 5, c. S, repetit verba supra dicti Cone. Cabillonensis II (cf. M.L. 187, 1858).

Petrus Lombardus, 4 Sent., dist. 7, n. 2, resumens doctrinam antiquorum theologorum, ait: "Nec debet [Confirmatio] iterari, sicut nec Baptismus, vel Ordo. Nulli enim sacramento facienda est injuria; quod fieri putatur, quando non iterandum iteratur. Sed utrum aliqua vel nulla iterari possint, quaestio est. Nam de Baptismo et Ordine quod non debeant iterari, aperte Aug. dicit: Utrumque sacramentum est, et quadam consecratione datur, illud quidem cum baptizatur, illud vero cum ordinatur. Ideoque in Ecclesia catholica utrumque non licet iterari, quia neutri facienda est injuria; quod indubitanter etiam de Confirmatione tenendum est" (M.L. 192, 855 sq.).

OBICITUR PRIMO textus *Augustini, De bapt. 3, 16*: "Manus autem impositio non sicut Baptismus repeti non potest" (M.L. 43, 149).

RESPONDETUR. S. Doctor non agit de repetitione manuum impositionis, quae sit materia sacramentalis, sed de caeremonia reconciliativa haereticorum. Addit enim immediate: "Quid est enim aliud [manuum impositio] nisi oratio super hominem?", atque inferius (5, 23) docet: "Manus autem impositio, si non adhiberetur ab haeresi venienti, tanquam extra omnem culpam esse judicaretur: propter charitatis autem copulationem, quod est maximum donum Spiritus sancti, sine quo non valent ad salutem quaecumque alia sancta in homine fuerint, manus haereticis correctis imponitur" (M.L. 43, 193). Hoc modo S. Doctorem interpretatur etiam Bernaldus Presbyter (seu potius *Hincmarus Rhemensis*) nuper citatus.

Nec obstat quod immediate ante objecta verba S. Doctor videatur loqui de ipso sacramento Confirmationis. *Nam,* cum praeter impositionem manuum ad confirmandum haberetur in Ecclesia alia manuum impositio ad reconciliationem haereticorum, legitime ex illa ad hanc discursum divertit, sequenti fere modo ratiocinans: Sacramentum Confirmationis (manuum impositionem) etiam mali habent non vero eius effectum, i.e. operationem Spiritus S. seu gratiam, quam haeretici tunc

accipiunt cum in sinu Ecclesiae per poenitentialem manuum impositionem admittuntur; potest enim manuum impositio quae fuit sacramentalis repeti, sub alia quidem forma, i.e. caeremoniali vel poenitentiali.

OBICITUR SECUNDO ritus reconciliationis *apostatarum a fide*, qui inde saltem a saec. 11 observatur in ecclesia schismatica atque a *S.METIIODIO* patriarcha constant. (843-847) originem habere dicitur; talis enim ritus consistit in unctione et verbis "Signaculum doni Spiritus S." atque ab Orientalibus habetur ut vera iteratio Confirmationis antea in ipsa Ecclesia susceptae.

RESPONDETUR. ³ Imprimis stabilienda est *origo talis ritus*; si enim esset schismaticorum innovatio, post discessum ab unitate Traditionis, nihil inde sequeretur. Illius autem clara vestigia non inveniuntur nisi in Euchologiis manuscriptis saec. 10 posterioribus, quae eum quidem tribuunt *S. Methodio*. Hanc autem attributionem quidam eruditi catholici, ut Arcudius et Morinus, impugnant, alii vero, ut Goar et Jugie, concedunt.

Quidquid vero sit tum de origine tum de opportunitate talis *innovationis* (nam, ut mox dicitur in resp. ad sequentem objectionem, antiqua praxis reconciliandi haereticos per caeremoniam invocativam Spiritus S. non respiciebat apostatas a fide sed tantum confirmatos in ipsa haeresi), praedictus ritus reconciliationis *apostatarum* nequaquam fuit iteratio Confirmationis; unde doctores schismatici posteriores decepti sunt in interpretatione praxis suae ecclesiae.

Id patet tum ex supra citata *doctrina Photii*, fere immediati successoris *5. Methodii*, tum ex eo quod, juxta praefatum ritum, apostata debet ante unctionem lavacrum suscipere, si enim hoc lavacrum non habetur pro iteratione Baptismi quare unctio habetur pro Confirmationis iteratione?, tum ex tertia inter sex Orationes ritum illum componentes, ex qua apparet ipsum non esse Baptismi aut Confirmationis iterationem, sed tantum significare quamdam *reviviscentiam effectus* utriusque sacramenti in apostata converso, sic enim sonat: "Virtute et operatione Sancti tui Spiritus mentem ejus irradiat, ut salutaris baptismatis scintilla in ejus anima accendatur, et impressum ei sigillum in ejus corde et cogitationibus per crucis Christi tui signationem *expressius appareat*".^{e4}

OBICITUR TERTIO iteratio Confirmationis Bulgarorum, iam a presbyteris photianis confirmatorum, facta ab episcopis latinis missis in Bulgarian! a Papa Nicolao post illorum presbyterorum expulsionem.

^{e4}Cf. *Jutfe*, *Thcol. Orientalium*, t. 3, c. 3, a. 4, n. 3.

^{e4}Apud *Goar*, *Euchologium Graecorum*, Venetiis, 1730, p. 691.

RESPONDETUR. Confirmatio, a presbyteris photianis collata, *invalida erat*: “1. Quia *photiani* erant, a Photio schismatico et a papa solemniter sententia deposito missi et forsitan etiam ordinati. Photius namque, utpote omni jurisdictionis potestate spoliatus, suis presbyteris, *invito roniano pontifice*, validam delegationem ad confirmandum dare nequibat; debita autem delegatio superioris [ut ostendetur in art. 9] . . . simplici presbytero necessaria est, ut hoc sacramentum valide conferre possit; 2. Quia presbyteri graeci confirmaverant in territorio jurisdictioni patriarchatus romani subjecto. Bulgaria siquidem ad illas Illyrici provincias pertinebat quas Leo Isaurus, anno 1732, [Lege 732] jurisdictioni romani pontificis violenter subtraxerat. Huic usurpationi papae semper reclamaverant. Unde etiam ex hac parte, presbyteri photiani illa delegatione legitima carebant, quae eis necessaria fuit ad valide confirmandum.”⁶⁵

OBICITUR QUARTO, ac praecipue, *antiqua praxis Ecclesiae reconciliandi haereticos* per impositionem manuum cum invocatione Spiritus S. apud Latinos et per unctionem cum formula “Signaculum doni Spiritus S.” apud Graecos. Ad rem faciunt praecipue sequentia documenta:

Decretum Stephani I (Denz. 46, cit. in tract. De sacr. in gen., art. 39, p. 479).

Cyprianus, Ep. 72, 1 (ad Stephanum I): “De eo vel maxime tibi scribendum . . . eos qui sunt foris extra Ecclesiam tincti, et apud haereticos et schismaticos profanae aquae labe maculati, quando ad nos atque ad Ecclesiam, quae una est, venerint, baptizari oportere; eo quod parum sit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum sanctum, nisi accipiant et Ecclesiae Baptismum. Tunc enim plene sanctificari et esse filii Dei possunt, si Sacramento utroque nascantur, cum Scriptum sit: ‘Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei’ (Joan, iii, 5)” (M.L. 3, 1083 sqq.).

Idem, *Ep. 71, 2* (ad Quintum): “Quod nos quoque hodie observamus, ut quos constet hic baptizatos esse et a nobis ad haereticos transisse, si postmodum, peccato suo cognito et errore digesto, ad veritatem et matricem redeant, satis sit in poenitentiam manum imponere; ut quia ovis jam fuerat, hanc enim abalienatam et errabundam in ovile suum pastor recipiat” (M.L. 4, 423).

Anonymus De rebapt. 1: “Animadverto quaesitum apud fratres . . . utrum vetustissima consuetudine ac traditione ecclesiastica, post illum quod foris quidem, sed in nomine Jesu Christi Domini nostri accepe-

a Jugit, Theol. Orientalium, t. 3, c. 3, a. 5, n. 3, Parisiis, 1930, p. 170; cf. *Nicolaum I*, Epp. 152, ad Hincmarum, et Responsa ad Consulta Bulgarorum (M.L. 119, 1152 sqq. et 978 sqq.).

runt baptisma, tantummodo imponi eis manum ab episcopo ad accipiendum Spiritum sanctum sufficeret, et haec manus impositio signum fidei iteratum atque consummatum eis praestaret: an vero etiam iteratum baptisma his necessarium esset" (M.L. 3, 1231-1233).

Conc. Arelatense (a. 314), *can. 8* (Denz. 53, cit. in art. 1, Conci., p. 272).

Conc. Constant. I (a. 381), *can. 7* (Cavallera, 1033, cit. in art. 4, p. 326 sq.).

Siricius P., Ep. ad Himerium Tarraconensem (a. 398; Denz. 88, cit. in tract. De sacr. in gen., art. 39, p. 480).

Innocentius I, Ep. ad Vitricium Rotomagensem (a. 404): "Ut venientes a Novatianis vel Montensibus per manus tantum impositionem suscipiantur, quia quamvis ab haereticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati" (Denz. 94).

Conc. Arelatense II (a. 443 vel 452), *can. 17*: "Bonosiacos [baptizare non oportet, sed] . . . cum chrismate et manus impositione in ecclesia recipi sufficit" (Cavallera, 1036, in nota, ubi notatur hunc aliosque canones haberi ut privatas compilationes ex veteribus canonibus).

Leo M. (440-461), *Ep. 159, 7*, ad Neonem episc. Ravennatem: "Quod si ab haereticis baptizatum quempiam fuisse constiterit, erga hunc nullatenus sacramentum regenerationis iteretur; sed hoc tantum quod ibi defuit conferatur, ut per episcopalem manus impositionem virtutem Sancti Spiritus consequatur" (M.L. 54, 1194).

Gregorius M. (590-604), *Ep. 67*, ad Quiricum episc., cit. in tract. De sacr. in gen., art. 39, p. 484.

Conc. Quinisextum seu Tridlanum II (a. 692), *can. 95*, in quo refertur supradictum *can. 7* *Conc. Const. I*.

RESPONDETUR. Praedicta praxis seu ritus reconciliationis haereticorum dupliciter considerari potest, scilicet dogmatice et historice.

Sub aspectu dogmatico considerata ea praxis *nullo modo contradicit doctrinae de initerabilitate sacramenti*; nam vel erat quaedam caeremonia poenitentialis (coniuncta cum sacramento Poenitentiae), essentialiter distincta a sacramento Confirmationis quamvis consistens in ritu simillimo ritui confirmatorio, vel erat ipsa Confirmatio, non iterata, sed primo collata haereticis qui erant vel putabantur hoc sacramento destituti.

Si autem *sub aspectu historico* illa praxis consideretur, seu si quaeratur utrum de facto esset quaedam caeremonia poenitentialis an collatio Confirmationis, non facile et certum iudicium de ea ferri potest nec uno modo ab eruditis iudicatur.⁰⁰

— II

MDe hac quaestione confer praecipue *Vitasse*, De confirm., p. 2, q. 2, a. 6, sect. 1, §7-10; *Saltet*, Les Réordinations, Paris, 1907, p. 21 sqq.; 36 sqq.; 402 sqq.; *D'Alès*, De

Hi enim conveniunt in dicendo ritum reconciliationis haereticorum qui fuerant *in Ecclesia confirmati* non constitisse in collatione Confirmationis, in hac vero constitisse ritum reconciliationis quorumdam haereticorum qui, ut Novatiani (teste *Theodoreto*, Haer. fab., 1. 3), sacramento Confirmationis carebant. Cum vero quaestio est de conversis a sectis quae Confirmationem administrabant (qui quidem fuit frequentissimus casus) dividuntur eruditi, in *DUAS OPINIONES*.

QUIDAM, ut *Maldonatus* (Disp, ac contro. de sacram., t. 1, De confirm.), *Sirmundus* (in Antirrhético), *Jo. Morinus* (De discipl. in admin, sacr. Poenit. 9, 7, 13), *Vitasse* (1. c.), *Bareille* (in Diet. Théol. Cath., art. Baptême, col. 1049), *Saltet* (1. c.), *Pourrat* (La théologie sacramentaire, chap. 4, §2), *Duchesne* (Origines du Culte chrétien, Paris, 1908), *Jugie* (qui tamen in loco cit. diverso modo interpretare videtur praxim orientalem et praxim occidentalem), docent reconciliationem praedictorum haereticorum fuisse ante saec. 5-6 per collationem Confirmationis. *ALII*, ut *Bellarminus* (De sacr. Confirm. 2, 7), *Arcudius* (De concordia Eccl. occ. et orient.), *Goar* (Rituale Graecorum), *Chardon* (Hist, des sacrements, Confirmation, chap. 5), *Galtier* (1. c.), *D'Alès* (1. c.), docent praedictum ritum fuisse tantum caeremoniam poenitentialem (vel ipsum sacramentum Poenitentiae).

RATIONES, QUAE PRIMAM OPINIONEM PROBABLEM FACIUNT, sunt sequentes:

1. Idem erat ritus reconciliationis et ritus Confirmationis, scilicet in Oriente unctio et formula "Signaculum doni Spiritus S.", in Occidente vero manuum impositio et invocatio Spiritus S.

Attamen respondetur materialem similitudinem utriusque ritus et effectus collationis Spiritus S. non probare eorundem identitatem; nam potuit Ecclesia reconciliationem haereticorum constituere in quadam caeremonia simili ritui confirmatorio ob quandam analogiam effectus utriusque, i.e. gratiae Spiritus S., quae tamen diversimode in utroque confertur.

2. Inde a tempore Cypriani duplex erat ritus reconciliationis, alter in poenitentiam vel per fidei professionem, quo quidam determinati haeretici admittebantur, alter vero per impositionem manuum et invocationem Spiritus S., quo alii haeretici recipiebantur (cf. Cyprianum cit. in textu Objectionis; Gregorium M. cit. ibidem; Vigilium P., Ep. 13, ad Profuturum, M.L. 69, 18). Haec autem distinctio frustranea

bapt. et confirm., th. 16; *Jugie*, Thcol. Orient., t. 3, c. 3, a. 5, n. 4; *Galtier*, Absolution ou Confirmation?, in Recherches de Science religieuse, a. 1914. p. 201-235; 339-394; 507-544; *idem*, Imposition des mains, in Diet. Théol. Cath., col. 1321-1324; 1329; 1399 sq.

fuisset si ritus impositionis manuum non fuisset confirmatorius sed mera caeremonia reconciliativa sicut ipsa professio fidei.

Attamen respondetur non esse inconueniens quod Ecclesia pro diversitate haereticorum diversos ritus mere reconciliatorios instituerit, quorum identicus esset effectus consecutionis gratiae vel, ut ait Gregorius M., “consecutionis virium emundationis” in baptismo haeretico non susceptarum.

RATIONES, QUAE ALTERAM QUOQUE SENTENTIAM PROBABLEM REDDUNT, sunt:

1. Supra relata verba *Stephani I* in quibus dicitur *omnibus* ab haeresi venientibus manus imponi in poenitentiam.

Attamen respondetur ritum quem Stephanus appellat manuum impositionem in poenitentiam esse idem ac ritum quem Cyprianus appellat manuum impositionem ad accipiendum Spiritum S.; nam quamvis ipse Cyprianus distinguat inter reconciliationem haereticorum confirmatorum in Ecclesia per *simplicem* manuum impositionem in poenitentiam et reconciliationem confirmatorum extra Ecclesiam per impositionem manuum ad accipiendum Spiritum S. (cf. textus supra), tamen in citata responsione ad Stephanum loquitur tantum de hac secunda manuum impositione, de qua tantum controversia erat, et Papae opponit eam frustra haereticis conferri nisi prius isti rebaptizentur ut sic *utroque sacramento* nascantur. Hoc fuisse punctum illius controversiae explicite asserit coetaneus Cypriani, Anonymus De rebaptismate (supra cit.).

2. Verba *Augustini*, De bapt. 3, 16 et 5, 33, explicata in praecedenti objectione, et verba *Optati Mil.*, De schism. Donat. 7, 4, cit. in p. 288, docentis in Ecclesia non iterari confirmationem Donatistarum quos tamen Ecclesia reconciliabat per invocationem Spiritus S., ut patet ex citato Cone. Arelatense I.

Huic rationi, quae videtur fortissimum argumentum hujus opinionis, non facilis est responsio. *Respondent* autem quidam talem esse personalem sententiam S. Augustini et Optati, prolatam in aestu controversiae cum Donatistis, quae tamen nequaquam impedivit quominus antiqua praxis reconfirmandi haereticos immutata procederet (cf. Innocentium I, Leonem M. et Gregorium M. supra cit.).

3. *Pontificale Romanum*, in titulo “Ordo ad Reconciliandum apostatam, schismaticum vel haereticum”, adhuc servat antiquum ritum impositionis manuum et invocationis Spiritus S., qui tamen est distinctus a sacramento Confirmationis.

Respondetur quod aptum visum est Ecclesiae eundem ritum imposi-

tionis manuum, qui antiquitus erat et conciliatorius et confirmatorius, retinere ut meram caeremoniam reconciliatoriam, eo vel magis quod in eo unctio ejusque formula non adhibetur (quae ut dictum est in art. 2 semper fuit de essentia Confirmationis) nec in formula pro impositione manuum eadem prorsus verba adhibentur ac in Confirmatione, ut patet tum ex initio orationis tum ex ejus fine in quo veluti intentionaliter verba “consignare signo crucis”, quae sunt propria actionis confirmatoriae, substituuntur verbis “signare signo crucis”.

4. Ex sententia contraria sequeretur vel quod revera Confirmatio administrata ab haereticis ministris sit invalida (in hanc conclusionem videntur descendere Maldonatus, Morinus et Vitasse), quod est contra communem doctrinam de independentia valoris sacramenti a dispositionibus ministri, vel quod in Ecclesia per plura saecula extiterit generalis error vel confusio circa eandem doctrinam (in hanc conclusionem videntur descendere plures eruditi, qui praedictam confusionem assimilant obscuracioni eiusdem doctrinae in controversia mediæ aevi de Reordinationibus), quod difficile componitur cum inerrantia magisterii Ecclesiae.

Attamen responderi potest, sicut dictum est in quaestione de iteratione baptismi haereticorum in tract. De sacr. in gen. (p. 480), quod ratio iterationis Confirmationis non fuit defectus fidei in ministro, sed dubitatio de recta administratione hujus sacramenti aut de defectu ipsius intentionis qui potuit contingere praesertim apud haereticos subordinatianos. Etiam hodie in Ecclesia iteratur sub conditione baptismus conversorum a Protestantismo, ob dubitationem de recta administratione baptismi in haeresi suscepti, imo ipsa Confirmatio, collata a sacerdotibus schismaticis, iteratur sub conditione in casu quo subjectum sit ad tonsuram et Ordines promovendum vel ejus parentes id petant (cf. S. *Officium*, decr. 5 julii 1853; 2 aprilis 1879; 14 jan. 1885).

CONCLUSIO

Sacramentum Confirmationis Est, Sicut Baptismus, Absolute Initerabile In Eodem Subiecto.

Probatur, sicut initerabilitas Baptismi, EX IPSA RATIONE DUORUM EFFECTUUM CONFIRMATIONIS EIUSQUE SACRAMENTALI SYMBOLISMO.

1. Effectus principalis Confirmationis est *gratia* deducens hominem ad perfectam aetatem spiritualis vitae. Atqui nemo potest *ad adultam aetatem bis pervenire* sicut non potest bis generari. Ergo effectus Confirmationis nequit iterari, sicut nec effectus Baptismi. Ergo ipsum

sacramentum iterari non potest cujus tota ratio consistit in gratiam causando et significando.

2. Juxta constantem Traditionis doctrinam, principalis effectus Confirmationis est *gratia perjectiva et consummativa Baptismi*. Atqui idem bis perfici et consummari non potest, nec aliunde effectus Baptismi iterari potest. Ergo ipsa *initerabilitas Baptismi secum trahit initerabilitatem Confirmationis*.

9

3. Alter Confirmationis effectus est *character indelebilis*. Atqui quod incorruptum permanet iterari non potest, secus bis esset. Ergo effectus Confirmationis, adeoque ipsum sacramentum, iterari non potest.

4. Confirmatio, sicut Baptismus, efficit quandam subjecti *consecrationem*. Res autem consecratae perpetuae reputantur. Unde sicut aliae consecrationes Ecclesiae, nec Baptismus nec Confirmatio iteratur.

5. Sicut dictum est in tract. De sacr. in gen. (art. 2, p. 66), omne sacramentum est *signum rememorativum passionis Christi et prognosticum gloriae*; Confirmatio autem significat passionem Christi prout est regale triumphum super diabolum et mortem, gloriam vero prout est electio seu obsignatio olei aeternae exultationis. Christus autem semel mortuus est ac semel pro semper de morte triumphavit; similiter consecratio aeternae beatitudinis inamissibiliter et initerabiliter confertur. Ergo in ipso *sacramentali symbolismo* hujus sacramenti eius initerabilitas fundatur.

ART. 7. Utrum Sacramentum Confirmationis Sit Necessarium Ad Salutem Non Stricte Sed Moraliter (a. 1. ad 3; a. 8, ad 4; q. 65, a. 4).

STATUS QUAESTIONIS

Est quaestio de *ALTERA HUIUS SACRAMENTI PROPRIETATE* seu de necessitate, quae fundamentum habet in ipsa eius indole et effectu. Non agitur ut patet de necessitate institutionis ex parte Dei, sed susceptionis ex parte subjecti relate ad finem assequendum; quae necessitas dividitur in strictam et moralem, ut explicatum est in tract. De sacr. in gen., art. 21, ubi haec quaestio jam generaliter pertractata est.

Distinguas autem proprie dictam *necessitatem moralem* a *simplici convenientia* quae quandoque latiori sensu necessitas vocatur, quaeque

sola definita est a *Cone. Trid.* contra *Protestantes* turn quoad omnia sacramenta in genere (sess. 7, can. 4 de sacr. in gen.) turn quoad Confirmationem in particulari (sess. 7, can. 1 de confirm.).

Quaeritur igitur 1. utrum Confirmatio *non sit stricte necessaria* ad salutem, quasi nempe sine ea finis salutis consequi non possit, sive agatur de necessitate medii, ut in Baptismo, sive de necessitate praecepti divini, ut in Eucharistia, aut ecclesiastici, ut quoad communionem paschalem; 2. utrum *tamen sit moraliter necessaria*, ita nempe ut sine ea finis salutis non ita convenienter obtineatur.

5. *THOMAS* de hac quaestione specialem articulum non instituit, secus ac in tract. De Baptismo ubi quaestio de necessitate habet capitale momentum; sed eam hic (a. 1, ad 3; a. 8, ad 4) tantum transeunter tangit, cum in q. 65, a. 4 explicite et sufficienter resolverit quaestionem generalem de necessitate sacramentorum.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

THEOLOGI IN TRES SENTENTIAS DIVIDUNTUR, quarum secunda est Pars Affirm., articuli:

1. Confirmationis susceptio est *stricte necessaria* ad salutem, necessitate non quidem medii (quod nemo unquam somniavit) sed *praecepti* divini (quod colligitur ex ipsa indole sacramenti) aut saltem ecclesiastici (quod deducitur ex documentis Ecclesiae).

Ita *Bonaventura* (?; In 4 Sent., dist. 7, a. 3, q. 2), *Scotus* (In 4 Sent., dist. 7, q. 2), *Armachanus* (Quaest. Armen. 1. 9, c. 22), *Vitasse*, *Benedictus XIV* (?; confer infra), *S. Alphonsus*, *Mare*, *Aertnys*, *Midler*, *D'ölger*, *Umberg*, *Lercher*, *Tanquerey*, qui ab invicem differunt quatenus quidam (ut S. Alphonsus) docent necessitatem solius praecepti ecclesiastici, alii vero (ut Vitasse, Umberg, Lercher) etiam praecepti divini saltem implicite contenti in ipsa natura sacramenti a Christo instituti.

2. Confirmationis susceptio non est stricte necessaria ad salutem, etiam necessitate praecepti, cum nec ex indole sacramenti nec ex ullo Ecclesiae documento talis necessitas erui possit, sed est *tantum moraliter necessaria* seu ad bene esse salutis, quatenus est unicum medium assequendi non ipsam salutem sed illud complementum vitae spiritualis sine quo saius non convenienter obtinetur.

Ita *S. Thomas*, *Dom. Soto*, *Suarez*, *Salmanticenses*, *Billuart*, *Platel*, *Pcsch*, *Billot*, *Hugon*, *Gihl*, *Diekamp*, *Hervé*, *Gury*, *Lehmkuhl*, *Capello*, *Prümmer*, *Merkelbach*.

3. Confirmationis susceptio non est necessaria ad salutem *nec moraliter*, sed tantum conveniens (seu necessaria late loquendo) quoniam

eius effectus, scilicet complementum Baptismi et robur ad fidem profiendam, aliis etiam mediis obtineri potest.

Ita *theologi Angli* quos impugnavimus in art. 5, p. 338 sq. et 346.

Nota Theologica.

Theologice certum est Confirmationem non esse *de necessitate medi* ad salutem; id enim sic concluditur ex variis propositionibus fidei: Baptismus, utpote sacramentum, confert gratiam ante Confirmationem; gratia autem non amittitur nisi per peccatum; infantes vero sunt incapaces peccati; ergo infantes absque Confirmatione salvantur; ergo Confirmatio non est de necessitate medi ad salutem. Ceterum hoc explicite docetur in Codice J.C., Rituali Romano et Catechismo Cone. Trid. mox citandis.

Temerarium videtur dicere Confirmationem *non esse moraliter necessariam* ad salutem; contrarium enim sequitur ex eo quod Confirmatio producat proprium et specialem effectum, quod ut diximus in art. 5 est saltem theologice certum.

Libere disceptatur utrum necne Confirmatio sit de necessitate praecepti saltem ecclesiastici, quamvis sententia negans, auctoritate 5. *Thomae* innixa, sit longe communior inter theologos; unde non videtur solido fundamento inniti censura quam S. *Alphonsus* eidem sententiae tribuit, inquiring eam "non videri satis probabilem" (cf. infra in Conci.).

Documenta Ecclesiae.

Cone. Constantiense (Denz. 669), cit. in p. 267.

Cone. Trid., sess. 7, can. 4 de sacr. in gen. et can. 1 de Confirm., non magis quam convenientiam (seu late dictam necessitatem) hujus sacramenti definit, ut patet tum ex ipso contextu tum ex doctrina Novatorum de inutilitate sacramentorum, quam Concilium condemnare intendit.

Catechismus Cone. Trid., p. 2, c. 3, q. 15: "Docendum est, hoc sacramentum eiusmodi necessitatem non habere, ut sine eo salvus quis esse non possit. Quamquam vero necessarium non est, a nemine tamen praetermitti debet, sed potius maxime cavendum est, ne in re sanctitatis plena, per quam nobis divina munera tam large impertiuntur, aliqua negligentia committatur. Quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est."

Benedictus XIV et Instructio S.C.P. Fide infra cit. in Conclusionem.

Codex J.C., can. 787: "Quamquam hoc sacramentum non est de necessitate medi ad salutem, nemini tamen licet, oblata occasione, illud

negligere; imo parochi curent ut fideles ad illud opportuno tempore accedant." Idem ad verbum repetitur in *Rituali Romano* (Appendix, De Confirm., 9, juxta editionem jussu Pii XI ad normam Codicis accommodatam).

CONCLUSIO

Conclusio 1. Confirmatio Non Est Stricte Necessaria Ad Salutem, Sive Necessitate Medii Sive Necessitate Praecepti.

Probatur.

1. *NECESSITATEM MEDII* esse excludendam patet tum ex explicita doctrina *Codicis J.C.*, Ritualis Rom. et Catechismi Cone. Trid., tum ex eo quod secus omnes morientes ante susceptam Confirmationem salutem non consequerentur, quod est contra communem sensum Christianorum, tum ex praxi et sensu Ecclesiae quae immediatam hujus sacramenti susceptionem post Baptismum non urget, imo eam ordinarie ad septimum aetatis annum differt (*Codex J.C.*, can. 788), exequias denegat solis non baptizatis non vero non confirmatis, parvulis quamvis non confirmatis specialem ac veluti festivum exequiarum ordinem concedit, eisdem suffragia non applicat, imo confitetur "omnibus parvulis renatis fonte baptismatis, dum migrant a saeculo, sine ullis eorum meritis vitam illico largiri aeternam" (*Rituale Rom.*, Ordo sepeliendi parvulos, Oremus).

2. *NECESSITAS PRAECEPTI DIVINI* nulla ratione probari potest. Existencia enim talis praecepti in textibus Scriptura aut in documentis Traditionis *explicite* non habetur, ut omnes concedunt.

Adversarii autem eam *probare conantur*:

a. *Ex ipsa institutione sacramenti*, quae frustranea esset, si homo posset illius susceptionem omittere.

Attamen haec ratio nimis probat, ex ea enim sequeretur Deum non posse instituere media utilia ad salutem, quae tamen non sint necessaria, et homines teneri ad susceptionem Matrimonii et Ordinis.

b. *Ex ipsa indole et effectu hujus sacramenti* quod confert homini perfectionem vitae spiritualis et fortitudinem ad fidem profitendam.

Attamen nec ista ratio concludit, nam homo per Baptismum consequitur quandam plenitudinem et perfectionem sufficientiae qua vere fit perfectus Christianus, quamvis nondum habeat plenitudinem et perfectionem abundantiae quae per Confirmationem confertur, quemadmodum per generationem assequitur plenitudinem sufficientiae vitae naturalis qua vere fit perfectus homo, etsi nondum habeat perfectionem



abundantiae quae est propria adultae aetatis (In 4 Sent., dist. 7, q. 1, a. 1, q. 2, ad 1). *Praeterea* sive per Baptismum, sive per alia sacramenta (praecipue Eucharistiam), sive per alia media salutis (ut orationem et meritum), potest aliquis eam auxiliorum summam consequi qua, per accidens et alia ratione, suppleatur gratia sacramentalis Confirmationis in ordine ad fidem fortiter protestandam (cf. tract. De sacr. in gen., art. 12, p. 219).

c. *Ex paritate cum sacramento Eucharistiae*. Nam ratio ex qua theologi probant necessitatem praecepti divini quoad hoc sacramentum, est quia ipsum confert cibum spiritualem sine quo vita servari nequit: ergo a pari Confirmatio est de necessitate praecepti divini ex eo quod sit unicum medium perveniendi ad adultam aetatem.

Attamen paritas non tenet. Nam sine perfectione adultae aetatis vita spiritualis haberi potest et quidem cum plenitudine sufficientiae, imo ipsa perfectio vitae adultae potest absque Confirmatione suppleri, quamvis non haberi. *Ceterum*, non unice ex praedicta ratione probatur Eucharistiam esse de praecepto divino.

d. *Ex ratione contemptus, periculi fidei, scandali, negligentiae*, quae continetur in omissione tanti sacramenti.

Attamen hae rationes in omissione sacramenti nequaquam continentur *per se* nisi susceptio sacramenti sit de praecepto, quod est praecise probandum; quod autem quandoque ipsae inveniantur etiam in omissione rei non praeceptae, est per accidens, i.e. ex aliis praeceptis concurrentibus in eandem materiam, ut infra ostendetur.

3. *NECESSITAS PRAECEPTI ECCLESIASTICI* (saltem obligantis *sub gravi*, seu sub periculo amittendae salutis) nullatenus probari potest.

Imprimis enim videtur vix consentanea *praxi Ecclesiae* non sollicite administrandi hoc sacramentum moribundis. *Praeterea* ac praecipue. *ex nullo ecclesiastico documento* deduci potest.

ADVERSARII in contrarium afferunt sequentia documenta:

Cone. Illiberitanum, can. 38 et 77 (cit. in p. 271 sq.), *Cone. Laodicense*, can. 7 (cit. in p. 282), *Gregorium M.*, Ep. 17 ad Felicem (cit. in p. 355), aliaque quorum medullam sic effert *Petrus Damianus*, Serm. In dedicatione Ecclesiae: “*Decretales paginae*, et sanctorum Patrum instituta docuerunt, non esse differendam post baptismum sacramenti hujus virtutem, ne nos inermes inveniat fraudulentus ille contortor, a quo nemo unquam nocendi inducias extorsit” (M.L. 144, 898).

Codex J.C., can. 787 supra cit., cujus sensus videtur hic esse: “Quamquam hoc sacramentum non est de necessitate medii ad salutem

tamen est de necessitate praecepti saltem ecclesiastici”; id enim indicant verba “*nemini tamen licet, oblata occasione, illud negligere*”.

Benedictus XIV, Const. “Etsi pastoralis” pro Italo-Graecis, 26 maii 1742: “Monendi sunt [Italo-Graeci] eos *gravis peccati* reatu teneri, si, cum possunt ad Confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt”. His verbis commotus, S. *Alphonsus* a communiori sententia theologorum recedens, scribit: “Verumtamen postquam haec scripsi, invenio declaratum a Bened. XIV. . . [sequuntur supra citata verba]. Quapropter secunda opinio supra relata, nimirum non teneri fideles *sub gravi* ad confirmationem suscipiendam, *hodie non videtur satis probabilis.*”⁰⁷

Instructio S.C.P. Fide, 4 maii 1774 (relata in Appendice Ritualis Romani, iuxta anteriores editiones): “Ceterum Missionarii non omitant, populos sibi creditos etiam hortari, ut Confirmationem debito tempore recipiant, nec non ut parentes filios suos confirmari curent; etsi enim hoc Sacramentum non sit de necessitate medii ad salutem, tamen *sine gravis peccati reatu respui non potest, ac negligi*, cum illud suscipiendi opportuna adest occasio. Porro haec doctrina, si pro omnibus, qui sunt undique, Christifidelibus vera est, multo magis locum habet in illis, qui in terris degunt haereticorum, vel paganorum, in quibus quandoque adversus Catholicos persecutiones ingruunt; unde opus est, ut septiformis Spiritus virtute roborentur, qua non solum corde credant ad justitiam, sed etiam ore confessionem faciant ad salutem, seque paratos exhibeant pro Christo etiam sanguinem fundere.”

ATTAMEN obiecta *antiqua documenta* et similia verba Patrum, inculcantia necessitatem suscipiendi Confirmationem, vel indicant necessitatem ad finem qui est consecutio perfectionis vitae spiritualis, et ita nullam pariunt difficultatem, vel referuntur ad ipsum finem salutis obtinendae, et tunc non necessario important strictam obligationem sed interpretari possunt in sensu moralis necessitatis hujus sacramenti, quemadmodum omnes dicimus oportere Christianos Confirmationem suscipere, frequenter confiteri ac communicare. Hoc modo S. *Thomas* interpretatur simile documentum *Hugonis a S. Victore* (De sacram., l. 2, p. 7, c. 3) inquiring: “Ideo Hugo de S. Viet, dicit: Omnino periculosum esset, si ab hac vita sine confirmatione migrare contingeret; non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur” (a. 8, ad 4).

In can. 787 *Codicis J.C.* nulla continetur directa obligatio neque sub levi, sed tantum *indirecta obligatio*, ab omnibus theologis admissa, vitandi *peccatum negligentiae* relate ad susceptionem huius sacramenti.

Theoi. Moral, (cura D. Le Noir), t. 3, l. 5, tract. 2, c. 2, dub. 3, n. 182, Parisiis, 1875, p. 129.

Ex tenore canonis apparet Codicem nolle novam legem condere aut controversiam theologorum dirimere, sed tantum referre duo extrema quae ab omnibus admittuntur, scilicet Confirmationem ex una parte non esse de necessitate medii, ex alia vero parte talem in se moralem habere necessitatem ut eam negligere (non dico non suscipere) sit facile culpabile, saltem venialiter. Optimum commentum Codicis habetur in supracitatis verbis *Catechismi Cone. Trid.*

Nec magis continetur in verbis *Benedicti XIV* nisi quod *neglectus* susceptionis hujus sacramenti dicatur esse *grave peccatum*. Haec praeterea additio de gravitate peccati non respicit quemcumque neglectum in genere, sed *illum determinatum neglectum* connexum cum contumaci inobedientia erga ecclesiasticam auctoritatem de quo Papa monet Italo-Graecos. Cum enim Papa jubeat istorum infantes confirmandos esse ab episcopis latinis ac declaret eos invalide confirmari a presbyteris graeci ritus (cf. verba citata in p. 284 sq.), statim subiungit Italo-Graecos gravis peccati reos esse si ideo infantes confirmari *renuunt ac negligunt* quia ministerium latinorum recusant; in qua agendi ratione non simplex neglectus habetur sed praecipue contumax inobedientia erga auctoritatem ecclesiasticam, ex qua talis negligentia evadit graviter culpabilis.

Ceterum, verba Benedicti nec definitiva sunt, quia obiter prolata, nec legem generalem continent, quia ad solos Italo-Graecos diriguntur.

Doctrina quoque hujus Papae, ut doctoris privati, non opponitur nostrae sententiae. In suo opere *Institut, ecclesiast.* (Romae, 1750, p. 30) scribit: “Certum est adulta iam aetate homines vel in re vel saltem in voto debere necessitate praecepti confirmari, quod etiam inter Dei *praecepta numeratur*, aut cum bellum a tyrannis contra fideles infertur vel cum daemonis fraude de religione anxii sollicitique graviter iactamur, vel tandem cum in ultimum vitae discrimen adducimur. Tunc autem *Ecclesiae praeceptum* dicitur, cum quis rationis usu praeditus, si episcopus huius sacramenti minister praesto sit, nulla legitima causa ad illud suscipiendum impediatur. Ita *ferme universi theologi sentiunt*; et qui sapientiae laude magis commendantur, eos *gravi labe* inquinari testantur qui *ob contemptum vel oscitantem socordiam* animam istius sacramenti gratia munire praetermittunt.” Ut patet, Benedictus non loquitur de directo praecepto divino et ecclesiastico Confirmationem suscipiendi, sed de indirecto praecepto illius susceptionem non contemnendi aut graviter negligendi.

Verba *Instructionis S.C.P. Fide* non exhibent praeceptum Ecclesiae, sed tantum gravitatem peccati in eo qui *respuit vel negligit* sacramentum; hoc autem peccatum provenire potest ex inobedientia erga alia praecepta concurrentia in eandem materiam, ut infra in Nota 1 fusius

explicabitur. *Ceterum* “neque ex hoc documento erui potest quaestionis solutio, tum quia Instructiones SS. Congregationum non dirimunt controversias inter theologos vigentes, tum quia in potestate S.C. de Prop. Fide non est ut legem condant pro universa Ecclesia.”⁰⁸

Conclusio 2. Confirmatio Est Moraliter Necessaria Ad Salutem.

Probatur EX FINE ET EFFECTU HUIUS SACRAMENTI.

Id enim dicitur moraliter necessarium ad finem salutis obtinendae sine quo salus absolute quidem at *non convenienter* assequi potest. Sicut autem finis vitae naturalis non plene et convenienter obtinetur nisi addatur homini complementum adultae aetatis, quo vita interius completur ac roboratur et contra exteriora agentia munitur, ita finis spiritualis vitae non convenienter obtinetur absque effectu Confirmationis qui est gratia adultae aetatis, complementum generationis baptismalis, gratia confirmativa, perfectiva et roborativa, plenum donum et adventus Spiritus S.

Huic autem morali necessitati Confirmationis *non obstat* quod ejus effectus per alia media suppleri possit, nec quod sine sacramento conferri possit a Deo qui suam virtutem sacramentis non alligavit. *Nam* primum est per accidens, indirecte et sub diversa ratione, ut notatum est in tract. De sacr. in gen. (art. 12, p. 219), alterum vero est quid exceptionale et *miraculosum*, ut accidit in die Pentecostes, nec ceterum contingit absque *voto sacramenti* in subjecto sicut non contingit justificatio extrabaptismalis absque voto Baptismi (a. 6, ad 1 et 3).

Nota 1. Quoad culpabilitatem omittentis susceptionem Confirmationis haec ex statutis conclusionibus colliguntur:

Directe et per se in ipsa omissione nullum peccatum etiam veniale invenitur, cum nullum detur praeceptum suscipiendi Confirmationem.

Indirecte et per accidens ex parte causae omissionis, quae potest esse leviter vel graviter mala, peccatum veniale vel mortale in ea contingere potest, ut observatum est etiam quoad dilationem suscipiendi Baptismum (De Bapt., art. 9, p. 126).

Peccatum quidem *veniale* facile contingere potest ex variis rationibus praesumptionis, periculi, scandali et negligentiae, imo regulariter contingit in negligentia illius qui *data occasione* sacramentum non suscipit.

Peccatum vero *mortale* difficilius comittitur per hujus sacramenti omissionem. S. *Thomas* (a. 1, ad 3; a. 8, ad 4; cf. q. 65, a. 4, ad 3) tantummodo *contemptum sacramenti* exhibet ut causam ex qua

⁰⁸ *Cappello*, De sacram., v. 1, l. 3 De confirm., c. 2, a. 2, n. 211, Taurini, 1921, p. 182.

omissio fit *grave peccatum*: “Quamvis sine ea possit esse salus, dum tamen non praetermittatur ex contemptu sacramenti” (a. 1, ad 3).

Quidam, addunt rationes *periculi et scandali*. At non videtur *per se* adesse *proximum* periculum fidei amittendae non suscepta Confirmatione, cum indirecte et alia ratione, ut supra dictum est, effectus huius sacramenti suppleri possit; nec *per se* haberi *grave* scandalum in omissione rei quae non sit praecepta.

Alii volunt *negligentiam* esse etiam causam ex qua omissio sacramenti fiat graviter culpabilis, quatenus virtualis contemptus sacramenti habetur in eo qui eius susceptionem omittit cum commode suscipere potest. At non videtur *per se* haberi virtualis contemptus in eo qui ob incuriam vel ruborem sacramentum praetermittit. Ad rem 5. *Thomas*: “Licet omnium sacramentorum contemptus sit saluti contrarius, non tamen est contemptus sacramenti ex hoc quod aliquis non curat accipere sacramentum, quod non est de necessitate salutis; alioquin omnes qui non accipiunt ordinem, et qui non contrahunt matrimonium, contemnerent huiusmodi sacramenta” (g. 65, a. 4, ad 3). Item non videtur *per se* esse graviter culpanda negligentia in suscipiendo aliquod medium quod ex una parte non est praeceptum et ex alia parte potest indirecte per alia media suppleri; dictum est enim alibi, ideo negligentiam in dilatione Baptismi esse graviter culpandam quia susceptio Baptismi est de necessitate praecepti nec per alia media suppleri potest.

Per accidens tamen contingere potest ut tanta sit ratio periculi, scandali aut negligentiae, ut omissio sacramenti aequivaleat *contemptui* ipsius, et *hac ratio* evadat mortalis.

Addit *Cappello*: “Stante controversia, si quis dubitet num valide sit confirmatus, vel magno pudore deterreatur ab ea petenda in aetate iam satis provecta, ubi omnes Confirmationem in pueritia accipere solent, non est ei de gravi obligatione sermo iniciendus, sed consiliis potius et adhortationibus suaderi debet ut sacramentum Confirmationis recipiat.”⁹

Nota 2. Praemittere susceptionem Confirmationis susceptioni aliorum sacramentorum (excepto Baptismo) est valde conveniens ordini et indoli sacramentorum, necessarium vero non est ex natura rei aut ex praecepto divino, sed ex praecepto ecclesiastico obligante sub levi ad susceptionem Confirmationis ante Ordinationem, imo ante primam tonsuram {*Codex J.C.*, can. 974, § 1, 1), et ante Matrimonium (can. 1021, § 2). Eadem susceptio praescribitur etiam ut conditio ad hoc ut quis licite admittatur in societatem religiosam (can. 544. § 1) vel valide patrini munere in Confirmatione fungatur (can. 795, 1).

" In 1. c.

ART. 8. Utrum Subjectum Confirmationis Sit Omnis Et Solus Homo Baptizatus (a. 6. 8).

STATUS QUAESTIONIS

Agitur de *CAUSA MATERIALI EXTRINSECA* seu subjectiva hujus sacramenti. Ex dictis autem de subjecto sacramentorum in tract. De sacr. in gen. et de indole et effectu Confirmationis hic in praec. articulis, patent sequentia:

Subjectum *capax* Confirmationis est solus *homo viator*. Subjectum vero *validae susceptionis* est omnis et solus homo *nondum confirmatus* (nam Confirmatio est initerabilis; cf. art. 6), habens si sit adultus *intentionem saltem habitualement implicitam* recipiendi sacramentum. Subjectum autem *fructuosae susceptionis* est habens statum gratiae (nam Confirmatio est sacramentum vivorum, confert per se secundam gratiam, complet regenerationem baptismalem). Addit autem *Codex J.C.* (can. 786) ad licitam susceptionem requiri ut adultus sit “sufficienter instructus” quoad praecipuas nempe veritates et media salutis, praesertim quoad ipsam Confirmationem.

Restat autem ut binae sequentes quaestiones determinentur:

1. *Quoad subjectum capax*: utrum sit quilibet homo, absque distinctione aetatis, sexus aut alterius vitae conditionis, ita ut Confirmatio valide et fructuose administretur etiam feminis, parvulis (ac perpetuo amentibus) et proxime morituris.

2. *Quoad subjectum validae susceptionis*: utrum sit solus et omnis baptizatus, seu utrum Baptismus sit necessaria et sufficiens conditio ad Confirmationem valide suscipiendam.

Quaestiones de obligatione suscipiendi et de parte corporis quae est immediatum subjectum Confirmationis jam pertractavimus ubi de *necessitate* hujus sacramenti (art. praec.) et de eius materia chrismativa *frontis* (art. 2).

CONCLUSIO

Conclusio 1. Subjectum Capax Confirmationis Est Omnis Homo Absque Distinctione Aetatis, Sexus Aut Alterius Vitae Conditionis (a. 8).

Probatur EX INDOLE SEU EFFECTU HUIUS SACRAMENTI.

Formalis effectus Confirmationis est gratia perfectae aetatis spiritualis vitae. Atqui sicut spiritualis nativitas, ita perfecta aetas spiritualis vitae, pertinet ad animam quae, utpote immaterialis et immortalis, non subicitur nec preiudicatur ab aetate, aut sexu, aut quavis

alia conditione corporalis vitae. Ergo omnis homo, sive parvulus sive adultus, sive vir sive femina, sive perfecte vivens sive proxime moriturus, est subjectum capax huius sacramenti.

Nec valet opponere hoc sacramentum importare quandam excellentiam cum sit *sacramentum plenitudinis gratiae*, id vero quod ad excellentiam pertinet non dari nec convenire omnibus indiscriminatim, ut patet de sacramento Ordinis.

Nam “hoc sacramentum datur ad quamdam excellentiam, non quidem unius hominis ad alium, sicut sacramentum ordinis; sed hominis ad seipsum, sicut idem perfectus vir existens habet excellentiam ad se puerum” (ad 1).

Item non valet obicere effectum Confirmationis esse *gratiam roborativam* ad pugnam, ad quam apti non sunt pueri ob teneritatem aetatis, nec mulieres ob fragilitatem sexus.

Nam haec omnia corporali pugnae non vero spirituali praejudicant, quia apud Deum, ut ait *Chrysostomus* (In hom. De Machabaeis et hom. De militia spirituali), etiam puerilis senilisque aetas ac sexus foemineus militat, nec raro virilem aetatem aemulatur ac superat (ad 2 et 3).

Per gratiam Confirmationis puer ante usum rationis praeparatur ad futuram pugnam sicut miles in castris, usum vero rationis assecutus in agonem procedit usque ad mortem, ut Tarcisius et Agnes, decertaturus pro Christo. Mulieri confirmatae plenissime conveniunt verba *Proverbiorum* (31, 10. 17. 25): “Mulierem fortem quis inveniet? . . . Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum . . . Fortitudo et decor indumentum ejus, et ridebit in die novissimo”.

Tandem non valet insistere hanc gratiam, ad publicam fidei professionem roborativam, proprium finem non obtinere in perpetuo amentibus et in parvulis decedentibus ante assecutum usum rationis necnon in adultis proxime morituris.

Nam formalis effectus Confirmationis est gratia perfectiva adultae aetatis, quae consequenter est roborativa tum interius tum relate ad publicam professionem fidei. “Et ideo etiam *morituris* hoc sacramentum dandum est, *ut in resurrectione perfecti appareant* . . . Unde etiam *pueri* [et perpetuo amentes] confirmati decedentes majorem gloriam consequuntur, sicut et hic majorem obtinent gratiam” (ad 4).

Caeterum adulti morituri, qui ad martyrii agonem abripiuntur, per gratiam Confirmationis roborantur ad supremum signum publicae confessionis exhibendum; alii vero, qui veluti milites in castris urbanis deficiunt, per eandem gratiam spiritualiter confortantur, dum in invisi-

bili agone contra spirituales nequitas Regem Christum salutant et appellant ad palmam victoriae suspirantes: "Confitebor tibi, Domine Rex . . . Confitebor nomini tuo: quoniam adiutor et protector factus es mihi . . . Et liberasti me . . . a rugientibus praeparatis ad escam, de manibus quaerentium animam meam" (*Eccli. 51, 1-5*).

*Nota. De convenientia differendi administrationem Confirmationis parvulorum ad annos discretionis.*¹⁰

Antiqua praxis utriusque ecclesiae fuit hoc sacramentum immediate post Baptismum conferre etiam parvulis usu rationis carentibus (cf. *Innocentium I*, Denz, 98, cit. in art. 1, Conci., p. 272). Dum autem in ecclesia graeca talis praxis immutata permansit, in ecclesia latina inde a saec. 5 administratio Confirmationis coepit separari ab administratione Baptismi, ob difficultatem proveniente ex multitudine baptizandorum et ex reservata episcopo facultate administrandi Confirmationem, et inde a saec. 12 invaluit ubique (excepta Hispania ejusque coloniis) praxis, a multis provincialibus Conciliis sancita (v.g. *Cone. Coloniensi* a. 1536, *Mediolanensi* a. 1565, *Turonensi* a. 1583, *Tolosano* a. 1590), differendi Confirmationem puerorum ad annos discretionis.

Prior quidem praxis non differendi parvulorum Confirmationem *conveniens* est, ut patet ex indole et effectu sacramenti, imo illud commodum in se habet quod per eam praecavetur periculum ne multi parvuli moriantur absque susceptione hujus sacramenti et ne multi adulti eam omittant aut nimium differant.

Altera tamen praxis convenientior est, ut patet tum ex *Catecliismo Cone. Trid.* (p. 2, c. 3, q. 17), *Benedicto XIV* (Const. "Eo quamvis tempore" 5 maii 1745) et *Codice J.C.* (can. 788), tum ex ratione reverentiae sacramenti, utilitatis subiecti et impossibilitatis profitendi fidem ante assecutum usum rationis. Ex quo intelligitur quam immerito schismatici *Graeco-Russi* praxim latinam reprehendant.¹¹

Aetas discretionis intelligitur aetas circiter septem annorum, ultra quam non convenit administrationem sacramenti nimium differre; unde *Leo XIII* in Epist. 22 junii 1897 ad episcopum Massiliensem magnopere commendat praxim in ea dioecesi inductam confirmandi pueros antequam ad primam communionem accedant. Imo, cum ratio convenientiae *rationi necessitatis* cedere debeat, praefatus *canon Codi-*

¹⁰Cf. *L. Durand*, De la confirmation et de l'âge auquel il convient d'y admettre, in *Etudes*, 1897. t. 53, p. 421-452; *Gallier*, L'âge de la Confirmation, in *Nouvelle Revue Théol.*, 1933, p. 675 sqq,

¹¹Cf. *Jugie*, *Theol Orientalium*, t. 3, c. 3, a. 6.

cis praescribit: “Licet sacramenti confirmationis administratio convenienter in Ecclesia Latina differatur ad septimum circiter aetatis annum, nihilominus etiam antea conferri potest, si infans in mortis periculo sit constitutus, vel ministro id expedire ob iustas et graves causas videatur.”

Ad hujus canonis interpretationem nota cum *Cappello*: “Iure antiquo auctores communiter docebant sufficere causam *iustam* et *rationabilem*, non autem *gravem* requiri. Nunc, attento praescripto cit. canonis, iusta et gravis causa requiritur.”⁷² *Iustae* et *graves causae*, praeter *periculum mortis*, reduci possunt ad duas, i.e. ad casum *perpetuae amentiae* et ad *periculum diuturnae dilationis* Confirmationis quod potest oriri praecipue ex remotione ministri a subiecto propter illius infirmitatem aut senilem aetatem vel propter extensionem loci et difficultatem communicationum.

Conclusio 2. Subiectum Validae Susceptionis Confirmationis Est Omnis Et Solus Baptizatus (a. 6).

Probatur. EX INDOLE ET EFFECTU HUIUS SACRAMENTI.

1. *SOLUS BAPTIZATUS* confirmari potest. Nam “ita se habet confirmatio ad baptismum, sicut augmentum ad generationem, ut ex supra dictis patet. Manifestum est autem quod nullus potest promoveri in aetatem perfectam, nisi primo fuerit natus, et similiter nisi primo aliquis fuerit baptizatus, non potest sacramentum confirmationis accipere” (*in corp.*).

Dices. Potest aliquis accipere miraculose effectum Confirmationis ante Baptismum, ut accidit Cornelio aliisque audientibus praedicationem Petri (Act. 10, 44) qui prius acceperunt Spiritum S. ac dein jussi sunt baptizari. Ergo a pari potest aliquis suscipere sacramentum Confirmationis ante Baptismum.

Resp. Negatur paritas et legitimitas illationis a susceptione effectus ad susceptionem sacramenti. Sic enim se habent inter se sacramentum Baptismi et sacramentum Confirmationis sicut se habent effectus Baptismi et effectus Confirmationis. “Sicut [ergo] . . . effectus confirmationis, qui est robur spirituale, praesupponit effectum baptismi, qui est justificatio, ita sacramentum confirmationis praesupponit sacramentum baptismi” (*ad 3*).

2. *OMNIS BAPTIZATUS* confirmari potest. Confirmatio enim est complementum Baptismi, sicut adulta aetas est complementum natiuitatis. Sicut autem est de intentione naturae ut imperfectum ad perfec-

⁷²De sacram., v. 1, l. 3 De confirm., c. 2, a. 2, n. 210, Taurini, 1921, p. 151.

tum adducatur et ut qui corporaliter nascitur ad perfectam aetatem perveniat, ita multo magis est de intentione Dei, ex cujus imitatione id natura participat, ut spiritualis nativitas ad perfectam aetatem perducatur (cf. a. 8). Unde Baptismus per se et immediate Confirmationem appellat, nec est necesse ut susceptio alterius sacramenti, puta Eucharistiae, intercedat.

Dices. Inter nativitatem et adultam aetatem intercedere debet cibatio per quam homo consequitur augmentum quo perducitur ad adultam aetatem. Ergo a pari inter Baptismum et Confirmationem intercedere debet Eucharistia quae est sacramentum spiritualis cibationis.

Resp. Functio *nutritiva* est aliquid superveniens tum generationi tum adultae aetati atque ordinatur ad utramque conservandam; non ergo nutritio producit adultam aetatem sed ipsa natura (per suam facultatem *augmentativam*) quae per nutritionem conservatur in esse. Cum igitur Eucharistia sit sacramentum cibationis, se habet per se ut quid subsequens sive relate ad Baptismum sive relate ad Confirmationem; potest ergo sumptio Eucharistiae praecedere Confirmationis susceptionem, inquantum est conservativa vitae baptismalis, sed non necessario debet, quasi esset etiam productiva gratiae adultae aetatis (cf. q. 65, a. 2, ad 3; q. 73, a. 1, ad 1; tract. De sacr. in gen., art. 42, obj. 3, p. 536 sq.).

Nota. Dignitati *Christi*, qui est ipsorum sacramentorum auctor, non convenit susceptio sacramenti qua talis (hic a. 1, ad 4), si unice excipiatur *Eucharistia* quae ob peculiarem suam indolem a Christo viatore suscipi potuit, non tam in ratione sacramenti seu signi collativi effectus spiritualis quam secundum rationem rei contentae in sacramento quae est ipsius *Christi* praesentia; cum enim *Christus* in ultima coena communicavit, nec primum effectum sacramenti seu gratiam, qua plenissimus erat, inde accepit nec etiam alterum effectum seu sui ipsius praesentiam nisi *seciindum quid* quatenus per modum sacramentalis praesentiae veluti duplicata ratione sibimetipsi praesens fuit.

Peculiariter autem susceptio *Baptismi* et *Confirmationis* Christo repugnat, tum ex parte characteris, ut dictum est in tract. De sacr. in gen., art. 18, p. 305, nota 3, tum ex parte gratiae quae in Baptismo est regenerativa, in Confirmatione vero perfectiva.

B. Virgo et Apostoli potuerunt suscipere Confirmationem, non ad accipiendum Spiritum S. qui miraculose eis collatus est, sed ad augmentum gratiae et praecipue ad pleniorum conformationem cum Christo per characterem. Immo potuerunt de providentia extraordinaria suscipere Confirmationem non suscepto Baptismo, ut dictum est in tract. De sacr. in gen., art. 24, p. 356, n. 4.

ART. 9. Utrum Ordinarius Minister Confirmationis Sit Episcopus, Extraordinarius Vero Presbyter (a. 11; q. 65, a. 3, ad 2).

STATUS QUAESTIONIS

Est quaestio de altera causa extrinseca seu de *CAUSA EFFICIENTI* hujus sacramenti. De causa autem *institutionis* et de causa principali *applicationis* satis dictum est in tract. De sacr. in gen. (Cap. VI), ubi etiam refutata est sententia quorundam antiquorum de mediata institutione Confirmationis per Christum.

Ad causam autem ministerialem quod attinet, post ea quae generaliter de ministro sacramenti in tract. De sacr. in gen. (Cap. VII) diximus et in tract. De Bapt. (Cap. IV initio) breviter resumpsimus, unica *quaestio* quae hic de ipsius Confirmationis ministro agitanda manet est de determinatione *ministri ordinarii ct extraordinarii*.

Minister autem ordinarius distinguitur ab extraordinario ex hoc quod agat per se et jure proprio, non vero ex ratione frequentioris sacramenti administrationis, quoniam ob peculiare causas contingere potest ut minister extraordinarius frequentius administret. Quaestio autem hic non movetur de ministro solius liceitatis vel solemnitatis, ut in tract. De Baptismo, sed ipsius validitatis.

Unde *quaestio est*: utrum minister ordinarius, seu per se et jure proprio, validae collationis Confirmationis sit de jure divino solus episcopus, minister vero extraordinarius, seu per accidens et jure alieno ipsi commissio, sit presbyter, ita ut episcopus independenter a quolibet actu superioris auctoritatis valide confirmet, presbyter vero ex commissione valide, absque commissione invalide administret.

Quidam doctores medii aevi quaestionem movebant etiam *de diacono aliisque inferioribus ministris*, at haec quaestio cum sit minoris momenti ac obsoleta, resolvetur breviter in Nota 3 ad finem hujus articuli.

PARS NEGATIVA ct PARS AFFIRMATIVA

SENTENTIAE HAERETICORUM ET THEOLOGORUM.

1. *QUOAD MINISTRUM ORDINARIUM.*

Negant episcopum esse de jure divino ordinarium Confirmationis ministrum plures haeretici et quidam catholici.

Photius, schismatis orientalis auctor, videtur saltem polemicè docuisse ministrum ordinarium Confirmationis non esse solum episcopum sed etiam presbyterum. In sua enim Encyclica ad patriarchales sedes

Orientis, scripta occasione collationis Confirmationis per episcopos Latinos Bulgaris a presbyteris photianis antea confirmatis (cf. art. 6, Patres, p. 357 sq.), Latinos vehementer criminis reconfirmationis incusans, docet: "Presbyter baptizat; presbyter corpus Christi consecrat; atqui baptismus et Eucharistia sacramentum Confirmationis dignitate superant; qui autem potest plus, potest et minus; ergo simplex presbyter chrismare potest."⁷³

Quamvis *quidam posteriores schismatici* hoc Photii sophisma reperierint, tamen generatim theologi orientales doctrinam de episcopo ministro ordinario Confirmationis aequivalenter, etsi non modo claro et determinato, docent dum dicunt v.g. potestatem confirmandi principaliter episcopis collatam fuisse, jus perficiendi hoc sacramentum competere episcopis, presbyteris per episcopos facultatem chrismandi concedi.⁷⁴

Inter *Monophysitas* quidam polemistae armeni, ut *Vartanus* et *Gregorius Datheviensis*TM conati sunt probare contra Latinos presbyterum esse ministrum ordinarium Confirmationis ac in administrantibus omnibus sacramentis, excepta Ordinatione, communem cum episcopo potestatem habere.

Albigenses, Waldenses, Wicleflitae et Hussitae, ex eorum negatione divinae institutionis sacramenti Ordinis et ecclesiasticae hierarchiae, logice deduxerunt nullam esse inter episcopum et presbyterum differentiam quoad sacramentalem potestatem adeoque utrumque aequo jure esse ministrum Confirmationis.

In Professione fidei *Waldensibus* ab Innocentio III praescripta legitur: "Confirmationem ab episcopo factam, id est impositionem manuum, sanctam et venerande esse accipiendam censemus" (Denz. 424).

Wiclefl, juxta prop. 28 inter 45 propp. damnatas a Cone. Constant., docet: "Confirmatio iuvenum, clericorum ordinatio, locorum consecratio reservantur Papae et episcopis propter cupiditatem lucri temporalis et honoris" (Denz. 608).

Protestantes eundem errorem una voce resumpserunt, acrius doctrinam catholicam impugnantem et sacram hierarchiam impudentius insultantes. Sententia *Lutheri* (De capt. baby1.), *Calvini* (Inst. Christ., l. 4, c. 19, 10; Antid. Cone. Trid., ad can. 3) et *Dallaei* (De ... Confirmatione et Extrema Unctione, l. 1, c. 2; l. 2, c. 3) sic resumitur potest:

In *Scriptura* nullum est vestigium distinctionis inter presbyteros et

⁷³ Apud *Arcadium*, De concordia Eccl. orient., et occid., l. 2, c. 12, Parisiis, 1672.

⁷⁴ Cf. *Jugir*, Theol. Orient., t. 3, c. 3 ca. S, n. 1 et 2.

⁷⁵ Quos citat *Jugie*, Theol. Orient., t. 5, Parisiis, 1935, p. 663.

episcopos quoad potestatem nec multo minus reservationis episcopalis quoad potestatem confirmandi; quinimmo contrarium innuitur dum inducitur *Ananias*, unus ex discipulis, per manus impositionem conferens Paulo Spiritum S.; ex quo patet inepte theologos catholicos eam reservationem deducere ex eo quod soli *Apostoli* leguntur manus imposuisse; quae ceterum ratio si valeret, probaret etiam solos episcopos posse Eucharistiam consecrare, cum solis Apostolis dictum sit: “Hoc facite in meam commemorationem.”

Reservatio episcopalis contradicit sensui *Traditionis*, cum juxta haeresim *Donatistarum* supponat valorem sacramenti dependere a dignitate ministri, necnon ipsi *praxi Ecclesiae Romanae* incongruenter concedentis quibusdam presbyteris facultatem confirmandi. Reservatio Confirmationis, sin minus ipsa eius institutio, *causam* habuit pigritiam et socordiam episcoporum qui ut laboriosam sacramentorum administrationem et verbi divini praedicationem effugerent, facilem et honorificam caeremoniam sibi elegerunt ac reservarunt (ita Lutherus), necnon libidem honoris et dignitatis praesulum (quos Calvinus “cornutos et infulatos asinos” appellat).

Quidam doctores catholici, ut *Richardus episcopus Armachanus* (Quaest. Armen., l. 9, c. 4) et *Jacobus Sirmundus* (in Antirrhético). quorum sententiam non improbabilem dicunt *Scotus* (In 4 Sent., dist. 7, q. 1, ad 3) et *G. Biel* (In 4 Sent., dist. 7, art. 2, conci. 3), docent episcopalem reservationem potestatis confirmandi *non esse ex jure divino sed tantum ecclesiastico*, ita ut, attenta sola vi Ordinationis, ea potestas aequaliter episcopo et presbytero conveniat ac presbyter, carens ecclesiastica facultate, *valide quamvis illicite* confirmet. Inter modernos idem docuit princeps Max de Saxonia, asserens reservationem administrationis Confirmationis per episcopos originem habuisse ex consuetudine Latinorum ac proinde validam esse Confirmationem a quovis presbytero collatam. Quam doctrinam explicite damnavit Pius X infra citandus.

Communissima sententia theologorum est episcopum esse de jure divino ministrum ordinarium validae Confirmationis, ita ut presbyter de jure ordinario, i.e. absque extraordinaria facultate superioris auctoritatis, invalide confirmet. Hoc explicite docent vel docere intendunt et 5. *Thomas* et quotquot dicunt solum episcopum esse ordinarium ministrum Confirmationis.

2. QUOAD MINISTRUM EXTRAORDINARIUM.

Negant presbyterum esse ministrum extraordinarium Confirmationis, seu presbyterum etiam ex delegatione ecclesiasticae auctoritatis

posse valide hoc sacramentum ministrare, *plures theologi antiquiores*, uti *Durandus* (In 4 Sent., dist. 7, q. 3 et 4), *G. Biel* (In 4 Sent., dist. 7, a. 2, conci. 3), *Hadrianus VI* ut doctor privatus (In 4 Sent., dist. 7, a. 3), qui tamen postmodum ut S. Pontifex facultatem confirmandi presbytero concessit, et post Conc. Trid. praesertim *Estius* (In 4 Sent., dist. 7, 21 sq.) et *Petrus Aurelius* (in Anaerretico et in Orthodoxo). Quidam pro hac sententia citant etiam *Hug. a S. Victore* (De sacr., l. 2, p. 7, c. 2) et *Petrum Lombardum* (Sent., L 4, dist. 7, n. 1), sed hi tantum docent Confirmationem esse episcopis stricte reservatam.

Arguunt praecipue ex Patrum et Ecclesiae documentis, in quibus constanter jus confirmandi solis episcopis tribuitur; ex quibusdam documentis, ex quibus apparet Confirmationem presbyterorum Graecorum invalidam declaratam esse; ex modo agendi Apostolorum, qui nequaquam facultatem Samaritanos confirmandi alicui ex septuaginta discipulis commiserunt (ut conveniens fuisset tum circumstantiis tum humilitati et liberalitati apostolicae) sed personaliter ad Samariam ascenderunt; ex praxi Ecclesiae Latinae non concedendi presbyteris eam facultatem, quod nullo modo conveniens fuisset, attenta morali necessitate hujus sacramenti et periculo moriendi absque ejus susceptione; ex eo quod si presbyter posset confirmare, esset huius sacramenti minister ordinarius non minus quam episcopus, id enim haberet ex sua ordinatione et non ex facultate Ecclesiae, quippe quae non potest impedire validum exercitium sacramenti.

Nihilominus sententia longe communior, et hodie communis, theologorum est presbyterum esse extraordinarium ministrum Confirmationis dependenter a facultate ecclesiasticae auctoritatis, ita ut hac facultate praeditus valide confirmet, ea vero destitutus invalide sacramentum administret. Ita *S. Thomas* (hic ad 1; In 4 Sent., dist. 7, q. 3, a. 1, q. 3), *Bellarminus*, *Suarez*, *Lugo*, *Benedictus XIV*, *Billuart* et communiter theologi moderniores, tam moralistae quam dogmatici cujuslibet scholae.

Inter hos praeterea agitur *quaestio*: an ea facultas a solo Summo Pontifici concedi possit, ut volunt *S. Thomas*, *Suarez*, *Billuart*, *Arcuditis*, *Gehr*, *Hugon*, *Pesch*, *Diekamp* et frequentiores moderni, vel etiam ab episcopo, ut docent *Ledesma*, *Pallavicinus*, *Thomassinus*, *Jugie*, *Lépicier* et quidam alii, innixi praecipue argumento ex antiqua praxi ecclesiae graecae, quorum tamen plures expresse dicunt R. Pontificem posse usum talis concessionis sibi reservare ita ut concessio episcopalis invalida sit.

Nota Theologica.1. *QUOAD MINISTRUM ORDINARIUM.*

Convenientia reservandi episcopis, ut ordinariis ministris, administrationem Confirmationis est *de fide* aequivalenter contenta in definitione tridentina et in professione fidei Waldensibus praescripta ab Innocentio III.

Solos episcopos esse *ordinarios ministros* Confirmationis, est *de fide* explicite definita a Conc. Trid., can. 3 de Confirm.

Episcopos esse *de jure divino* ordinarios ministros Confirmationis, videtur esse *de fide* definita in eodem canone Conc. Trid. (cf. infra ubi de Conc. Trid.).

Episcopos ita esse de jure divino ministros ordinarios ut independentem a qualibet facultate vel prohibitionem *valide* hoc sacramentum conferant, videtur *theologice certum*; id enim necessario sequitur ex praecedenti propositione, minister quippe ordinarius intelligitur qui jure proprio agit, nec jure proprio agere dici potest qui agit dependentem ab altiori facultate.

2. *QUOAD MINISTRUM EXTRAORDINARIUM.*

Solum episcopum non vero *presbyterum* esse ordinarium ministrum Confirmationis, est *de fide* explicite definita in eodem canone tridentino.

Presbyterum, superiori facultate carentem, invalide confirmare, videtur *theologice certum*, tum quia id sequitur ex eo quod solus episcopus est de jure divino ordinarius minister validae Confirmationis, tum quia id explicite docetur in pluribus documentis Ecclesiae praecipue in causa Graecorum, ut Benedicti XIV, Clementis XIII. Pii X et Codicis J.C.

Presbyterum esse *ministrum extraordinarium* validae Confirmationis, est, de communi judicio theologorum, *theologice certum*, attendita explicita doctrina et praxi Ecclesiae. Ad rem *Benedictus XIV* observat: "Quare non videtur hodie fas esse potestatem, de qua olim disceptabatur, summo pontifici abiudicare" (De syn. dioec., l. 7, c. 7, n. 7).

Documenta Ecclesiae.

Sequentia documenta fere omnia respiciunt *MINISTRUM ORDINARIUM*. Referuntur vero ad *MINISTRUM EXTRAORDINARIUM* Silvester P., Conc. Toletanum I, Conc. Arausicanum I. Gregorius M., Benedictus XII, Clemens VI, Conc. Flor., Clemens VIII. Benedictus XIV, Clemens XIII, Pius X, Codex J.C.

Cornelius P. (251-253), *Ep. ad Fabium*, 4, cit. in art. 1 ubi de Traditione, p. 270 sq.

Cone. Illiberitanum (circa a. 300), *can. 38 et 77* (Denz. 52, cit. in p. 271 sq.), jubet baptizatum ad episcopum deferri ut confirmetur.

Silvester P. (313–335), ut refert *Liber Pontificalis* cit. in p. 282, statuit consignationem esse episcoporum privilegium, presbyterum tamen posse in periculo mortis constitutos chrismare. Attamen quae in hoc libro referuntur certa non sunt nec ceterum evidens est eam chrismationem, presbyteris concessam, esse idem ac episcopalem signationem et non potius unctionem baptismalem.

Citari solet etiam *Cone. Toletanum I* (a. 400), *can. 20*: “Statutum vero est diaconem non chrismare, sed presbyterem absente episcopo, praesente vero si ab ipso fuerit praeceptum” (Kirch, *Enchir. Hist.*, 712). Attamen haec verba ad solam unctionem baptismalem, quae praecedebat unctionem chrismatoriam, referenda videntur (cf. textum Innocentii I ad Decentium).

Innocentius I, a. 416, *Ep. ad Decentium* (Denz. 98, cit. in art. 1, p. 272), docet Confirmationem non nisi ab episcopo fieri *licere*; cujus rei tres rationes assignat, i.e. ex eo quod episcopus habeat apicem pontificatus, ex consuetudine ecclesiastica et ex Act. 8, 14 sqq. ubi soli Apostoli leguntur manus imposuisse.

Cone. Arausicanum I (a. 441), *can. 1*: “Haereticos in mortis discrimine positos, si catholici esse desiderant, si desit episcopus, a presbyteris cum chrismate et benedictione consignari placuit”. Attamen quidam dicunt hic non agi de Confirmatione sed de consignatione reconciliativa haereticorum vel de unctione baptismali.

Gelasius P. (492-496), *Ep. 9, 6* ad episcopos Lucaniae, cit. in art. 2 (p. 290), denegat presbyteris facultatem confirmandi.

Gregorius M., *Ep. 26* ad Ianuarium Caralitanum (a. 594), cit. *ibid.*, asserta consuetudine reservandi episcopis administrationem Confirmationis, concedit presbyteris in casu defectus episcopi facultatem confirmandi.

Cone. Hispalense II (a. 619), cit. in p. 282, statuit quod quamvis episcopis et presbyteris sit communis multorum ministeriorum dispensatio, his tamen a statutis ecclesiasticis plura prohibentur, uti consecratio virginum, consecratio altaris, consecratio chrismatis, ordinatio presbyteri vel diaconi, impositio manus et chrismatio frontis (seu Confirmatio).

Cone. Parisiense VI (a. 829), *can. 27*: “Episcopos locum Apostolorum, chorepiscopos autem exemplum et formam tenere LXX discipulorum, et liber Actuum Apostolorum et canonica auctoritas aperte demonstrant. Cum haec ita se habeant, emersit quidam reprehensibilis et valde iam inolitus usus: eo quod quidam chorepiscopi, *ultra modum suum* progredientes, et donum Sancti Spiritus per impositionem ma-

num tradant et alia quaeque, quae solis pontificibus debentur, contra fas peragant: praesertim cum nullus ex LXX discipulis, quorum speciem in Ecclesia gerunt, legatur donum Sancti Spiritus per manus impositionem tradidisse” (Mansi, 14, 556).

Cone. Meldense (a. 845), *can. 44*: “Ut chorepiscopus *modum suum* iuxta canonicam institutionem teneat, et nec sanctum chrisma nec Sanctum Paracletum Spiritum, solis episcopis iuxta decreta Innocentii tribuere debitum, tradere tentet” (Mansi, 14, 829).

Nicolaus I (858-867) episcopos latinos in Bulgariam misit qui reconfirmarent invalide confirmatos a presbyteris graecis delegatione destitutis (cf. art. 6, ubi de Patribus, p. 357 sq.).

Innocentius III, a. 1204, *Ep. ad Basilium* (Denz. 419, cit. in p. 283), repetit doctrinam Innocentii I. In *Ep. ad Vicarium suum Constantinopolitanum* (Cavallera, 1074, cit. ibidem), damnat praxim confirmandi latinorum presbyterorum Constantinopoli degentium, addens Confirmationem “ab Apostolorum tempore rite fuisse solis pontificibus reservatam”. Cf. Professionem fidei Waldensibus praescriptam, cit. ibidem.

Innocentius IV, *Ep. ad Legat, apud Graecos*, a. 1254: “*Soli autem Episcopi* consignent Chrismate in frontibus baptizatos, quia huius unctio non debet nisi per Episcopos exhiberi. *Quoniam soli Apostoli*, quorum vices gerunt Episcopi, per manus impositionem, quam confirmatio vel frontis chrismatio repraesentat, Spiritum sanctum tribuisse leguntur” (Denz. 3041).

Cone. Lugd. II, Professio fidei Michaelis Palaeologi: “Aliud est sacramentum Confirmationis, quod per manuum impositionem *episcopi conferunt*, chrismando renatos” (Denz. 465). Ex quibus verbis tamen non sequitur non posse presbyteris conferri facultatem confirmandi aut Graecos juberi usum talis facultatis derelinquere; nam *Joannes Veccus* in sua fidei professione ad Joannem XXI missa, ait: “Sacramentum Confirmationis, quanquam in Ecclesia romana soli episcopi perficiunt per manuum impositionem chrismando renatos, apud nos tamen indifferenter episcopi et presbyteri hoc faciunt. Nos vero consuetudinem, quae apud nos ab antiquo de hoc ritu viguit, retinentes, usum in romana Ecclesia de eodem servatum sanctitatis ac perfectionis collatorem esse confitemur.”⁷⁰

Benedictus XII, a. 1341, *Libellum de erroribus Armenorum* (Denz. 543, cit. in p. 266 sq.), Catholicon Armenorum reprobatur eo quod praesumpserit licentiam confirmandi suis presbyteris conferre.

Clemens VI, a. 1351, *Ep. ad Consolatorem Catholicon Armenorum*

⁷⁰ Apud A. Theiner et F. Miklosich, *Monumenta spectantia ad unionem Ecclesiarum graecae et latinac*, Vindobonae, 1872, p. 27.

(Denz. 572-574, cit. in p. 283 sq.), valde distincte exponit doctrinam de ministro ordinario et extraordinario.

Cone. Constantiense a. 1418 damnat *prop. 28 Wicleffi* supra citatam, p. 378.

CONC. FLOR., Decr. pro Armenis, apte resumens doctrinam praecedentium documentorum, docet: “*Ordinarius* minister est episcopus. Et cum ceteras unctiones simplex sacerdos valeat exhibere, hanc non nisi episcopus debet conferre: quia de solis Apostolis legitur, quorum vicem tenent episcopi, quod per manus impositionem Spiritum Sanctum dabant, quemadmodum Actuum Apostolorum lectio manifestat [Act 8, 14 sqq] . . . *Legitur tamen aliquando per Apostolicae Sedis dispensationem* ex rationabili et urgente admodum causa simplicem sacerdotem chrismate per episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum” (Denz. 697).

Inter varias quaestiones Graecis in Concilio propositas, haec legitur: Quare apud eos non episcopi sed presbyteri confirmarent cum tamen id ad episcopos pertineat. Cui quaestioni satisfecit *Dorotheas metropolita Mitylensis*, ostendens ex canonibus legitimitatem huius praxis.”

CONC. TRIDENTINUM.

Sess. 7, can. 3 de Confirm., definit: “Si quis dixerit, sanctae confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem: A.S.” (Denz. 873).

Patres tridentini post non paucas discussiones ad finalem redactionem huius canonis pervenerunt. Error discutiendus et in canone damnandus sic sonabat, juxta doctrinam protestanticam Libelli reformationis ad Colonienses: “Minister Confirmationis non est solus episcopus sed quilibet sacerdos”; plures autem Patres volebant ut hic error condemnaretur simpliciter per sequentem contradictorium canonem exhibitum in primo schemate “Si quis dixerit quemlibet sacerdotem esse ministrum confirmationis, A.S.”; alii vero huic formulae renitebant, eo quod juxta antiquam praxim Ecclesiae etiam presbyteris concedi possit facultas confirmandi; inde juxta decisionem finalem (“Tertius canon aptetur *juxta decretum concilii Florentini*”), redactus et definitus est canon 3 nuper citatus.⁷⁸

Ad *sensum et vim canonis* quod attinet, quidam eruditi, ut *Jugie* et *Mangenot*TM ita illum interpretantur ut dicant in eo nihil de origine et natura talis potestatis episcopalis eiusque distinctione a presbyterali

⁷⁸ Cf. Sanctum et oecumenicum in Florentia concilium a monacho Benedictino editum, Romae, 1864, p. 323 sq.

⁷⁹ Cf. *Did. Thiol. Cath.*, art. Confirmation, col. 1088 sqq.

⁸⁰ *Did. Thiol. Cath.*, ibid., col. 1093.

definiri, an scilicet ipsa respiciat jus divinum. *At* contrarium apparet *primo, ex errore* Protestantium, quem Concilium damnare intendit quique ad jus divinum praecipue refertur; *secundo, ex* parallela definitione sess. 23, can. 7, in qua potestas episcopi quoad Confirmationem assimilatur eiusdem potestati quoad Ordinationem et eiusdem hierarchicae distinctioni a presbyteris, quae profecto ex jure divino procedunt; *tertio, ex* discussionibus in Concilio habitis: ita unus episcopus observabat: “Episcopus non est ex institutione divina *solus* minister secus presbyter non posset delegari ad confirmandum” (cujus sensus est: Ex institutione divina tum episcopus tum presbyter est minister quamvis alio et alio modo, cum presbyter delegatione indigeat), alius vero episcopus hanc canonis emendationem proponebat: “Confirmatio *a Christo instituta*, cujus est minister episcopus . . .”; *quarto, ex* ipsa natura rei, quae enim fuit necessitas definiendi episcopum esse ordinarium ministrum ex praecepto Ecclesiae, seu Ecclesiam constituisse episcopum ordinarium ministrum, seu de facto episcopo reservasse (legitime quidem et ab antiquo) potestatem confirmandi?

Sess. 23, cap. 4: “Sancta Synodus declarat, praeter ceteros ecclesiasticos gradus episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere . . . eosque presbyteris superiores esse, ac sacramentum confirmationis conferre, ministros Ecclesiae ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionem potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent” (Denz. 960).

Ibidem, can. 7: “Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem . . . A.S.” (Denz. 967).

Clemens VIII, Instructio super ritibus Italo-Graecorum, a. 1595: “Non sunt cogendi *presbyteri Graeci* olea sancta praeter chrisma ab episcopis Latinis dioecesanis accipere, cum huiusmodi olea ab eis in ipsa oleorum et sacramentorum exhibitione, ex vetere ritu, conficiantur seu benedicantur . . . *Chrisma* autem, quod non nisi ab episcopo, etiam iuxta eorum ritum, benedici potest, cogantur accipere” (Denz. 1086).

Benedictus XIV, a. 1742, Const. “Etsi pastoralis” ad Italo-Graecos, cit. in art. 2, p. 284 sq.

Pontificale Romanum, De Confirm.: “Pontifex . . . populum coram se stantem admonet, quod nullus alius, nisi solus Episcopus, Confirmationis ordinarius minister est”.

Clemens XIII, Decr. S. Officii, 15 ian. 1766. Hoc decretum refertur in sequenti statuto *Cone. Smyrncensis* a. 1869, sess. 2, 2 De Confirm.,

3: “Quod vero spectat ad confirmationem acatholicorum ritus orientalis, qui divino lumine illustrati ad catholicae Ecclesiae gremium revertuntur, standum est decisioni Supremae Congregationis S. Officii editae sub die 15 ian. 1766, quae est sequentis tenoris: ‘SS. Dominus Clemens Papa XIII, auditis votis Emmorum PP. Cardinalium Inquisitorum Generalium, censuit non expedire quod *confirmati a sacerdotibus schismaticis* denuo liniantur post reditum ad unitatem. Et ad mentem.’— ‘Mens est, quod in casibus particularibus inquirendum sit quonam in loco conversi ad fidem fuerint confirmati; etenim in Bulgaria aut in Cypro insula aut in Italia et insulis adiacentibus aut penes Maronitas Libanenses, aut *ubicumque haec jacultas juit expresse adempta*, denuo confirmari debent absolute. Si vero confirmati fuerint in Valachia, Moldavia et Asia, etc. . . , et ubicumque haec facultas non fuit expresse revocata, valide confirmati fuerunt. Quodsi dubitari contingat de loco, de modo, aut alia rationabili circumstantia, recurrendum in casibus particularibus, et conferatur Benedictus XIV, *De Synodo dioecesana*, l. 7, c. 7 sqq.” (Coli. Lac., t. 6, p. 569-570).

Pius X, Ep. “Ex quo” ad suos Delegatos Apostolicos apud Orientales, a. 1910, damnans varios errores contentos in elucubratione Max de Saxonia, ait: “Nobis . . . gravis moeroris occasionem nuperrime praebuit scriptum aliquod, in recens condito diario ‘*Roma, e l’Oriente*’ evulgatum, cui titulus ‘*Pensées sur la question de l’union des Eglises*’. Enimvero tot iisque tam *gravibus erroribus*, non modo theologis, verum etiam historicis, scriptum illud scatet, ut vix possit maior cumulus paucioribus paginis contineri . . . Cui [errori de epiclesi] haud minus absonum est, validam habendam esse Confirmationem a quovis presbytero collatam” (A.A.S., 1911, p. 118 sq.).

CODEX J.C., can. 782:

“1. *Ordinarius* confirmationis minister est solus Episcopus.

“2. *Extraordinarius* minister est presbyter, cui vel jure communi vel peculiari *Sedis Apostolicae* induito ea facultas concessa sit.

“3. Hac facultate ipso jure gaudent, praeter S.R.E. Cardinales ad normam can. 239, §1, 23, Abbas vel Praelatus nullius, Vicarius et Praefectus Apostolicus, qui tamen ea *valide* uti nequeunt, nisi intra fines sui territorii et durante munere tantum.

“4. Presbyter latini ritus cui, vi indulti, haec facultas competit, confirmationem *valide* confert solis fidelibus sui ritus, nisi in induito aliud expresse cautum fuerit.

“5. Nefas est presbyteris ritus orientalis, qui facultate vel privilegio gaudent confirmationem una cum baptismo infantibus sui ritus conferendi, eamdem ministrare infantibus latini ritus.”

Scriptura Et Traditio.

In *Scriptura* nihil aliud *directe* invenitur nisi quod ipsi Apostoli impositionem manuum seu Confirmationem contulerunt iis qui ab aliis baptizati erant (*Act. 8, 4-17; 19, 1-6*) \ quod quidem factum posterior Traditio de episcopali reservatione huius sacramenti interpretata est.

Quoad *Traditionem* iuverit distinguere inter doctrinam et praxim.

DOCTRINAM Patrum esse administrationem Confirmationis competere per se et ordinarie episcopis, per accidens vero et extraordinarie presbyteris, patet tum ex eorum testimoniis de praxi Ecclesiae, in quibus ipsa doctrina aequivalenter continetur, tum ex sequentibus explicitis testimoniis:

QUOAD JUS EPISCOPORUM:

Firmilianus, inter epp. Cypriani 75, 7: ‘Omnis potestas et gratia in Ecclesia constituta est, ubi praesident majores natu, qui et baptizandi et *manum imponendi* et ordinandi possident potestatem” (M.L. 3, 1209).

Chrysostomus, In Act. 18, 3: ‘Et cur hi [Samaritani, Act. 8, 16] baptizati non acceperant Spiritum sanctum? Vel quia Philippus dare ausus non erat, hunc reservans apostolis honorem; sive quia hoc charisma non habebat (erat enim ex illis septem): id quod magis videtur dicendum. Puto certe hunc Philippum ex septem illis esse, secundum a Stephano. Quamobrem cum baptizaret, Spiritum baptizatis non dabat: *neque enim potestatem habebat*; hoc quippe donum duodecim illorum tantum erat. Perpende autem: illi non exierant; dispensatum est, ut ii exirent, qui minorem gratiam habebant, quod nondum accepissent Spiritum sanctum. Potestatem quidem acceperant faciendi signa, non autem Spiritum aliis dandi. Igitur *haec apostolorum erat praerogativa*; ideoque et coryphaeos [i.e. episcopos], non alios, videre est hoc facere.”

Padanus, Epist. 1, 6: “Si ergo et lavacri et *chrismatis potestas*, majorum et longe charismatum, ad episcopos inde [i.e. ex Apostolis] descendit, et ligandi quoque jus adfuit atque solvendi” (M.L. 13, 1057).

Hieronymus, Dial, contra Lucij. 9, cit. in tract. De Bapt., art. 13, p. 173.

Ibi S. Doctor testatur praxim Ecclesiae confirmandi per episcopos; docet non nisi per episcopum Spiritum S. conferri baptizatis; assignat originem divinam hujus juris, quod ut ait inde descendit quo Christus ascendit. Unde *inepte* quidam protestantes cum *Dallaëo* et quidam adversarii theologi conantur probare *originem ecclesiasticam* huius

reservationis episcopalis ex ipso Hieronymo ibidem dicente eam esse "ad honorem potius sacerdotii quam ad legem necessitatis".

Ceterum horum verborum sensus est Deum id episcopis potius reservasse non quia hoc est ex natura rei necessarium, quasi non potuerit presbyteris aequaliter conferri, sed quia talis reservatio dignitati episcopali maxime convenit; vel, ut alii volunt, Deum id episcopis reservasse "quia istud sacramentum non est tantae necessitatis ad salutem sicut baptismus, ut cuique ejus, sicut baptismi, ministerium debeat committi. Hunc sensum aperte indicant verba quae sequuntur in objectione et in textu: alioquin, 'Si ad episcopi tantum imprecationem Spiritus sanctus defluit, lugendi sunt qui in remotioribus locis per presbyteros baptizati, ante dormierunt quam ab episcopis inviserentur.' Idem sensus eruitur ex scopo Hieron. qui ibi impugnat principium Luciferiani, dicentis *posse aliquem baptizari, et tamen non habere Spiritum sanctum*, quem ideo necesse erat dari per confirmationem ab episcopo."⁸⁰

QUOAD FACULTATEM PRESBYTERORUM.

Constitutiones Apostolicae (circa a. 400; 8, 28, 3) de presbytero dicunt: "Confirmat, non confert ordinem".

Chrysostomus, In 1 Tim., hom. 11, 1: "Sola quippe ordinatione superiores sunt episcopi, atque hoc tantum plus quam Presbyteri habere videntur".

Hieronymus, Ep. 146, 1, Ad Evangelium: "Quid enim facit excepta ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat?" (M.L. 22, 1194). Quidam tamen haec verba ita interpretantur ut dicatur omnia esse episcopis et presbyteris communia praeter ea quae competunt episcopis ratione ordinationis episcopalis, scilicet confirmare, ordinare etc.

PRAXIS CONFIRMANDI primorum saeculorum in utraque Ecclesia talis fuit ut administratio Confirmationis reservaretur episcopo (cf. documenta Eccl. supra relata et Trad. Apost., Canones Hippolyti, Const. Eccl. Aegypt., Testamentum D.N.J.C., cit. in art. 2). Cum enim hoc sacramentum una cum Baptismo coram episcopo et in solemnioribus festis administraretur, mos invaluit ut presbyter neophytos baptizaret ac prima unctione liniret, episcopus vero immediate illis unctionem confirmatoriam conferret. Cum autem, praecipue ob multitudinem baptizandorum et distantiam locorum a sede episcopali, sollemnis administratio Baptismi a collatione Confirmationis separari coepit et presbyteris ac diaconis, longe ab episcopali sede ministrantibus, committi, duarum Ecclesiarum praxis per diversas vias discessit.

⁸⁰ *Billuart, De confirm., a. 7, § 1, obj. 3, t. 9, Parisiis, 1904, p. 26.*

IN ECCLESIA LATINA reservatio episcopalis perseveravit et adhuc substantialiter perseverat, ut patet ex frequentibus testimoniis Patrum (cf. Hieronymum, Augustinum, Gregorium M., Isidorum, Sacramentaria, Missalia etc., cit. in hoc art. et in art. 2) et ex documentis Ecclesiae supra citatis in quibus ea praxis constanter sancitur.

In prioribus saeculis etiam in casu *baptismi clinicorum* facultas confirmandi presbytero non concedebatur; unde *Cornelius P.* (251-253) testatur eam fuisse "regulam Ecclesiae" ut qui in articulo mortis baptizatus esset postmodum liberatus a morbo ab episcopo consignaretur; *Anonymus De rebapt.* (circa a. 256), 4 sq., testatur "esse usitatum et evenire solitum, ut plerique post baptismum sine impositione manus episcopi de saeculo exeant" eo quod episcopi nequeant "omnibus hominibus qui sub cura eorum agunt, et hac atque illae dispersis regionibus ipsorum infirmantur, per semetipsos subvenire" (M.L. 3, 1236 sq.): *Cone. Illiberitanum* (circa a. 300) iubet baptizatum in periculo mortis "si supervixerit" ad episcopum deferri ut perfici possit per Confirmationem.

Nec ulla citari potest certa exceptio in favorem presbyteri; ut enim dictum est, canon 20 *Cone. Tolet.* a. 400 non respicit unctionem confirmatoriam; quod vero ait *Liber Pontificalis* de facultate chrismandi, presbyteris concessa a Silvestro P., nec certum est nec certo refertur ad chrismationem confirmatoriam; tandem canon *Cone. Arausicani* et verba *Hieronymi* non univocae interpretationi patent. Valde e converso significantia sunt verba *Innocentia I* ad Decentium (initio saec. 5) et verba *Augustini*: "Quem morem in suis praepositis etiam nunc servat Ecclesia" (De Trin. 15, 26, M.L. 42, 1093).

Saec. 5 et 6 apparent quaedam presbyterorum conamina obtinendi vel potius usurpandi potestatem confirmandi; *Innocentius I* et *Gelasius P.* (492-496) talem praesumptionem retundunt; eandem severitatem ostendit initio saec. 7 *Cone. Hispalense II* (a. 619) a S. Isidoro celebratum et adhuc saec. 9 *Cone. Parisicnse VI* et *Cone. Mcldense*.

Circa finem tamen saec. 6 apparet *prima certa confirmandi jacuitas* presbyteris facta. Ipse enim Papa *Gregorius M.* in supra citata Ep. 26 ad Januarium episc. Caralitanum (Cagliari in Sardinia), quorundum querelam adversus denegationem talis potestatis benigne acceptans, concessit ut in casu defectus episcopi presbyteri confirmare possent.

Valorem hujus documenti destruere conati sunt theologo (inter quos quidam Patres tridentini) qui docent hanc facultatem non posse presbyteris concedi. Dicunt enim Papam illos presbyteros simul elevasse ad dignitatem episcopalem, vel egisse ex quadam oeconomica dissimulatione ad vitandum scandalum, vel eis contulisse tantum facultatem

administrandi aliquam caeremoniam connexam cum Confirmatione. *Attamen* haec arbitrarie dicuntur. Prima enim explicatio vim verbis infert; altera contradicit ipsi explicito verbo “concedimus” quo Papa facultatem tradit; tertia non attendit quod in antiqua praxi baptismali et confirmatoria tantum confectio chrismatis et unctio frontis seu Confirmatio erant episcopis reservatae, ceterae vero caeremoniae, inclusis unctionibus, fiebant a presbyteris.⁸¹

In sequentibus saeculis non desunt exempla talis concessionis, potius tamen rara, ut patet ex ipsis verbis *Cone. Flor.* Quoad tempus *ante Cone. Trid.* citantur concessioniones factae a Nicolao IV, Joanne XXII, Urbano V, Eugenio IV, Leone X, et *Hadriano VI* qui tamen, ut refert Benedictus XIV (De synod. 7, 7, 6), qua doctor privatus negaverat talem facultatem posse concedi. *Post Cono. Trid.* eadem facultas frequentius concessa est, ut a Gregorio XIII, Benedicto XIII, Clemente XI, Benedicto XIV, ac tandem *in moderno jure* elevata est ad gradum concessionis *juris communis* quoad Cardinales, Abbates vel Prelatos nullius, Vicarios et Praefectos apostolicos (cf. *Codicem* supra cit.); imo quandoque episcopo commissa est ipsa facultas designandi presbyterum qui possit Confirmationem administrare (cf. *S. Officium*, 4 maii 1903).

IN ECCLESIA GRAECA multo maturius inolevit usus concedendi presbyteris facultatem confirmandi, et quidem non occasionaliter et individualiter tantum, sed titulo permanenti ac veluti de jure communi. Cujus rei ratio videtur fuisse immutata praxis conferendi Confirmationem simul cum Baptismo.

Prima documenta hujus consuetudinis inveniuntur in ipsis scriptis latinis. Etenim de ecclesia alexandrina refert *Pseudo-Ambrosius*, In Eph. 4, 11 sq.: “Apud Aegyptum presbyteri consignat, si praesens non sit episcopus” (M.L. 17, 410) et *Auctor Quaest. Vet. et Novi Test.*, q. 101: “In Alexandria et per totam Aegyptum, si desit episcopus, consecrat [consignat, juxta Mss. Colbert] presbyter” (M.L. 35, 2306). *Capitula S. Martini Bracarensis*, quae sunt quaedam collectio decisionum synodorum graecorum, hunc canonem (52) referunt: “Presbyter praesente episcopo non signet infantes, nisi forte ab episcopo fuerit illi praeceptum” (M.L. 130, 585).

Hanc praxim mox universalem evasisse ostendunt tum *Euchologia Nestorianorum* et *Monophysitarum*, ab Ecclesia inde a saec. 5 separatorum,⁸² tum supradicta controversia *Photii* cum latinis circa confirmationem Bulgarorum. Immutata autem permansit usque in hodiernum

⁸¹ Cf. *Billuart*, De confirm., a. 7, §2, prob. 2; *Vitasse*, De confirm., p. 2, q. 2, a. 5, sect. 2.

⁸² Cf. *Juče*, Theol. Orient., t. 5, Parisiis, 1935, p. 662 sq.

diem sive apud catholicos sive apud schismaticos et haereticos; nec unquam ab Apostolica Sede reprobata est sed potius aequivalenter vel implicite approbata quamvis sub quibusdam restrictionibus, ut patet ex supra cit. Nicolao I, Cone. Flor., Clemente VIII, Benedicto XIV, Clemente XIII et *Codice J.C.*

CONCLUSIO

Conclusio 1. Minister Ordinarius Validae Confirmationis Est De Jure Divino Solus Episcopus, Ita Ut Hic Non Vero Presbyter, Independentem A Quolibet Actu Superioris Auctoritatis, Valide Confirmet (a. 11, corp.; q. 65, a. 3, ad 2).

Probatur 1. *EX SCRIPTURA.*

In sacris litteris (*Ad. 8, 4-17 et 19, 1-6*) soli Apostoli confirmasse dum alii, ut diaconi (cf. *Ad. 6, 8 sqq.; 8, 5. 12. 38*), tantum baptizasse et praedicasse leguntur.

Nec valet cum Calvino opponere casum Ananiae manum imponentis Saulo ut impleretur Spiritu S. (*Ad. 9, 17*). Nam non probatur Ananiam fuisse simplicem laicum, non egisse ex extraordinaria commissione Dei, contulisse effectum Confirmationis imo ipsum sacramentum; quinimmo ex ipso textu suadetur Ananiam non fuisse laicum (v. 10; 22, 12), ex extraordinario et particulari ministerio egisse (v. 10 sqq.), non ipsum sacramentum Paulo contulisse, cum eum immediate post manus impositionem baptizavit (v. 18), imo nec ipsum effectum Confirmationis seu gratiam Spiritus S. gratum facientem contulisse, sed potius donum Spiritus S. quod est gratia gratis data, cum actio Ananiae exhibeatur ut quaedam curativa impositio manuum (v. 12. 17. 18; 22. 13) cuius non desunt alia exempla apud ipsum Lucam (Ev. 4, 40; 13, 13; Act. 28, 8).

Atqui id ostendit solis Apostolis ex divina institutione jus fuisse confirmandi; non enim alia verisimilis ratio assignari potest quare ipsi Apostoli festinanter ex Jerusalem ad Samaritanos confirmandos ascenderent, cum id fieri potuisset ab ipso Philippo, uno ex diaconis quibus Protestantes confirmandi facultatem concedunt, vel per presbyterum a Jerusalem missum.

Atqui soli episcopi sunt successores Apostolorum absolute et simpliciter seu secundum propriam et plenam istorum potestatem. Ergo solis episcopis competit ratio ministri ordinarii Confirmationis.

Ceterum, legitimitas hujus rationis probatur ex constanti interpretatione *Traditionis* quae in praedictis locis Scripturae fundat hoc privilegium episcoporum (cf. Documenta Innocentii I, Innocentii III, Innocentii IV, Cone. Florent.).

Probatur 2. EX DOCUMENTIS ECCLESIAE ET TRADITIONIS.

Imprimis praxis Ecclesiae, praesertim occidentalis, reservandi episcopo ordinariam administrationem Confirmationis, communis *doctrina* de origine apostolica talis reservationis, decisiones *magisterii Ecclesiae* exhibentis tantum vel fere exclusive episcopum ut ministrum hujus sacramenti, convenientem explicationem non obtinent nisi dicatur episcopum esse *de jure divino ministrum ordinarium Confirmationis* ita ut ipse, non vero presbyter, abstrahendo a quolibet actu superioris auctoritatis, valide confirmet.

Secundo, idem *aequivalenter* exhibetur in modo quo de hac episcopali potestate Documenta loquuntur. Haec potestas juxta Innocentium I *debetur* solis episcopis ut *demonstrat et consuetudo ecclesiastica et ipsa Scriptura*; juxta Gelasium P. et cone. Parisiense VI ita *debetur fastigio episcopali* ut presbyteri eam usurpantes agant *ultra modum suum* (i.e. ultra indolem potestatis presbyteralis); juxta Gelasium P. convenit episcopis sicut ipsa *consecratio chrismatis*, et juxta Firmilianum et Pacianum sicut ipsa *ordinatio*; juxta Chrysostomum est Apostolorum eorumque successorum *donum* et praerogativa; *de coelo cum Spiritu S. descendit* juxta *Hieronimum* scribentem: “Quod si hoc loco quaeris quare in Ecclesia baptizatus, nisi per manus episcopi, non accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in vero baptisate tribui, disce hanc observationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus sanctus ad apostolos descendit” (Dial. contra Luc. 9, M.L. 23, 172 sq.).

Haec et similia Traditionis verba, tam instanter visa sunt divinam institutionem talis potestatis proponere, ut inde plures theologi negaverint Ecclesiam posse presbyteris conferre facultatem confirmandi et quidam etiam inter Patres Tridentinos concessionem a Gregorio M. factam quibusdam presbyteris aliter explicare conati fuerint.

Tertio, ut dictum est supra ubi de Docum. Eccl., divina institutio reservationis episcopalis aequivalenter continetur in definitione *Cone. Tridentini*.

Quarto, eadem veritas logice sequitur ex invaliditate Confirmationis administratae a presbytero, debita facultate carente, quae declarata est implicite a Nicolao I in causa Bulgarorum et explicite a *Clemente VI*, a *Benedicto XIV* et a *Codice J.C.* Non potest enim Ecclesia invalidare administrationem sacramentorum (exceptis Poenitentia et Matrimonio, cum quibus potestas jurisdictionis Ecclesiae connexa est), ut patet de Baptismo et Eucharistia. Unde invaliditas Confirmationis admini-

stratae a presbytero, facultate carente, provenit ex ipso jure divino administrationem hujus sacramenti episcopo reservante.

Probatur 3. EX RATIONE CONVENIENTIAE.

Copulata ratio indolis Confirmationis, quae est sacramentum perfectionis baptismalis ac militiae christianae, et indolis potestatis episcoporum qui, utpote successores Apostolorum, obtinent in Ecclesia, ut aiunt Patres, *honorem, fastigium et apicem sacerdotalis ministerii nec non ducatum et curam fidelium*, ostendit convenientissime Christum solos episcopos ministros ordinarios hujus sacramenti constituisse.

Etenim in quolibet opere ultima consummatio et perfectio fit a supremo artifice vel auctoritate. Ergo conveniens fuit ut *consummatio et perfectio vitae sacramentaliter collatae*, quae fit per Confirmationem, committeretur episcopo qui solus habet supremum gradum sacerdotii seu sacramentalis potestatis.

Item, inscriptio seu aggregatio civium in militarem ordinem pertinet ad duces exercitus. Ergo conveniens fuit ut *aggregatio in militiam Christi*, quae fit per Confirmationem, committeretur episcopo qui est dux et pastor ecclesiae.

Haec elegantissime exponit S. *Thomas*:

Hic in corp.: “In quolibet opere ultima consummatio supremae arti aut virtuti reservatur, sicut praeparatio materiae pertinet ad inferiores artifices, superior autem dat formam. Supremus autem est ad quem pertinet usus, qui est finis artificiatorum; unde epistola, quae a notario scribitur, a domino signatur.

“Fideles autem Christi sunt quoddam divinum opus, secundum illud I Cor. iii, 9: *Dei aedificatio estis*. Sunt etiam quasi quaedam *epistola Spiritu Dei scripta*, sicut dicitur II Cor. iii, 3. *Hoc autem confirmationis sacramentum est quasi ultima consummatio sacramenti baptismi*, ita scilicet quod per baptismum aedificatur homo in domum spiritualem, et conscribitur quasi quaedam spiritualis epistola; sed per sacramentum confirmationis, *quasi domus aedificata, dedicatur in templum Spiritus sancti, et quasi epistola conscripta signatur signo crucis*.

“Et ideo collatio hujus sacramenti episcopis reservatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia; sicut et in primitiva Ecclesia per impositionem manus apostolorum, quorum vicem gerunt episcopi, plenitudo Spiritus sancti dabatur, ut habetur Act. viii.”

Contra Gent. 4, 60: “Convenienter. . . hoc sacramentum a solis pontificibus confertur, *qui sunt quodammodo duces exercitus Christiani*; nam et apud saecularem militiam ad ducem exercitus pertinet ad militiam eligendo quosdam adseribere; ut sic qui hoc sacramentum suscipiunt ad spiritualem militiam quodammodo videantur adscript!; unde

et eis manus imponitur ad designandam derivationem virtutis a Christo” (cf. 3p., q. 65, a. 3, ad 2).

S. *Bonaventura*, In 4 Sent., dist. 7, a. 1, q. 3, magis attendens ad rationem *Pastoris*, eandem convenientiam sic ostendit: “Alia ratio potest reddi, quod *ipsis episcopis est cura de subditis* et maxime de clericis, quum curam habeant de omnibus; licet aliis commissa sit custodia, tamen placuit Spiritui sancto, ut aliquod sacramentum omnes subditi a praelato reciperent immediate, similiter quod clerici aliquod . . . et illud est duplex sacramentum in quo duplex imprimitur signaculum [i.e. Confirmatio et Ordo]”.

Conclusio 2. Presbyter Est Extraordinarius Minister Confirmationis, Seu Potestas Confirmandi Non Ita Est Propria Episcopi Ut Presbyter, Supposita Facultate Auctoritatis Ecclesiasticae, Non Possit Valide Confirmare (a. 11, ad 1; In 4 Sent., dist. 7, q. 3, a. 1, q. 3).

Probatur 1. EX DOCTRINA DOCUMENTORUM ECCLESIAE.

Cone. Flor, et Trid. docentia solum episcopum non vero presbyterum esse ordinarium ministrum innuunt presbyterum posse esse ministrum extraordinarium. *Cone. Florentinum* hanc doctrinam *implicite* approbat cum ait aliquando ex rationabili causa S. Sedem concessisse presbytero facultatem confirmandi. *Clemens VI, Benedictus XIV* et *Codex J.C.* valde *explicite* docent tum R. Pontificem eam facultatem concedere posse tum absque ea invalide presbyteros confirmare.

Contraria igitur sententia cum auctoritate explicit! magisterii Ecclesiae, quamvis non definitivi, nullatenus componi potest.

Probatur 2. EX PRAXI ECCLESIAE LATINAE.

Ut ostensum est in Parte Affirm., S. Sedes modo extraordinario concessit presbyteris facultatem chrismandi, inde quidem a medio aevo constanter et frequenter, nunc vero tam liberaliter ut eam sub forma juris communis in ipso Codice consignaverit. Contraria igitur sententia componi non potest cum doctrina de assistentia Spiritus S. Ecclesiae promissa praesertim in rebus quae cum doctrina fidei et administratione salutis, qualis est collatio sacramentorum, intime connectuntur.

Probatur 3. EX PRAXI ECCLESIAE GRAECAE.

Abstrahendo a communi consuetudine totius Orientis, etiam separati, certum est ipsam Ecclesiam orientalem catholicam inde a remotis saeculis per presbyteros, tanquam per ministros veluti communi jure delegatos, confirmasse et adhuc confirmare; ipsam vero S. Sedem contra talem usum nunquam reclamasse; in ipsis *Cone. Lugd. II* et *Flor*, (cf. *Doc. Eccl.*), in quibus actum est de unione ecclesiae schismatica

cum Catholica, praxim orientalem nullatenus reprobasse, quamvis explicitè proposuerit doctrinam de episcopo ministro Confirmationis; imo eam in pluribus posterioribus documentis (cf. Benedictum XIV, Clementem XIII, Codicem J.C.) aequivalenter approbasse.

Ex contraria ergo sententia sequeretur magnam partem Ecclesiae catholicae per saecula errasse et Confirmationem frequentissime invalide administrasse, ac S. Sedem in suo officio praeservationis mediorum salutis et vigilantiae super bonum animarum graviter et per tot saecula defecisse, imo tam perniciosam praxim approbasse. Quae omnia cum dogmate de assistentia Spiritus S. et de universali Ecclesiae incorruptibilitate et inerrantia componi non possunt.

Probatur 4. EX RATIONE CONVENIENTIAE.

Ut ratiocinatur S. *THOMAS* (in 1. c. Sent.), potestas sacramentalis circa corpus mysticum Christi ordinatur et dependet a potestate sacramentali circa corpus Christi verum seu physicum, a quo tanquam a capite descendit in membra omnis gratia sacramentalis. Presbyter autem, non minus quam episcopus, habet plenam et summam potestatem sacramentalem circa corpus Christi physicum per Eucharistiae celebrationem, secus ac diaconus aliique ministri inferiores. Ergo summe conveniens fuit ut Christus aliquo saltem modo concesserit presbyteris omnem potestatem circa corpus mysticum, seu ut possint administrare non solum sacramenta quae jure ordinario eis competunt sed etiam, dependenter quidem a superiori auctoritate, ea quae sunt propria sed infima in munere episcopali, scilicet Confirmationem et ordines minores.

Ex quo evidentius apparet quomodo sive presbyteratus sive episcopatus ad eundem ordinem sacerdotalem pertineat et quomodo episcopatus sit perfectio et complementum presbyteratus, seu ejusdem sacerdotii apex et fastigium.

Praeterea, per Confirmationem homines adseribuntur militiae Christi, cujus duces et pastores superiores sunt episcopi, inferiores vero presbyteri, non autem diaconi aliique ministri. Sicut ergo in saeculari militia actio adseribendi novos milites, quae per se et ordinarie competit ducibus superioribus, potest auctoritate Imperatoris inferioribus ducibus committi, ita valde convenienter Christus disposuit ut administratio Confirmationis, quam de jure proprio et ordinario episcopis tradidit, posset a Papa de jure extraordinario presbyteris committi.

POTESTAS AUTEM CONFIRMANDI IN PRESBYTERO ITA SALTEM A SOLO S. PONTIFICE DEPENDET UT EO CONTRA-

DICENTE PRESBYTER, ETIAM FACULTATE EPISCOPALI PRAEDITUS, INVALIDE CONFIRMET.

Hoc ostenditur tum ex constanti *praxi Ecclesiae latinae*, tum *ex documentis Ecclesiae*, praesertim Cone. Flor., Benedicti XII, Clementis VI, Benedicti XIV et Codicis J.C., in quibus docetur solum S. Pontificem hanc facultatem concedere, ac simpliciter et sine addito invalidae declarantur confirmationes quorundam presbyterorum, tum *ex ratione* quam innuit 5. *Thomas* (a. 11, ad 1), scilicet ex eo quod in hac facultate involvitur usus jurisdictionis ecclesiasticae, haec enim ita a Papa dependet ut ipsa episcopalis jurisdictio possit per eum conferri, limitari et auferri.

Unde *Benedictus XIV, De syn. dioec., l. 7, c. 8*, declarata difficultate quaestionis: utrum solus Papa possit talem facultatem concedere, inhaesitanter concludit: "Posita autem reservatione facultatis, de qua sermo est, a summo Pontifice sibi facta, nec licite nec valide potest episcopus latinus ea uti: nam, quamvis confirmare sit actus ordinis episcopalis, cujus firmitas et validitas a Pontificis nutu non pendet, delegare tamen simplici presbytero potestatem exercendi ejusmodi actum, potius ad jurisdictionem quam ad ordinem pertinet. Episcoporum vero jurisdictio, sive sit immediate a Christo Domino, sive a Summo Pontifice, ita semper huic subest, ut, consentientibus omnibus catholicis, ejusdem auctoritate et imperio limitari atque ex legitima causa omnino auferri possit."

Probabilius etiam est eam facultatem *a solo S. Pontifice*, non vero ab episcopis (in propria quidem dioecesi), conferri posse.

Id suadetur ex praedicta praxi et documentis Ecclesiae; satis explicitè docetur a S. *Thoma* (a. 11, ad 1) et praecipue a *Clemente VI*, cujus verba in sensu obvio accepta sic sonare videntur: Ideo solus Papa potest hanc facultatem conferre *quia* ipse solus habet *plenitudinem potestatis*; satis efficaciter ostenditur ex ratione quam innuit S. *Thomas*, scilicet ex eo quod in hac facultate involvitur *usus supremæ potestatis ecclesiasticae*, ad hanc enim tantum pertinet decernere circa ea a quibus pendet valor sacramentorum, cum *hic spectet ad universalem rationem boni et ordinationis Ecclesiae*.

Concessionem autem factam a particularibus Conciliis et praesertim universalis *praxis ecclesiae orientalis* huic veritati *non obstant*; quoniam id fiebat saltem ex tacito consensu seu facultate S. Sedis, quae sinebat tales consuetudines introduci ac perseverare, quemadmodum ex sola potestate S. Pontificis proveniebat jurisdictio in episcopos qui in Oriente, independenter a S. Sede sed ea non contradicente, eligebantur. Unde praefatae concessionem vel consuetudinem non sunt considerandae

ut causa et fons facultatis presbyteralis, sed tantum ut *conditio*, qua posita, facultas descendebat a supremo fonte jurium ecclesiasticorum.

Ad rem *Arcudius*: “Tutissimum est dicere Graecorum presbyteros per suos patriarchas et antistites ejusmodi facultatem a summo Pontifice obtinuisse, a quo omnis jurisdictio quasi a capite in alios veluti membra immediate vel mediate derivatur et diffunditur” (De concordia Eccl. occ. et orient., l. 2, De confirm., c. 15).

Nota 1. De convenientiori ratione praxis latinae reservandi episcopis administrationem Confirmationis.

Praxis orientalis committendi veluti de jure communi administrationem Confirmationis presbyteris, habet idem spirituale commodum quod notavimus in art. praec. quoad praxim conferendi Confirmationem immediate post Baptismum.

Nihilominus, attentis altioribus causis ipsius boni spiritualis, simpliciter convenientior est *praxis occidentalis* quam per saecula immutabiliter custodivit romana sapientia Apostolicae Sedis. Episcopalis enim reservatio magis convenit tum *rationi ordinis*, ne scilicet ea quae sunt per se propria ac reservata fiant in praxi communia et ordinaria; tum dignitati sacrae hierarchiae adeoque ipsi *bono publico*, quod ut ait S. *Thomas* (2-2, q. 39, a. 2, ad 2; cf. 3 p., q. 65, a. 3, ad 1) potius residet in capite quam in multitudine; tum ipsi *bono multitudinis*, cum ex immediato et sacramentali contactu Pastoris cum singulis membris suae dioecesis vivificatur in istis conscientia Christianae communitatis, ex qua unitas Ecclesiae firmatur; tum *venerationi sacramenti*, quod eo magis aestimatur quo a digniori ministro conferri videtur; tum *dignitati sacramenti*, quod cum sit sacramentum plenitudinis, ministrum quoque plenitudinem sacerdotalis potestatis habentem sibi conclamat.

Aliunde autem, per particulares concessionem presbyteris factas et maxime per facultatem juris communis non paucis praelatis concessam, sufficienter spirituali bono individuorum consulitur. Utrum necne hujusmodi facultatem largius extendere expediat, solius S. Sedis est judicare.

Id tamen in votis habent quidam auctores, ut *Vermeersch SJ.* scribens:

“In Ecclesia graeca, infantes omnes hoc sacramento muniuntur. Quod de filiis catholicorum in Urbe quoque affirmari potest, cum mos sit ut episcopus quispiam morienti infanti advocetur ad illum confirmandum. Alibi vero, propter raritatem episcoporum, bene multi infantes moriuntur non confirmati.

“Haec si quis consideret, nonne inaequalem istam puerorum conditionem dolere incipit, et in modum inquirere quo moraliter omnibus

ocasio fiat obtinendi in anima characterem illum novum qui per istud sacramentum in anima imprimitur? Iam vero multo facilius hodie, ipso iure communi, communicatur presbyteris facultas confirmandi. Nonne possint in locis ubi pauci sunt episcopi, decanis seu archipresbyteris facultates concedi confirmandi pueros in mortis periculo positos? De rei opportunitate iudicabunt qui auctoritate praestant; eam tamen in votis habere nobis licebit.”⁸³

NOTA 2. DE RATIONE MINISTRI EXTRAORDINARII SEU DE INDOLE POTESTATIS PRESBYTERALIS RELATE AD CONFIRMATIONEM.”

Quoad hanc quaestionem mira est apud theologos varietas sententiarum et modorum eas explicandi; quae varietas atque fluctuatio videtur provenire tum ex modo ponendi quaestionem, tum ex quadam confusione inter vim potestatis ordinis et vim potestatis jurisdictionis, tum ex inadaequato et minus exacto conceptu de indole characteris sacramentalis.

Imprimis pro certo habendum est, ex supra disputatis, validitatem Confirmationis collatae a presbytero dependere, tamquam ab exteriori saltem conditione, ab actu jurisdictionis ecclesiasticae a qua facultas confirmandi conceditur, adeoque saltem exercitium potestatis presbyteralis esse subjectum jurisdictioni ecclesiasticae ac quodammodo ei alligari. *Quaestio* autem disputabilis sic ponenda est: Utrum potestas confirmandi, tam in episcopo quam in presbytero, sit potestas ordinis an jurisdictionis. Cui quaestioni tripliciter theologi respondent:

QUIDAM SCOTISTAE docent eam esse potestatem *jurisdictionis*, ordinariam quidem in episcopo, delegatam vero in presbytero, idque de voluntate Institutoris.

Attamen, primo, exinde non explicatur quare talis potestas sit alligata Ordini et quidem sacerdotali et quare non etiam aliis ministris et laicis conferri possit a Papa cui videtur Christum contulisse plenitudinem potestatis in Ecclesia.

Secundo, supprimitur traditionalis theologorum definitio et distinctio inter utramque potestatem jurisdictionis et ordinis; haec enim directe, illa vero indirecte tantum, ad administrationem sacramentorum referri solet; quod autem administratio ipsius sacramenti Poenitentiae sit actus jurisdictionis, accidit ipsi rationi sacramentali qua tali, inquan-

⁸³Thcol. Moralis, t. 3, l. 2, tract. 3, art. 2, η. 270, Romae, 1923, p. 209.

M Cf. *Vitasse*, De confirm., q. 2, a. 5, sect. 2, §2, Decima; *Bellarmino*, De confirm., c. 12; *D'Alès*, De bapt. et confirm., th. 15, Scholion; *Dolger*, Das Sakrament der Firmung, Wien, 1906. p. 206 sqq.

tum nempe cum hoc sacramentum conferatur ad modum iudicii, potestas ordinis secum trahit potestatem jurisdictionis.

Tertio, inde sequitur episcopum electum, at nondum consecratum, vel posse valide confirmare absque licentia S. Sedis, cum habeat jurisdictionem ordinariam, vel nondum habere jurisdictionem saltem completam donec consecretur.

Quarto, sequitur aut Papae non subici omnem potestatem jurisdictionis in Ecclesia, seu ipsum non habere eiusdem jurisdictionis plenitudinem, aut ipsum posse subtrahere episcopis potestatem confirmandi, ac ita episcopos non esse de jure divino ministros ordinarios Confirmationis; item, invalidas esse omnes confirmationes schismaticorum, quippe qui ipso facto separationis ab Ecclesia potestatem jurisdictionis amittunt, necnon confirmationes episcopi destituti aut chrismantis fideles suae jurisdictioni non subjectos.

ALII docent potestatem confirmandi esse simul potestatem *ordinis et jurisdictionis*, eo fere modo quo potestas absolvendi seu sacramentum Poenitentiae administrandi; ex quo sequitur presbyterum ex sua ordinatione habere potestatem confirmandi sicut absolvendi, sed utramque invalide exercere nisi accedat facultas Ecclesiae, jurisdictionem conferentis.

Attamen, primo, neganda est paritas inter Confirmationem et Poenitentiam; ex ipsa enim earum indole patet illam conferri ad modum solius consecrationis subjecti, hanc vero praecipue ad modum absolutionis seu iudicii; unde ad exercitium seu applicationem istius, non vero illius, requiritur jurisdictio. *Secundo*, contra hanc sententiam valet ultima ratio (*Quarto*) adducta contra praecedentem opinionem.

TERTIA, COMMUNIS ET VERA SENTENTIA est potestatem confirmandi esse *tantum potestatem ordinis*.

Id patet tum ex exclusione aliarum sententiarum, tum ex ipsa indole sacramenti Confirmationis ad quod conferendum illa potestas ordinatur quodque nullum jurisdictionis exercitium importat. *Nec refert* quod in presbytero sit alligata facultati seu jurisdictioni Ecclesiae, quoniam aliud est alligari jurisdictioni et aliud esse jurisdictionem nec quidquid solvitur vel datur per jurisdictionem, jurisdictio est.

Patroni hujus sententiae *ulterius quaerunt quid commissio Papae conferat presbytero*.

Quidam respondent eam conferre intrinsecum complementum potestatis Ordinis. *Alii* eam apponere extrinsecum eiusdem complementum, seu quandam exteriorem dignitatem eiusdem vis ac interior episcopi dignitas relate ad valorem Confirmationis. *Alii* eam nullum complementum producere (nam intrinsecum complementum est quid incon-

cepibile, extrinsecum vero est quid insufficientis), sed tantum ponere extrinsecam et requisitam conditionem ad expeditum exercitium actus sacramentalis.

Haec ultima est *communior et vera explicatio*.

Presbyter igitur vi ordinationis accipit, in ipso physico caractere, potestatem ordinis ad confirmandum, Deus autem huic caracteri et potestati influxum ad valorem sacramenti requisitum non praebet nisi accedente extrinseca conditione facultatis superioris ecclesiasticae jurisdictionis. Hoc sensu plures theologi dicunt presbyterum accipere tantum potestatem in actu primo, vel radicaliter, vel alligatam, vel potestatem non actum. Melius dicatur eum accipere *potestatem simpliciter ac completam, quamvis impotentem transire ad actum propter dejectum extrinsecae conditionis ad causalitatem requisitae*. Cum ergo facultas confirmandi accedit, nequaquam ea potestas intrinsece completur aut character sacerdotalis augetur, quoniam haec non nisi per repetitum sacramentum fieri possent nec iterum amitti possent dum, recedente facultate, presbyter iterum inhabilis redditur ad confirmandum.

Id non inepte illustrari potest ex analogia rerum naturalium. Ita, instrumentum telephonicum vel telescopicum nullam intrinsecam virtutem addit facultati auditivae vel visivae, nec est causa auditionis vel visionis, sed tantummodo conditio requisita ad hoc ut nativa et in se perfecta potentia applicetur ad peculiare objectum et transeat in peculiarem actum, ita ut, praedictis instrumentis remotis, nec auris audire possit quod audiebat nec oculus videre quod videbat, quin inde ipsa potentia auditiva vel visiva ullatenus minuatur.

Nota 3. Ratio ministri extraordinarii solis presbyteris convenit non vero diaconis et inferioribus ministris nec a fortiori laicis.

A longo iam tempore obsoleta est *sententia quorundam theologorum et canonistarum mediæ aevi* qui, eo innixi principio “ex mandato S. Pontificis quilibet conferre potest quidquid habet”, docebant ministrum extraordinarium Confirmationis esse etiam diaconum vel alium inferiorem ministrum, imo et laicum seu quemlibet confirmatum.

Illorum sententiam sic refert S. *Thomas*: “Alii dicunt, quod auctoritas Papae tanta est, quod ejus mandato quilibet potest conferre quod habet, ut confirmatus confirmare, sacerdos sacerdotium conferre, diaconus diaconatum; non autem mandato ipsius potest aliquis conferre quod non habet, ut diaconus ordinem sacerdotalem” (*In 4 Sent., dist. 7, q. 3, a. 1, q. 3*).

Falsitas hujus sententiae demonstratur:

1. *Ex sensu et praxi Ecclesiae* quae numquam cogitavit de hujus-

modi facultate ipsis diaconis concedenda, quamvis aliunde non deessent valde convenientes rationes talis concessionis.

2. *Ex falsitate praedicti principii;* non enim ratio conferendi aliquod sacramentum est ipsa ejusdem susceptio, sed peculiaris potestas ad sacramenta administranda ab eorundem Institutore collata. Ceterum ex tali principio sequeretur eum qui Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem suscepit, posse haec sacramenta de licentia Papae administrare.

3. *Ex ratione S. Thomae* (in 1. c. Sent.) iam supra relata, scilicet potestatem sacramentalem circa corpus mysticum, seu potestatem administrandi fidelibus sacramenta Christi, dependere a potestate sacramentali circa corpus Christi physicum, a quo tanquam a capite descendit in membra omnis gratia sacramentalis. Solus autem *sacerdos* habet *summum seu directum actiim* potestatis circa corpus Christi physicum per Eucharistiae celebrationem. Ergo soli sacerdoti convenit potestas administrandi Confirmationem aliaque sacramenta.

ART. 10. Utrum Convenienter Assignentur Caeremoniae Et Sacramentalia Confirmationis (a. 10. 12).

STATUS QUAESTIONIS

Caeremoniae hujus sacramenti, quae in *PONTIFICALI ROMANO* et in *RITUALI* (Appendice, De Confirm.) accurate describuntur atque ab antiqua Ecclesiae praxi fere immutatae descendunt, dividi possunt, iuxta ordinem celebrationis, in *praecedentes, concomitantes* et *subsequentes* ipsam sacramenti essentiam, quae ut diximus consistit in signatione chrismativa sub forma verborum. Potest etiam his caeremoniis accommodari divisio ex circumstantiis actuum moralium, allata in tractatu praecedenti quoad caeremonias Baptismi.

Generalis convenientia rituum Ecclesiae probata est in tract. De sacr. in gen., art. 46; eam sic breviter ostendit S. *Thomas* in corp. a. 12: “Dominus fidelibus suis promisit, dicens: ‘Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum [Matth. 18, 20]’. Et ideo firmiter tenendum est quod *ordinationes Ecclesiae dirigantur secundum sapientiam Christi*. Et propter hoc certum esse debet ritus quos Ecclesia observat in hoc et in aliis sacramentis esse convenientes.”

Ceterum ex dicendis patebit ritus Confirmationis, pauciores quidem quam in Baptismo sed *solemniors* ex dignitate ministri, spiritualem symbolismum hujus sacramenti vivide proponere ac magnifice extollere

CONCLUSIO

Conclusio 1. Convenienter Assignantur Caeremoniae Quae Essentiam Sacramenti Praecedunt.

1. *DE CONFECTIOE SEU CONSECRATIONE CHRISMATIS*, quae remote tantum sacramentum praecedat atque ad validam ipsius materiam constituendam ordinatur, sufficienter dictum est in art. 3 (Stat. Quaest., n. 3). Descriptiones hujus ritus exhibent vetera Sacramentalia, Ordines ac Missalia, necnon antiquiores theologi, ut *Honorius Augustodunensis*, *Amalarius* et *Walajridus Strabo*, qui ejusdem etiam *convenientiam et symbolicas interpretationes* ostendunt.

Inepte autem *Protestantes* inter has caeremonias praecipue reprehendunt ac derident *halitum* per modum crucis ab episcopo et assistentibus sacerdotibus ductum super os ampullae chrysmatis et solemnem eorumdem *salutatio* ad novum chrisma per trinam genuflexionem et appellationem "Ave sanctum Chrisma". *Primum* enim nullam superstitionem importat sed est symbolum descensus Spiritus S., qui in consecratione materiae remotae sacramenti invocatur ac praeparatur; *alterum* vero non est actus idololatriae sed, sicut ipsa salutatio et adoratio Crucis, actus cultus relativi qui dirigitur ad ipsum Spiritum S., in ampulla chrysmatis veluti in signo figuratum.

Convenientia etiam circumstantiae *temporis* hujus consecrationis, seu *Feriae V in Coena Domini*, sic ostenditur a *S. Thoma*, *a. 12, ad 3*: "Quia solemnem baptismus, ad quem requiritur usus chrysmatis, in vigilia Paschae celebratur, congrue ordinatum est ut per biduum ante ab episcopo chrisma benedicatur, ut possit per dioecesim destinari. Dies etiam illa satis congruit ad materias sacramentorum benedicendas, in quo fuit Eucharistiae sacramentum institutum, ad quod omnia alia sacramenta quodammodo ordinantur".

2. *INVOCATIO INITIALIS* "Spiritus sanctus superveniat in vos, et virtus Altissimi custodiat vos a peccatis. *R. Arnen*", cum vers, et respons.

3. *PRIMA IMPOSITIO SEU EXTENSIO MANUS* versus confirmandos, cum *Oratione* invocativa septiformis Spiritus. De hac sufficienter dictum est in art. 2 et 4. *Codex J.C.*, c. 789, jubet ut "confirmandi . . . adsint primae manuum impositioni seu extensioni".

Hic ritus, in quo sub forma explicitiori ac solemniori ipsa sacramentalis impositio manuum contenta in signatione veluti praefiguratur, est inter omnes caeremonias maxime symbolica proprii effectus huius sacramenti. "Non [enim] quaelibet acceptio Spiritus sancti requirit manus impositionem, quia etiam in baptismo accipit homo Spiritum

sanctum, nec tamen fit ibi manus impositio; sed acceptio Spiritus sancti cum plenitudine requirit manus impositionem, quod pertinet ad confirmationem” (7. 84, a. 4, ad 2j).

NOTA. In hoc sacramento non habentur, sicut in Baptismo, caeremoniae catechismi et exorcismi; his tamen quodammodo correspondent *EXTERNAE ET PRAEVIAE DISPOSITIONES* institutionis in fide et jejunii.

Imprimis Ecclesia *praescribit institutionem* confirmandi, juxta aetatis capacitatem, in praecipuis veritatibus fidei et vitae christianae, tum genericis tum ad hoc sacramentum relatis. Oportet scilicet ut confirmandus sit “si usu rationis polleat, sufficienter instructus” {*Codex J.C.*, can. 756), “christianae fidei rudimenta . . . edoctus” {*Pontificale Rom.j*, hujus sacramenti “virtute optime instructus” {*Catechismus Cone. Trid.*, p. 2, c. 3, q. 17).

Etiam *jejunium* confirmandi (necnon ministri) praescribatur in antiquis canonibus (cf. *Gratianum*, Decret., p. 3, De Consecr., dist. 5, c. 6, Ut jejuni; *S. Thomam*, a. 12, obj. 2). Haec tamen lex maturius in desuetudinem cecidit, ut constat etiam ex sequentibus verbis *S. Thomae*, *ibid.*, ad 2: “Propter multitudinem fidelium, et propter pericula imminencia, sustinetur ut hoc sacramentum, quod non nisi ab episcopis dari potest, etiam a non jejunis detur vel accipiatur, quia unus episcopus, praecipue in magna dioecesi, non sufficeret ad tot homines confirmandos, si eis tempus arctaretur. Ubi tamen congrue observari potest, *convenientius est* ut a jejunis detur et accipiatur.”

Pontificale Rom. ait: “Confirmandi deberent esse jejuni”. *S. Alphonsus* dicit probabiliter jejunium esse *de praecepto*, addit tamen Doctores communiter sentire id esse tantum *de consilio*; inter modernos plures, ut *Priimmcr*, notant id esse *conveniens vel laudabile*; *Cappello* autem scribit: “Quod confirmans et confirmandus sint ieiuni. non est nec de praecepto nec de consilio; ideo sententia *S. Alphonsi* . . . et aliorum, saltem attento iure quo nunc regimur, quovis caret fundamento.”⁸⁵

Conclusio 2. Convenienter Assignantur Caeremoniae Quae Essentiam Sacramenti Concomitant.

1. *CIRCUMSTANTIA TEMPORIS ET LOCI.* Per se et abstracte loquendo, convenientissimum tempus aut locus administrationis hujus sacramenti idem est ac pro administratione Baptismi, ut patet ex indole et intima relatione duorum sacramentorum (cf. a. 12, ad 1); praeterea, ad id aptissima sunt eucharisticum coenaculum Ecclesiae et

MDe sacram., v. 1, l. 3 De confirm., c. 2, a. 2, n. 210, Taurini, 1921, p. 151.

soleninis dies *Pentecostes* eo quod “hoc maxime die Apostoli Spiritus S. virtute roborati et confirmati sint, cuius divini facti recordatione fideles admonerentur, quae quantaque mysteria in sacra unctione cogitanda essent” (*Catechismus Conc. Trid.*, p. 2, c. 3, q. 24).

Ratio autem necessitatis et utilitatis diversimode influxit in praxim Ecclesiae. Initio non videtur ullum tempus fuisse statutum pro copulata collatione utriusque sacramenti; maturius autem ad id determinatae sunt binae solemnitates sabbati Paschatis et sabbati Pentecostes, quibus in nonnullis locis additi sunt dies Nativitatis Domini et Epiphaniae; postmodum vero, ob separatam collationem Baptismi et Confirmationis huiusque episcopo reservationem, temporis determinatio ex arbitrio episcopi facta est, servata tamen generaliter prioritatem diei vel hebdomadae Pentecostes.

Moderna lex et consuetudo quoad tempus et locum sic statuitur in *CODICE J.C.*:

“*Can. 790.* — Hoc sacramentum quovis tempore conferri potest; maxime autem decet illud administrari in hebdomada Pentecostes.

“*Can. 791.* — Licet proprius confirmationis administrandae locus ecclesia sit, ex causa tamen quam minister justam ac rationabilem iudicaverit, potest hoc sacramentum in quolibet alio decenti loco conferri.”

2. *IMPOSITIO NOMINIS.* Licet episcopo imponere confirmando novum nomen, a baptismati nomine distinctum (cf. *S.R.C., Jaurincn., 20 sept. 1749*) idque maxime fieri debet cum primum nomen aliquid profanum vel inane sonet, ut ita abjecto veteris hominis symbolo, miles Christi ad exemplar Christianae appellationis vitam suam reformet.

3. *ASSISTENTIA PATRINI,* candidatum ad Pontificem praesentantis.

Convenientia huius institutionis sic ostendit S. Thomas, a. 10: “Sicut dictum est, hoc sacramentum exhibetur homini *ad robur pugnae spiritualis*. Sicut autem aliquis de novo natus indiget instructore in his quae pertinent ad conservationem vitae, secundum illud Hebr. xii, 9: ‘Patres quidem carnis nostrae habuimus eruditores, et reverebamur eos’, ita illi qui assumuntur ad pugnam, indigent eruditoribus, a quibus instruuntur de his quae pertinent ad modum certaminis. Et ideo in bellis materialibus constituuntur duces et centuriones, per quos alii gubernentur. Et propter hoc etiam ille qui accipit hoc sacramentum, ab alio tenetur, quasi per alium in pugna spirituali erudiendus. Similiter etiam quia per hoc sacramentum confertur homini *perfectio spiritualis aetatis*, sicut dictum est, ideo ille qui ad hoc sacramentum accedit, sustentatur, quasi adhuc spiritualiter imbecillis et puer” (cf. *Catechismus Conc. Trid.*, p. 2, c. 3, q. 14).

Nec valet opponere quod baptizatus cum sit membrum Ecclesiae habeat ex se liberum accessum ad episcopum, principem Christianae societatis, nec ab alio praesentari indigeat. *Nam* “licet baptizatus sit effectus membrum Ecclesiae, nondum tamen est adscriptus militiae Christianae; et ideo episcopo, tanquam duci exercitus, per alium exhibetur jam militiae Christianae adscriptum; non enim debet alium ad confirmationem tenere qui nondum est confirmatus” (ibid., ad 2).

Efectus muneris patrini est *COGNATIO SPIRITUALIS*. *Codex J.C., can. 797*, statuit: “Etiam ex valida confirmatione oritur inter confirmatum et patrinum cognatio spiritualis, ex qua patrinus obligatione tenetur confirmatum perpetuo sibi commendatum habendi eiusque Christianam educationem curandi.” Haec tamen cognatio, secus ac ea quae oritur ex Baptismo, non constituit impedimentum dirimens Matrimonii, juxta immutationem antiqui juris (cf. *Catechismus Conc. Trid.*, 1. c.) in *Codice J.C.* (can. 1079; can. 768) consignatam.

Codex J.C., can. 793-796, exponit *varias condiciones* requisitas ut quis valide et licite in munus patrini eligi possit. Notetur differentia inter verba Pontificalis Rom. et verba Codicis quoad modum agendi patrini in Confirmatione et quoad eius sexum.

Pontificale Rom.: “Infantes per patrinos ante Pontificem confirmare volentem teneantur in brachiis dextris. Adulti vero, seu alii majores ponant pedem suum super pedem dextrum patrini sui. Et ideo, neque masculi feminis patrini, neque feminae masculis matrinae esse deberent” (cf. *Ordinem Romanum*, M.L. 78, 1016).

Codex J.C., can. 795, 5: “Ut quis sit patrinus, oportet confirmandum in ipso confirmationis actu per se vel per procuratorem physice tangat”; *can. 796, 2*: “Ut quis licite ad patrini munus admittatur, oportet sit eiusdem sexus ac confirmandus, nisi aliud ministro in casibus particularibus ex rationabili causa videatur” (cf. *S. Thomam*, a. 10, ad 3).

4. *CHRISMATIVA SIGNATIO “SUMMITATE POLLICIS DEXTRAE MANUS”* {*Pontificale Rom.*}. Usus dexterae manus ac pollicis conveniens ostenditur ex humanis consuetudinibus; utrumque a Pontificali non ad validitatem sed ad liceitatem, probabiliter sub levi, praescribitur.

5. *LITURGICA FORMA VERBORUM SUB TRIPLICI SIGNO CRUCIS*, ducto dum proferuntur nomina Patris et Filii et Spiritus S. De convenientia huius formulae latinae etiam quoad ea quae validitatem non respiciunt dictum est in art. 4. Praedictum autem triplex crucis signum, secus ac signum crucis quod fit praecedenter dum dici-

tur “Signo te signo crucis”, non debet fieri per pollicem super frontem sed “manu extensa versus confirmatum . . . more solito” (*S.R.C.*, 7 *mai* 1853).

Conclusio 3. Convenienter Assignantur Caeremoniae Quae Essentiam Sacramenti Subsequuntur.

1. *LEVIS ALAPA IN MAXILLA*. Huius ritus, in usu saltem inde a saec. 12, origo ignoratur; probabiliter suffectus est *osculo pacis* quod observabatur antiquitus (cf. Hippolytum, Trad. Apost., Can. Hippolyti, Const. Eccl. Aegypt. (“in os osculat”), Testamentum D.N.I.C., cit. in art. 2).

Unde colligi potest eandem vim *signi pacis et charitatis* habere, ut suadetur etiam ex sequentibus verbis Pontificis: “Pax tecum” et responsione confirmati: “Et cum spiritu tuo” quae in antiqua praxi comitabatur osculum pacis. Quidam tamen alias etiam ingeniosas significationes ei affigunt, dicentes per alapam Christianum moneri ut recordetur se militiae Christi *semel pro semper adscriptum juisse*, per characterem nempe indelebilem et sacramentum initerabile (ita v.g. *Cone. Senonense* a. 1524) vel “ut meminerit, se tanquam fortem athletam paratum esse oportere *ad omnia adversa* invicto animo pro Christi nomine ferenda” (ita *Catechismus Cone. Trid.*, p. 2, c. 3, q. 25; cf. Mare. 14, 65; Joan. 18, 22; 19, 3; Act. 5, 41).

2. *DATIO PACIS*: “Pax tecum”. Haec est antiquissima caeremonia, ut apparet ex Ordine Romano, Pseudo-Alcuino, Amalario (cit. in art. 4) qui notant: “Haec verba sunt *salutationis*, ad novum hominem”. Ait autem *Catechismus Cone. Trid.*, 1. c.: “Postremo . . . pax ei datur, ut intelligat, se gratiae coelestis plenitudinem et *pacem* quae exsuperat omnem sensum [Phil. 4, 7], consecutum esse.” Quae pax est unus ex peculiaribus fructibus Spiritus S.

3. *LIGATIO FRONTIS* victa seu fascia linea. Practica ratio huius usus est ne chrisma ex fronte defluat; ejus vero ratio symbolica est ne spiritualis unctio gratiae ex anima amittatur, seu diligens conservatio accepti doni Spiritus S.

Olim usque ad saec. 12 nonnisi post septem dies fascia deponeretur ac frons abstergebatur, ut tandiu novus miles signaculum chrismatis exterius deferret quandiu Ecclesia adventum septiformis Spiritus in Pentecoste celebrabat (cf. *Hugonem a S. Victore*, t 1141, De sacram., l. 2, p. 7, c. 6). Postmodum magis ac magis hoc tempus abbreviatum est, donec consuetudo invaluerit chrisma desiccatum statim abstergendi. *Pontificale Rom.* jubet: “Confirmato debet ligari frons, et sic manere quousque Chrisma desiccetur, vel abstergatur”. Tandem fere

ubique ipse usus fasciae *in desuetudinem cecidit*. In ipso *Rituale Rom.*, Appendice, *De Confirm.*, (ex Instruet. S.C.P.F., 4 maii 1774), dicitur: “Ligantur mox vittis lineis recenter confirmatorum frontes. Quod sicubi hujusmodi vittae non adhibeantur, Sacerdos, postquam frontes confirmandorum linierit sacro Chrismate, eas gossypio, postea comburendo, diligenter abstergat.”

4. *PRECES ET BENEDICTIO FINALIS*. Post cantum *Antiphonae* “Confirma hoc Deus . . .” per ministros, Pontifex legit *Oremus*: “Deus, qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum . . . et dat *Benedictionem*: “Benedicat vos Dominus ex Sion . . .”

Ex his quae in hoc tractatu disputavimus apparet Confirmationem, quaquaversus consideretur, sive ut sacramentum, sive ut res et sacramentum, sive ut res, esse *SACRAMENTUM PLENITUDINIS GRATIAE ET VELUTI SIGNACULUM MILITIAE CHRISTIANAE*.

Per Confirmationem enim eiusque effectus homo pleniori modo Christo et Ecclesiae coniungitur ac veluti antonomastice Christianus evadit, assumpto nomine ab ea spirituali unctione unde ipse Christus nomen accepit.

Per *gratiam* quippe confirmatoriam fit nobilius membrum Christi *Capitis*, oleo perfusi illius plenitudinis gratiae quae in *corpus mysticum* diffluit; per novum *characterem* fit particeps potestatis Christi *Regis* Sacerdotalis et *militantis Ecclesiae*; per ipsum sacramentum *externae signationis* demonstratur publicus miles Christi *Ducis* et membrum illius *signatorum exercitus* qui in *visione Apocalyptica* cum signatis a Bestia bella committunt.

Visio Joannis: “Et datum est illi, ut daret spiritum imagini bestiae, et ut loquatur imago bestiae, et faciat, ut quicumque non adoraverint imaginem bestiae, occidantur. Et faciet omnes, pusillos et magnos, et divites et pauperes, et liberos et servos, habere characterem in dextera manu sua aut in frontibus suis, et ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem aut nomen bestiae aut numerum nominis ejus.”⁸⁰ “Et vidi bestiam et reges terrae et exercitus eorum congregatos ad faciendum proelium cum illo, qui sedebat in equo, et cum exercitu ejus.”⁸⁷

“Et vidi coelum apertum, et ecce equus albus, et qui sedebat super

MApoc. 13, 15-17.

⁸⁷ Ibid., 19, 19.

eum, vocabatur Fidelis et Verax, et cum justitia judicat et pugnat. Oculi autem ejus sicut flamma ignis, et in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse. Et vestitus erat veste aspersa sanguine, et vocatur nomen ejus Verbum Dei. Et exercitus, qui sunt in coelo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo et mundo. Et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipso percutiat gentes. Et ipse reget eas in virga ferrea, et ipse calcet torcular vini furoris irae Dei omnipotentis. Et habet in vestimento et in femore suo scriptum: Rex regum et Dominus dominantium.”⁸⁸

Monitum Chrysostomi: “Unde tu, Christiane, delicatus es miles, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare. Exere vires, fortiter dimica, atrociter in praelio isto concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce: *pactum quod spondesti; conditionem qua accessisti, militiam cui nomen dedisti*”TM

⁸⁸ Ibid., 19. 11-16; cf. 14, 9. 11; 16, 2; 20, 4.

TM Serin, de Mm., in Breviario Rom., De VII die infra Octavam Omnium Sanctorum, lect. 6.

INDEX BIBLICUS

(Numeris paginarum ordinariis indicatur simplex mentio, italicis vero explicita
citatio, crassioribus tandem aliquid notabilius)

GENESIS		8, 10 sqq.	301
1,2	11	19	11
1, 20	11	19, 7. 8. 21	245
2,7	11	19, 8. 12. 13	54
8, 8	355	19, 9	54
15	112	19, 12	58
17, 7. 10-14	250	21, 9	11
17, 12	109	27, 18 sqq.	301
17, 14	111. 250	DEUTERONOMIUM	
17, 23-27	250	4, 29	<i>193</i>
21, 4	250	10, 16	251
26, 5	251	30, 6	251
28, 18. 21	302	34, 9	258. 301
48, 14	258. 301	JOSUE	
EXODUS		5, 4-7	250
4, 24-27	250	JUDICES	
4, 26	248	9, 9	298
12, 48	251	14, 3	250
15, 23 sqq.	11	15, 18	250
17, 1 sqq.	11	RUTH	
19, 5-6	250	3, 3	298
25, 6	302	I REGUM	
29, 7-8	303	14, 6	250
29, 10. 15. 19	301	15	270
30,17-21	225	16, 7	<i>194</i>
30, 18	11	16, 13	298
30, 22-38	303	17, 26. 36	249
30, 30	258	18, 25-27	249
LEVITICUS		31, 4	249
1,4	301	II REGUM	
3, 2. 8. 13	301	1, 20	249
4, 4. 24. 29. 33	301	12, 20	298
6, 27-28	245	III REGUM	
8, 10-13	303	19, 16	298
8, 12	298	IV REGUM	
8, 14. 18	301	2, 21	8
11, 25-28	245	5, 14	3. 1
12, 3	250	6, 5	11
14	11	II PARALIPOMENON	
16, 21	301	28, 15	298
16, 41	251	29, 23	301
18	270		
24, 14	301		
NUMERI			
8, 5. 7	54		

TOBIAS		6, 10	251
8, 8	11	9, 25-26	249
12, 9	204	9, 26	251
JUDITH		EZECHIEL	
12, 7	3	9,4	286
PSALMI		16, 5. 8. 9. 10	8
22	313	18, 21-22	194
22, 5	298	33, 12	194
23, 1-3	8	36, 25	8. 56. 57.
31, 5	193. 194	36, 25-26	54
44, 8	298. 313. 317	36, 25-27	8. 9
50, 7	8	44, 7. 9	8. 251
50, 19	193. 194	47, 1 sqq.	8
50, 21	9	47, 1-12	8
88, 21	298	47, 8	9
103, 15	298	DANIEL	
104, 15	298	10, 3	298
109, 3	351	13, 17	258
115, 15	214	13, 34	301
132, 2	298. 303	JOEL	
PROVERBIA		2, 28	267
8, 17	194	2, 28-29	259. 341
10, 12	194	AMOS	
14, 27	20-1	6, 6	298
22, 6	144	MICHAEAS	
27, 9	298	7, 19	8
31, 10. 17. 25	373	ZACHARIAS	
ECCLESIASTES		13, 1	8. 9
9, 8	298	14, 8	8
SAPIENTIA		MATTHAEUS	
4, 7	197	1, 16	152
7, 22	314	1, 1-16	152
ECCLESIASTICUS		1, 20	152
1, 27	204	2, 1-4	152
24	311	3, 1	3
24, 20	304	3, 11	4. 7. 25. 26. 27.32.38.
24, 21	314		239. 242. 246
34, 30	58	3, 11-12	5
45, 18	298. 303	3, 13	242
51, 1-5	374	3, 13 sqq.	5
ISAIAS		3, 16	S3
1,6	245	3, 16-17	25. 28
1, 25	8	3, 17	288
U, 2	272. 289	5, 10-12	212
12, 3	8	5, 14-16	187
44, 3	8. 259. 267. 341	6, 12	84
52, 1. 2. 3. 15	8	7, 6	115
53, 7	217	9, 17	303
55, 1	8	9, 18	301
61, 1	298	10	36
JEREMIAS		10, 16-22	212
1, s	147	10, 32	212. 214. 215

10, 39
 11, 11-12
 16, 20
 16, 25
 18, 20
 19, 12
 19, 13-15
 19, 14
 19, 14-15
 19, 15
 19, 17
 20 22-23
 21, 25
 21, 25. 26. 32
 25
 25, 1 sqq.
 26
 26, 6-13
 26, 12
 26, 24
 28
 28, 18-19
 28, 19

MARCUS

1, 4
 1, 7
 1, 7-8
 1, 8
 1, 9 sqq.
 1, 9-10
 1, 10-11
 1, 17
 2, 22
 5, 23
 6, 5
 6, 13
 6, 25
 7, 4
 7, 4-5
 7, 4. 8
 7, 32
 7, 32-34
 7, 33
 7, 33-35
 8, 22-25
 8, 23
 8, 23. 25
 8, 28
 8, 35
 10, 13-16
 10, 14
 10, 14-15
 10, 16

212. 214. 215
 3
 29
 212, 214. 215
 401
 152
 258. 276
 143
 140
 301
 118
 212
 33. 242
 243
 311
 187
 317
 298
 303
 152
 185
 5. 6. 8. 135. 172. 174
 22. 23. 24. 27. 29. 31.
 34. 36. 55. 62. 64. 65.
 71. 111. 112. 117. 123.
 129. 247

247
 246
 5
 7. 26. 27. 32. 242
 5
 53
 25. 28
 12
 303
 301
 301
 298
 3
 3. 58
 3
 3
 301
 300
 298
 11
 300
 298
 301
 3
 212. 215
 258. 276
 143
 140
 301

10, 38
 10, 38-39
 11, 30
 14, 3-9
 14, 65
 16, 15-16
 16, 16
 16, 17
 16, 18

LUCAS

1, 35
 1, 57
 1, 59
 2, 3-6
 2, 21
 3, 2-3
 3, 3
 3,4
 3, 12.16
 3, 16
 3, 16-17
 3, 21-22
 3, 22
 4, 18
 4, 40
 6
 7,33
 7, 36-50
 7, 46
 7, 47
 7, 48
 9, 19
 9, 24
 9, 26
 10,27-28
 10, 34
 12, 50
 13, 13
 16, 24
 17, 14
 18, 16
 20, 4
 22
 23, 43
 24, 48-49
 24, 49

JOANNES

1, 13
 1, 14. 16
 1, 17
 1, 23.31
 1, 25
 1, 26. 33
 1, 29 sqq.
 1, 32-33

4. 24. 231
 212
 33. 242
 298
 406
 5. 123
 5. 6. 8. 22. 24. 111.
 117 sq. 135
 72
 301

152
 152
 250
 241
 250
 243. 247
 246
 242
 26
 7. 26. 27. 242. 246
 5
 5. 28
 25
 298
 301. 391
 115
 3
 298
 304
 194
 137
 3
 212. 215
 289
 194
 298
 3. 24. 212. 213. 232
 301. 391
 3
 193
 140. 143
 33. 242
 317
 197
 341
 258. 276. 342

82
 95
 244
 241
 243
 26
 244
 25

16, 15. 33	141	1, 23	284
16, 32-34	S3	2, 14-15	26
18, 8	8	3, 5	202
18, 24	6	3,9	393
18, 25	246	3, 16	269
19, 1-6	259. 268. 298. 321. 341. 387. 391	5	101
19, 1-7	246	5,7	104
19, 2-3	7. 25. 27. 65. 67	6, 11	2. 6. 7. 8. 25. 57. <57
19, 2-5	32. 242. 243	7, 14	106. 133
19, 2 sqq.	26	7, 18	248
19, 3	71	10	45. 251
19, 3-5	242	10, 1-11	40. 11
19, 4	241	10, 2	4
19, 4-5	246	10, 2. 6. 11	26
19, 5	6. 67. 68. 242	10, 4	11
19, 6	256. 269. 285	10, 11	251
21, 27	36	10, 17	174
22, 12	391	11, 28	99. 193
22, 13	391	12, 4	314
22, 16	2. 6. 8. 22. 53. 72	12, 4. 7 sqq.	269
28, 8	301. 391	12, 13	7. 8. 82. 117
		12, 23	253
		13	228
AD ROMANOS		13, 1-2	226
2, 28-29	251	13, 3	212. 225. 226 sq. 229
4, H	250. 251	13, 11	347
5, 1	204	14, 34	162
5, 3-5	212	14, 34-35	165
5, 5	269	14, 35	171
5, 8	146. 203	15, 54-55	93
5, 12	110		
5, 16	86	II AD CORINTHIOS	
5, 16-20	82	1, 21	256. 258. 342
5, 18	113	1, 21-22	285. 286. 289. 298. 321. 323.
5, 20	92	2	313
6	29	2, 40	102
6, 3	0.67. 72.82.185. 214	3, 3	393
6, 3-4	101	4, 13	251
6, 3-5	51	4, 17	212
6, 3-6	7. 22. 82. 117	12, 10	212
6, 4	2. 6. 26. 53. 59. 80. 102. 186. 338	14	162
6, 12 sqq.	81		
7, 18 sqq.	26	AD GALATAS	
8, 1	81. 82	2, 11 sqq.	24
8, 9	26	2, 20	95
8, 17	81	3, 27	6. 7. 67. 72. 81. 82. 117
8, 17-18	212	4, 5. 6	26
8, 26	26	5, 16-17	26
9, 11	152	5, 16. 17. 22	269
10, 14	182		
		AD EPHESIOS	
I AD CORINTHIOS		1, 13	258. 286. 342
1, 13	6	2, 20-22	129
1, 14-17	172	4	102
1, 14 sqq.	24	4, 5	3. 8. 68. 99. 102. 103 111. 117. 239
1, 16	141		
1, II	175		

4, 22 sqq.	81	10, 4	101
4, 23-24	102	10, 22	6. 40. 57
30	258. 286. 342	10, 26	100
25	83	10, 26-27	100
5, 25-27	82	11, 6	101
5, 26	2. 5. 6. 8. 22. 26. 40.	12, 9	404
	48. 53. 57. 64. 65. 68.	12, 16-17	100
	117. 247	13	313
AD PHILIPPENSES		JACOBUS	
4, 7	406	5, 14	328
AD COLOSSENSES		5, 14. 15	298
2	332	5, 20	137
2,4	2	I PETRI	
2, 11-13	7. 8. 82. 117	2	313
3	73	2, 2	186. 351
3, 9-10	81	2, 9	317. 351
3, 14	194	2, 21	212
I AD THESSALONICENSES		3, 1-2	133
4,8	269	3, 19-21	40. 11
I AD TIMOTHEUM		3, 20 sqq.	26
1,5	191	3, 21	3. 8. 22. 26
2, 3	253	4, 5	194. 196
2, 11 sqq.	165	I JOANNIS	
2, 12	162	2, 14	351
14	301	2, 20. 27	258. 285. 298
22	115. 301	2, 29	82
II AD TIMOTHEUM		3, 8. 10	82
1,6	301	3, 14	194
	338	3, 16	212
2, 5	81	1. 3. 4. 6. 7	82
AD TITUM		7. 8. 16	194
	1. 5. 6. 7. 22. 25. 26.	5, 1. 2. 4. 18. 19	82
	40. 48. 53. 57. 82. 101.	5, 8	44
	117. 247. 338	APOCALYPSIS	
	26	2, 10	212
ND HEBRAEOS		2, 23	196
1,9	298	4, 6	12
6, 1	101	6, 9-11	212
6, 1-6	267	7, 13-15	212
6, 2	3. 234. 256	7, 14	228. 351
6,4	2. 93	12, 15-16	303
	100-102	13, 15-17	407
6, 4. 6	354	14, 9. 11	408
6, 6	102	16, 2	408
6,	100	19, 11-16	408
6, 9. 10	101	19, 13	3
6, 18	101	19, 19	407
9, 10	3. 26	20, 4	408
		20, 6	351
		21, 14	129

INDEX EXEGETICUS

(Textus citantur juxta ordinem quo referuntur in hoc tractatu)

DE BAPTISMO.

VARIA NOMINA BAPTISMI (p. 2-4).

Ephes. 5, 26; Tit. 3, 5; Act. 22, 16; Rom. 6, 4; 1 Cor. 6, 11; Col. 2, 4; Hebr. 6, 4.

SENSUS ET USUS VOCIS BAPTISMI

(p. 3-4).

In N.T. *vox* occurrit: Luc. 16, 24; Joan. 13, 26; Apoc. 19, 13; Marc. 7, 4. 8; Hebr. 6, 2; 9, 10; Ephes. 4, 5; 1 Petr. 3, 21; Matth. 3, 1; 11, 11 sq.; Marc. 6, 25; 8, 28; Luc. 7, 33; 9, 19.

Sensus proprius ablutionis: 4 Reg. 5, 14; Judith, 12, 7; Marc. 7, 4 sq.; Hebr. 9, 10; Joan. 1, 33.

Sensus metaphoficus: Luc. 12, 50; Act. 1, 5; Marc. 10, 38; 1 Cor. 10, 2.

PRAECIPUI ET FUNDAMENTALES TEXTUS (p. 5. 22 sq.).

Matth. 28, 19; Mare. 16, 16; Joan. 3, 5.

PRAECIPUA FACTA (p. 5-6).

Praedictio Joannis Baptistae: Matth. 3, 11 sq.; Marc. 1, 7 sq.; Luc. 3, 16 sq.; Joan. 1, 29 sqq.

Christus baptizatur: Matth. 3, 13 sqq.; Marc. 1, 9 sqq.; Luc. 3, 21 sq.; Joan. 3, 1-21.

Colloquium cum Nicodemo: Joan. 3, 1-21.

Apostoli baptizant ante passionem: Joan. 3, 22-26; 4, 1 sq.

Mandatum baptizandi: Matth. 28, 19; Mare. 16, 15 sq.

Ministerium Apostolorum: Act. 2, 37 sqq.; 8, 12 sqq.; 8, 32 sqq.; 9, 10 sqq.; 10, 44 sqq.; 16, 12 sqq.; 18, 24.

PROPHETIAE ET FIGURAE BAPTISMI (p. 8-12).

Prophetiae: 4 Reg. 2, 21; Psalm 23, 1-3; Psal. 50, 7; Isai. 1, 25; 12, 3; 44, 3; 52, 1. 2. 3. 15; 55, 1; Ezech. 16, 5. 8. 9. 10; 36, 25-27; 47, 1-12; Mich. 7, 19; Zach. 13, 1; 14, 8 (ci. Joan. 4, 13; 7, 37-39; 3, 10).

Figurae: 1 Petr. 3, 19-21; 1 Cor. 10, 1-11; 4 Reg. 5, 14; Exod. 17, 1 sqq.; Gen. 2, 7; Tob. 8, 8; Gen. 1, 2; Joan. 9, 6 sq.; Mare. 7, 33-35; Joan. 5, 2, 19, 34; Gen. 1, 20; Exod. 15, 23 sqq.; Num. 21, 9; Lev. 14; Num. 19; Exod. 30, 18; 4 Reg. 6, 5; Joan. 2, 9; 4, 10; Marc. 1, 17; Apoc. 4, 6.

INSTITUTIO (p. 22-27).

Matth. 28, 19; Marc. 16, 16; Joan. 3, 5. *Apostolica interpretatio* horum textuum: Act. 2, 38; 22, 16; Rom. 6, 3-6; Ephes. 5, 26; Tit. 3, 5; 1 Petr. 3, 21. *Frustra obicitur* contra vim illorum textuum.

TEMPUS (p. 27 sqq.) *institutionis*: Matth. 3, 16 sq.; Marc. 1, 10 sq.; Luc. 3, 21 sq.; *commendationis*: Joan. 3, 5; *primae administrationis*: Joan. 3, 22-26; 4, 1 sq.; *promulgationis*: Matth. 28, 19; Mare. 16, 16; *obligationis*: ibid.

MATERIA (p. 40. 48. 53. 57 sq.).

Remota: 1 Cor. 10, 1-11; 1 Petr. 3, 19-21; Matth. 3, 16 sq.; Marc. 1, 10 sq.; Luc. 3, 21 sq.; Joan. 3, 5; Act. 8, 36 sq.; 10, 47; Ephes. 5, 26; Hebr. 10, 22; Tit. 3, 5.

Proxima: Tit. 3, 5; Ephes. 5, 26; Marc. 1, 9 sq.; Act. 8, 38; Rom. 6, 4; Act. 5, 38; 2, 41; 9, 15; 22, 16; 16, 32-34; Hebr. 10, 22; 1 Cor. 6, 11; Ezech. 36, 25.

FORMA (p. 64 sq. 67).

Ephes. 5, 26; Matth. 28, 19; 3, 16 sq.; Act. 19, 2 sq. Ad formam non pertinent verba "*In nomine Christi*" de quibus Act. 2, 38; 8, 12. 16; 10, 48; 19, 5; Rom. 6, 3; Gal. 3, 27; 1 Cor. 6, 11.

EFFECTUS (p. 82).

Regeneratio et incorporatio ad Christum: Joan. 3, 5; Tit. 3, 5; Rom. 6, 3-4; Col. 2, 11-13; 1 Cor. 12, 13; Gal. 3, 27; 1 Joan. 2, 29; 3, 8. 10; 4, 1. 3. 4. 6. 7; 5, 1. 2. 4. 18. 19.

Totalis remissio peccati: Rom. 5, 16. 20; 6, 3; 8, 1; Ephes. 5, 26-27.

PROPRIETATES.

Initerabilitas (p. 98-100): Joan. 13, 10; Ephes. 4, 5; Hebr. 6, 4. 6.

Necessitas medii (p. 111. 117 sq. 128. 133) continetur *explicite*: Joan. 3, 5; Marc. 16, 16; Matth. 28, 19; *implicite*: Tit. 3, 5; Ephes. 5, 26; Gal. 3, 27; Rom. 6, 3-6; Col. 2, 11-13; Ephes. 4, 5. *Necessitas praecepti*: Matth. 28, 19; Marc. 16, 16. *Necessitas quoad Apostolos*: Act. 9, 18; Joan. 13, 10; *quoad parvulos*: Joan. 3, 5; 1 Cor. 7, 14.

SUBJECTUM (p. 128. 140 sq. 148. 149. 150. 151 sq.).

Injantes: textus modo citati de universali necessitate; praeterea Matth. 19, 14 sq.; Mare. 10, 14 sq.; Luc. 18, 16. Difficultas ex Joan. 3, 5, quoad parvulos *in utero*.

Apostoli: Act. 9, 18; Joan. 13, 10.

MINISTER (p. 165. 172. 175).

Quilibet homo: Act. 9, 10 sqq.; 1 Cor. 14, 34 sq.; 1 Tim. 2, 11 sqq. *Sacerdos*: Joan. 3, 22-26; 4, 1 sq.; Matth. 28, 18 sq.; 1 Cor. 1, 14-17; Act. 16, 14. 33; Act. 2, 41; 10, 48. *Diaconi*: Act. 8, 12. 13. 38; 6, 2.

CAEREMONIAE (p. 185. 186. 187).

Circumstantia temporis Paschatis et Pentecostes: Rom. 6, 3; Joan. 3, 5. *Vestis*: Rom. 6, 4. *Lac et mei*: 1 Petr. 2, 2. *Cereus*: Matth. 25, 1 sqq.; 5, 14-16.

BAPTISMUS FLAMINIS (p. 193 sq.).

Actus caritatis remittit peccatum: Deut. 4, 29; 1 Reg. 16, 7; Prov. 8, 17; 10, 12; Psal. 31, 5; Psal. 50, 19; Ezech. 18, 21 sq.; 33, 12; Luc. 7, 47; 10, 27 sq.; Joan. 14, 21-23; Act. 10, 47; Col. 3, 14; 1 Petr. 4, 8; 1 Joan. 3, 14; 4, 7. 8. 16.

BAPTISMUS SANGUINIS (p. 212. 214. 215. 224. 225. 226 sq.).

Excellentia passionis pro Christo: Matth. 5, 10-12; 10, 16-22; 20, 22 sq.; Marc. 10, 38 sq.; Luc. 12, 50; Joan. 15, 15; Rom. 5, 3-5; 8, 17 sq.; 1 Cor. 13, 3; 2 Cor. 4, 17; 12, 10; 1 Petr. 2, 21; 1 Joan. 3, 16; Apoc. 2, 10; 6, 9-11; 7, 13-15.

Ejus justificativa efficacia, in genere: Matth. 10, 32; Luc. 9, 24; Matth. 10, 39; 16, 25; Marc. 8, 35; Joan. 12, 25; 15, 13, nec obstant 1 Cor. 13, 3 et Joan. 15, 13; *quoad parvulos*: parvuli bethlemitici, nec valet obicere Matth. 10, 32, Marc. 8, 35, Joan. 12, 25 supponere adultam aetatem; *in AT.*; non contradicit verbis Joan. 3, 5 de necessitate Baptismi.

BAPTISMUS JOANNIS (p. 241-247).

Distinctio a Baptismo Christi, ratione personae: Joan. 1, 23. 31, Luc. 2, 3-6; Act. 19,

4; Joan. 3, 29 sq.; Matth. 21, 25; Marc. 11, 30; Luc. 20, 4 (coll. cum Act. 2, 38; 8, 12. 16; 10, 48; 19, 5); *ratione indolis*: Marc. 1, 8; Joan. 1, 33; Act. 1, 5; 19, 2-5.

Distinctio ab ablutionibus AT. de quibus Exod. 30, 17-21; Lev. 6, 27 sq.; 11, 25-28; Num. 19, 7. 8. 21; Is. 1, 6.

Divina institutio: Luc. 3, 2; Joan. 1, 33. 25; Matth. 21, 25. 26. 32.

Non est sacramentum: textus modo relati de diversa indole; frustra autem asseritur parallelismus inter Act. 2, 38 et Luc. 3, 3.

CIRCUMCISIO (p. 249-251).

Divina institutio: Gen. 17, 23-27.

Usus, in AT.: ibid.; Gen. 21, 4; Exod. 4, 24-27; Jos. 5, 4-7; Lev. 12, 3; *tempore Christi et Apostolorum*: Luc. 1, 59; 2, 21; Act. 16, 3.

Indoles: divinum praeceptum: Gen. 17, 7, 10-14; Lev. 12, 3; signum promissionis: Gen., ibid.; signum fidei: Rom. 4, 11; medium aggregationis: Gen. 17, 14; Exod. 19, 5 sq.; signum distinctionis: Jud. 14, 3; 15, 18; 1 Reg. 14, 6; sacra coremonia: Gen. 26, 5; conditio manducandae Paschae: Exod. 12, 48; symbolum puritatis conscientiae: Lev. 16, 41; Deut. 10, 16; 30, 6; Jerem. 6, 10; 9, 26; Ezech. 44, 7. 9; Act. 7, 51; Rom. 2, 28 sq.; *figura Baptismi*: 1 Cor. 10, 11; Rom. 4, 11; *sacramentum AT.*: confer tractatum De sacr. in gen., art. 14 et Indicem Exegeticum ejusdem tractatus.

Ritus: Circumcisio facienda erat in membro generationis masculi, octavo die: Gen. 17, 7. 10-14.

DE CONFIRMATIONE.

NOMINA (p. 256).

Manuum impositio: Act. 8, 17; 19, 6; Hebr. 6, 2.

Confirmatio: 2 Cor. 1, 21.

FIGURAE ET ALLUSIONES (p. 258 sq. 267).

Figurae: Deut. 34, 9; Exod. 30, 30; Gen. 48, 14; Dan. 13, 17; Matth. 19, 13-15; Mare. 10, 13-16.

Allusiones: Joan. 14, 26; Luc. 24, 49; Act. 2, 17; Joan. 3, 5; 1 Joan. 2, 20. 27; 2 Cor. 1, 21; Ephes. 1, 13; 4, 30; textus supra citati de prophetiis Baptismi a 4 Reg. 2, 21 ad Zach. 14, 8 (collati cum Joan. 7, 38 sq.), *praecipue* Isai. 44, 3; Joel, 2, 28 sq.; Joan. 7, 38 sq.; Act. 2, 16-18; 5, 32.

PRAECIPUI TEXTUS (p. 259. 268).
Act. 8, 4-17; 19, 1-6.

INDOLES SACRAMENTALIS (p. 269).
Probatur ex duobus praccitatis textibus
et ex variis locis in quibus agitur de colla-
tione Spiritus S.: Act. 8, 13-15; Rom. 5, 5;
1 Cor. 3, 16; Gal. 5, 16. 17. 22; 1 Thess. 4,
8; Joan. 7, 38 sq.; Act. 2, 38.

MATERIA (p. 285 sq. 298. 300. 301.
302. 303. 304).

Manuum impositio: Act. 8, 17; 19, 6.

Unctionis allusio: 2 Cor. 1, 21 sq.; 1
Joan. 2, 20. 27; Ephes. 1, 13; 4, 30.

*Usus unctionis et manuum impositionis
in A. et N.T.*: quoad *unctionem* praecipue:
Gen. 28, 18. 21; Exod. 25, 6; 29, 7 sq.; 30,
22-38; Lev. 8, 10-13; Psal. 132, 2; Eccli.
45, 18; quoad *manuum impositionem*: Gen.
48, 14; Num. 8, 10 sqq.; 27, 18 sqq.;
Matth. 19, 15; 9, 18; Mare. 16, 18; Act. 9,
12. 17; 13, 3; 1 Tim. 4, 14; 5, 22; 2 Tim.
1, 6. De *balsamo*: Matth. 9, 17; 26, 12;
Marc. 2, 22; Apoc. 12, 15 sq.; Eccli. 24, 20.

FORMA (p. 321).

Quoad *manuum impositionem*: Act. 8,
14-17.

Quoad *unctionem*, allusio: 2 Cor. 1, 21
sq.

EFFECTUS (p. 341 sq.).

*Gratia sacramentalis, collativa Spiritus
S.*: Act. 8, 14-17; 19, 1-6; Isai. 44, 3 et
Joel, 2, 28 sq. coll. cum Joan. 7, 38 sq. et
Act. 2, 16-18; *roborativa*: Act. 1, 8 (cf.
Luc. 24, 48 sq.); 5, 32 (cf. 2, 47; 4, 33;
5, 41).

Characteris allusio: 2 Cor. 1, 21; Ephes.
1, 13; 4, 30.

INITERABILITAS (p. 100. 354).

Hebr. 6, 4. 6.

MINISTER (p. 387. 391).

Episcopi seu soli Apostoli confirmasse
leguntur: Act. 8, 4-17; 19, 1-6.

Diaconi vero baptizabant et praedica-
bant: Act. 6, 8 sqq.; 8, 5. 12. 38.

Casus Ananiae: Act. 9, 17.

INDEX THOMISTICUS

(Numeris paginarum ordinariis indicatur simplex mentio, italicis vero explicita
citatio, crassioribus tandem aliquid notabilius)
(*Vide: INDEX ANALYTICUS: Thomas Aquinas*)

10. 11.14. 17. 19. 27. 28.30. 32. 33. 34.			208
35. 36. 38. 40.44. 45. 46.47. 48. 49. 56.	a. 5		
58. 60.62. 64.66. 67. 69.71. 72. 73. 74.		ad 3	208. 209
75. 76.77. 78.84. 85. 86.87. 88. 89. 90.	<i>Tertia Pars</i> (3 p.)		
91. 92. 93. 95. 99. 100. 101. 103. 104. 119.	q. 38		238
<i>121.</i> 123. 124.126. 128. 129.130. 131. 132.	a. 1		<i>245</i>
135. 136. 138.142. 143. 144.146. 146. 147.		ad 1	<i>238.244.245</i>
148. 149. 151.152. 153. 154.157. 158. 159.		ad 3	245
160. 170. 171.174. 175. 177.178. 179. 180.	a. 2		<i>244</i>
181. 182. 183.184. 185. 186.188. 193. 199.		ad 1	<i>246</i>
201. 202. 204.205. 207. 208.209. 210. 217.		ad 3	244. 246
219. 220. 221 sq. 222. 225. 226. 227. 228.	a. 3		<i>241.244</i>
229. 230. 231.234. 235. 236.237. 238. 240.		ad 1	246
241. 243. 244.245. 246. 247.248. 251. 252.		ad 2	246
253.254. 255. 257. 260.264.275.276. 277.280.		ad 3	<i>244</i>
281. 294. 295.296. 299. 301.302. 308. 309.	a. 4,	ad 3	246
310. 311. 313.314. 315. 316.317. 319. 324.	a. 5,	ad 1	246
329. 331. 334.337. 339. 342.344. 345. 347.		ad 2	246
348. 349. 350.351. 352. 353.363. 364. 365.		ad 3	246
367. 368. 370.371. 372. 373.375. 376. 377.	a. 6		<i>240</i>
379. 380. 391.393. 394. 395.396. 397. 400.		ad 2	129
401. 402. 403. 404. 405.		ad 5	245
SUMMA THEOLOGICA		q.39	238
<i>Prima Secundae</i> (1-2)		a. 2, ad 2	245
q. 81, a. 5	253	a. 3, ad 3	245
ad 2	253	a. 6, ad 5	245
<i>Secunda Secundae</i> (2-2)		q. 63, a. 5	353
q. 10, a. 12	<i>152.153.157.159</i>	a. 6	350
Sed contra	<i>157</i>	q. 64, a. 5	<i>170</i>
ad 3	154	a. 8, ad 2	207. 221
ad 4	<i>157</i>	q. 65, a. 1, ad 3	348. 350
q. 23, a. 1	204	a. 2, ad 3	376
q.27, a. 2	204	a. 3, ad 1	397
q.39, a. 2, ad 2	397		ad 2
q. 124	207		264.377.391.394
a. 1, ad 1	225	a. 4	264.363
a. 2	209		ad 3
ad 2	<i>225. 227</i>	q.66-71	14
a. 3	209.217.226	q. 66	17
a. 4	208	q. 66, a. 1	46. 48
ad 1	208		ad 2
ad 4	230	a. 2	<i>21.30. 33.34.35</i>
			ad 1
			33
			ad 2
			<i>32.33</i>
			ad 3
			33

a. 3	37.45	a. 2	104. 188.205.234
ad 1	45	ad 2	202.221.234
ad 2	45	ad 3	236
ad 3	45	a. 3	104.121. 123.124.
a. 4	38		136
a. 5	60. 64.66. 75	a. 6	135
ad 1	76.77.334	a. 9	104.136.144
ad 2	72.73	ad 1	143
ad 4	74.177	ad 2	130.131
ad 5	66	ad 3	131
ad 7	77	a. 10	152.157. 159
a. 6	60. 64. 67	ad 2	154
ad 1	71	ad 3	158
ad 4	180	a. 11	146.151
a. 7	40.56	Sed contra	151
ad 2	58	ad 1	146.745
ad 3	60	ad 3	146
a. 8	49.5(5	ad 4	147
ad 1	58	q. 69	17. 78. 84
a. 9	78. 95.101.703.	a. 1-7	78
	353	a. 1, ad 1	86
Sed contra	99	ad 2	85.207. 227.234
ad 5	104	a. 2	89
a. 10	181	ad 1	90
ad 1	185	ad 2	90
ad 2	184.186	ad 3	90
ad 3	186	a. 3	91
a.11	188. 207.217.230.	ad 1	91
	236	ad 2	90
Sed contra	234	ad 3	91
ad 1	236	a. 4, ad 1	92
ad 2	236	ad 2	85.207. 234
ad 3	231.235	ad 3	93
a. 12	207. 217.222. 225.	a. 5	93. 95
	228.230	a. 6	138.144
ad 2	226. 228. 236. 237	ad 3	183
q. 67	17	a. 7	89
a. 1-5	160	ad 3	90
a. 1	78	a. 10, ad 2	87.88
a. 2	78.174	q. 70	17.238. 248
ad 1	175	Prologus	238
ad 2	175	a. 1	248. 257
a. 3, ad 1	171	ad 1	70. 252
ad 2	171	ad 2	70. 238. 252
ad 3	171	ad 3	252
a. 4, ad 1	171	a. 2	248.252
ad 3	171	ad 1	252
a. 5, ad 1	171	ad 2	252
ad 3	171	ad 3	253
a. 6	177.178.179	ad 4	253
ad 2	180	a. 3	248.252
ad 3	177	ad 1	253
a. 7	181.186	ad 3	254
q. 68	17	a. 4	248.251
a. 1	104	q.71	17.181
ad 1	119	a. 1	182
ad 3	128	ad 1	183

	ad 2	183		ad 3	49
	ad 3	183		a. 5 ad 4	36
	a. 2	183.184	q. 78,	a. 2	60
	a. 3, ad 4	339		a. 5	30
q. 72		260	q.82,	a. 2	179
	a. 1	255.257. 264.275.		ad 1	179
		337.344.347		ad 3	179
	ad 1	276	q.84,	a. 4	280. 299
	ad 2	257. 353		ad 2	403
	ad 3	265.363.364.370.		a. 7	27
		371		ad 4	129
	ad 4	353.376		a. 10, ad 1	101
a. 2		264. 277. 280. 296.	q. 87,	a. 1, ad 2	88. 220. 221.228
		299. 301. 308. 311.	q.90,	a. 1, ad 2	11
		313			
	ad 1	281.314	<i>Supplementum Tertiae Partis</i>		
	ad 2	314	q.5,	a. 1, ad 3	193
	ad 3	302. 310		a. 3	188
	ad 4	314	q.6,	a. 5	123.126
a. 3		264.301.315.327	q. 10,	a. 2, ob. 2	234
	ad 2	316	q-29,	a. 4	302
	ad 3	316.319	q.37,	a. 5, ad 1	281.299
	ad 4	319	q. 96,	a. 6	207
a. 4		60.264.331		ad 7	208
a. 5		264.337.349.350.		ad 9	209
		351		ad 10	209
	ad 1	351		ad 11	208.209
	ad 2	350		ad 12	209.225
a. 6		136. 264.337.349.	COMMENTARIUM IN 4 LIBROS		
		372.375	SENTENTIARUM		
	ad 1	234.347.370	<i>In 4 Sent.</i>		
	ad 2	129	dist. 1,	q. 2, a. 3, q. 2, ob. 2	253
	ad 3	347.370.375		q. 2, a. 3, q. 2, ad 2	253
a. 7		258.264.337. 344.	dist. 2,	q.2	238
		345		q. 2,a. 1,q. 1	240. 245
	ad 2	345		q. 2, a. 1, q. 2	245
	ad 3	349		q. 2, a. 1, q. 2, ad. 1	245
a. 8		264.372.376		q. 2, a. 2, ad 1	11
	ad 1	373		q. 2, a. 3, q. 2	246
	ad 2	373		q. 2, a. 4	240
	ad 3	373	dist. 3,	q. 1, a. 2, q. 1, ad 1	73
	ad 4	264.363.364. 368.		q. 1, a. 2, q. 2, ad 1	76
		370.373		q. 1,a. 5, q.2	36
a. 9		264.277. 294. 295		q. 1,a. 5, q.3	35
a. 10		264. 401.404	dist. 4,	q.2, a. 1,q. 1	88
	ad 2	405		q. 2,a. 2,q. 1	138
	ad 3	405		q. 3,a. 3	207. 230
a. 11		264.342.377.391.		q. 3, a. 3, q. 1, ad 1	234
		393		q. 3, a. 3, q. 3	221
	ad 1	380. 394. 396		q. 3, a. 3, q. 3, ob. 1	228
	ad 2	349		q. 3, a. 3, q. 3, ad 1	228
a. 12		264.401		q. 3, a. 3, q. 4	221. 222. 231.
	ob. 2	403			235
	ad 1	403		q. 3, a. 3, q. 4, ad 1	236
	ad 2	403	dist. 6,	q. 1,a. 1,q. 1	152
	ad 3	402		q. La. 1,q. 3	130
q. 73,	a. 1,	376			

dist. 7, q. 1, a. 1, q. 2, ad 1	367	<i>Quodlib. 6</i> (q. 3), a. 4	121. 132.207.
q. 1, a. 2, q. 2	308		219.230. 234.
q. 3, a. 1, q. 3	380.394.395.		236
	400.401		
dist. 16, q. 2, a. 2, q. 2, ad 3	220.221.222.	COMMENTARII IN S. SCRIPTURAM	
	228	<i>In Joan.</i> 3, lect. 1	236
		<i>In Rom.</i> 8, lect. 1	209
		<i>In Hebr.</i> 6, lect. 1	101.234.23<5.
SUMMA CONTRA GENTILES			280
l. 4, c. 59	85		
1.4, c. 60	348. 393		
QUODLIBETA		APOCRYPHUM: In 4 sent.	
<i>Quodlib. 2</i> , a. 7	152.157	ad Hannibaldum, dist. 4,	
<i>Quodlib. 4</i> , a. 19	228	quaest. unica, a. 4, ad 3	228

INDEX ONOMASTICUS

(Numeris paginarum ordinariis indicatur simplex mentio, italicis vero explicita
citatio, crassioribus tandem aliquid notabilius)
(Quoad nomina stellulis signata vide: INDEX ANALYTICUS)

- ◆ABAEIARDUS, 189. 195
 ABERCII HIEROPOLITANI IN-
 SCRIPTIO, 41
 ABRAHAM, 249. 250. 252. 253
 ACAMUS, 13
 ACTA MARTYRUM, 55
 ACTA S. PAULI, 162
 ACTA TRIDENTINA,
 editio Goerres, 109. 139
 editio Theiner, 193. 240
 AERTNYS, 364
 ALBERTUS M., 29. 36. 62. 71. 76. 231. 324
 ◆ALBIGENSES, 15. 39. 136. 265. 378
 ALCUINUS, 56
 ALCUINUS (Pseudo), 325. 326. 406
 ALÈS (D') > 3. 14. 24. 42. 82. 100. 107.
 134. 261. 278. 281. 298. 301. 359.
 360. 398
 ALEXANDER III, 62. 63. 64. 72. 76. 97
 ALEXANDER VIII, 62. 63. 64. 72. 81
 ALEXANDER HALENSIS, 29. 36. 62.
 71. 234. 324
 ALPHONSUS (S.), 59. 76. 178. 280. 281.
 309. 310. 329. 364. 365. 368. 403
 ALTISSIODORENSIS. *Vide: GUILLEL-*
MUS ALTISSIODORENSIS.
 AMBROSIUS, 12. 28. 30. 40. 42. 43. 44.
 53. 62. 65. 67 sq. 68. 70. 72. 98. 99. 101.
 102. 111. 113. 115. 159. 181. 186. 190.
 191. 192. 194. 195. 197. 214. 232. 257.
 274. 285. 288. 295. 314. 321. 322. 323.
 342. 343
 AMBROSIUS (Pseudo),
 In ep. ad Ephes. 4, 11 sq., 390
 Liber de sacramentis, 12. 53. 73. 174. 184.
 186. 272. 289. 295. 323. 342. 343
 AMALARIUS, 325. 326. 402. 406
 AMICUS, 329
 ANANIAS, 53. 165. 379. 391
 ◆ANABAPTISTAE, 96. 106. 137. 140
 ANDRUTUS, 353
 ANGELI, 61
 ◆ANGLICANI, 16. 266
 ANONYMUS,
 De cardinalibus operibus Christi, 305. 313
 De rcbaptismate, 12. 32. 38. 128. 195.
 196. 269. 287. 298. 358. 361. 389
 Quaestiones Veteris et Novi Testamenti,
 390
 ANSALDI, 13
 ANTHIMUS VII (patr. schism.), 51
 ARATOR, 305. 312
 ARAUSICANUM CONC. I (a. 441), 257.
 381. 382. 389
 ARCHONTICI, 38. 105
 ARCUDIUS, 327. 334. 357. 360. 378.
 380. 397
 ARELATENSE CONC. I (a. 314), 262.
 272. 281. 340. 359. 361
 ARELATENSE CONC. II (a. 443), 61.
 63. 66. 359
 ARELATENSE CONC. III, 257
 ARIANI, 61. 265. 326
 ARIANI WISIGOTHI, 55
 ARIANORUM SERMONUM FRAG-
 MENTA ANTIQUISSIMA, 323
 ARISTOTELES, 44. 126. 295
 ARMACHANUS (Richardus archiep.
 armachanus), 210. 329. 364. 379
 ◆ARMENI, 63. 267. 283. 307. 320. 378. 383
 ARMSTRONG, 16
 ARRIAGA, 310
 ASCHEMANN, 261
 ASTERIUS, 326
 ATHANASIUS, 70. 101. 166
 AUGUSTINIS (De), 35. 118. 281
 ◆AUGUSTINUS, 1. 2. 11. 12. 13. 28. 30.
 32. 35. 36. 38. 40. 42. 43. 46. 55. 65. 70.
 72. 78. 79. 82. 83. 98. 99. 100. 102. 103.
 105. 106. 111. 113. 115. 119. 125. 128.
 129. 130. 133. 134. 141. 142. 146. 147.
 148 sq. 149. 150 sq. 151. 152. 155. 159.
 161. 165. 166. 167. 168. 183. 184. 186.
 189. 190. 191. 194. 195. 197. 199. 200.
 201. 202. 208. 211. 212. 214. 215. 216.
 225. 226. 227. 231. 232 sq. 239. 242. 243.
 247. 252. 265. 273. 274. 275. 289. 290.
 295. 297. 298. 305. 306. 309. 315. 321.
 322. 342. 343. 344. 352. 355. 356. 361.
 389

Textus:		1,34	183
<i>Confessiones,</i>		2	106
1,11	184	2,26	133
<i>Contra duas epistolas Pelagii,</i>		2, 26-27	151
2,11	119	2,28	83
3,3	82	25,38	130
<i>Contra epistolam Parmeniani,</i>		27, 43	148
2,13	W2.167.344	<i>De trinitate,</i>	
15, 29	165	15,26	289.297.389
<i>Contra Faustum,</i>		<i>Enarrationes in Psalmos,</i>	
19,11	252	31,enarr.1,5	233
<i>Contra Julianum,</i>		31, enarr. 2,15	233
1,6	2.141	34	208
3,3	105	65	186
5	183	141,9	289.343
6,14	151	<i>Enchiridion,</i>	
17,52	151	49	242. 247
<i>Contra litteras Pctiliani,</i>		64,17	83
2,27	100	<i>Epistolae,</i>	
2, 75	239	40	36
2,104	273.275.297.344	44,5	32.128
<i>Contra Maximinum,</i>		82	35
2,17	65. 70	89,2	208
<i>De anima et ejus origine,</i>		98,2	155
1,9	200.202.212.214.215	98,10	130
3,9	113.129.200.202	166,7	113.119
<i>De baptismo,</i>		173,6	225.226.227
1,1	168	187	152
2,14	98.103	187,8	141
3,16	275. 297.344.356.361	187,10	146.147.149
4, 21	197	265,1	129
4,22	200.214.232	265,5	32
5, 9	242. 243	<i>Haereses,</i>	
5,9-10	32	27	161
5,10	243. 247	40	106
5,23	356	46	38.73
5,33	361	59	38
6,7	55	82	79
6,25	42.65	<i>In Joannis evangelium tractatus,</i>	
7,53	167	5,10	195
22, 29	197	5,18	32
25, 32	197	11,6	103
<i>De civitate Dei,</i>		11,12	102
S,	191	12,2	103
13,7	212.214.215. 216	13,3	113. 200. 201
<i>De gratia et libero arbitrio,</i>		15,4	40.65
3,23	215	57,1	98
<i>De nuptiis et concupiscentia,</i>		80,3	46.55.65.129
1,33	83	84,1	214
<i>De peccato originali,</i>		118,5	239.297.306.309
40	183	<i>In 1 Joannis,</i>	
<i>De peccatorum meritis et remissione,</i>		3,5	289. 297
1	106	6,10	289.297
1,9	141	<i>Retractationes,</i>	
1, 16	113	1,26	200.202
1,19	130.142	2,18	200. 202
1,25	142	2,55	200. 202

- Sermones*,
 2,13 208
 135,1 1
 135,4 28.30
 136,1-2 28
 136,2 30
 159,1 211.214
 176, 2 130
 227 275. 290. 297.344
 270,5 322
 294 105
 347,1 322
 AUGUSTINUS (Pseudo),
 Sermo de cataclismo,
 1 344
 2 344
 AUREOLUS, 279. 351

 BACHMANN, 263
 ◆BAIUS, 190. 191. 193
 BANEZ, 210
 BAPTISTA (Joannes) 3. 10. 22. 26. 27.
 105. 128. 132-138. 208
 ◆BAPTISTAE, 50 sq. 57. 106. 137
 BARBER, 16
 BARBERINUS (Codex) 304
 BARBERINUM (Euchologium Sancti
 Marci), 320
 BARCLAY, 16. 20
 BAREILLE, 14. 261. 360
 BARNABAE EPISTOLA, 193
 BARTON, 238
 BASILIUS, 13. 42. 43. 53. 61. 67. 70. 72.
 83. 94. 111. 112. 125. 214. 216. 247. 288.
 304. 306
 BASNAGIUS, 263
 BATIFFOL, 13
 BEDA, 28. 245. 246. 257. 274. 291. 297.
 298. 299. 305. 310. 312. 342. 345
 BELLAMY, 14
 BELLARMINUS, 122. 139. 146. 261. 281.
 308. 321. 323. 329. 360. 380. 398
 BELSER, 14. 261
 BENEDICTUS XII, 63. 64. 266. 383. 396
 BENEDICTUS XIII, 262.381. 390
 ◆BENEDICTUS XIV, 125.130. 138. 153.
 154. 155. 156. 157. 159.160. 207. 262.
 281. 284. 285. 300. 319.328. 330. 331.
 364. 365. 368. 369. 374.380. 381. 385.
 386. 390. 391. 392. 394. 395. 396
 BERNALDUS PRESBYTER, 355. 356
 BERNARD, 261. 308
 BERNARDUS (S.), 28. 34. 56. 136. 189.
 195. 198. 199. 215. 225. 227. 233. 234
 BERTI, 71. 310
 BERTRAND, 261
 BESSARION (Card.), 334

 BEYER, 261
 BIANCHI, 13. 106
 BICKELL, 261
 BIEL, 29. 106. 154. 379. 380
 BILLOT, 31. 36. 108. 125. 144. 207. 227.
 281. 364
 ◆BILLUART, 59. 69. 76. 97. 123. 125. 149.
 159. 170. 202. 206. 217. 220. 229. 260.
 280. 281. 309. 310. 319. 329. 364. 380.
 388. 390
 BITURICENSE CONC. (a. 1584) 305.
 312. 328. 330. 333
 ◆BONAVENTURA, 27. 29. 36. 47. 62. 71.
 106. 138. 210. 222. 231. 234. 240. 299.
 309. 324. 352. 364. 394
 BONOSIACI, 61. 359
 BOULANGER, 14. 261
 BOUR, 14
 BOURGEOIS, 13
 BRACARENSE CONC. (a. 572), 201. 203.
 305. 312
 BRENNER, 261
 BREVIARIUM ROMANUM, 28. 211
 BRUNO ASTENSIS, 260
 BUCERUS, 106
 BULGARI, 357. 383. 386
 BULGARORUM CONSULTA, 63. 68. 163.
 168. 358. 392
 BUNKE, 16
 BUZY, 238

 CABANIS, 16
 CABASILAS (Nicolaus), 353
 CABILLONENSE CON. II (a. 813), 282.
 296. 354. 356.
 CAERULARIUS (Michael), 15. 51
 ◆CAJETANUS, 14. 49. 62. 69. 106. 107 sq.
 109. 120 sq. 125. 127. 131. 153. 157. 177
 sq. 179. 180. 193. 207. 220. 221. 224.
 229 sq. 308. 309. 310. 319
 CALLIXTUS I (patr. schism.), 51
 CALMES, 32
 ◆CALVINISTAE, 16. 21. 105. 117. 162. 265
 ◆CALVINUS, 21. 106. 133. 137. 162. 239.
 263. 264. 266. 307. 327. 338. 378. 379.
 391
 CANO (Melchior), 29. 32. 71.
 CANONES APOSTOLORUM, 55. 66. 174
 CANONES HIPPOLYTI, 66. 74. 287. 295.
 322. 323. 345. 388. 406
 CAPPELLO, 125. 176. 281. 309. 319. 329.
 364. 370. 371. 375. 403
 CAPREOLUS, 154
 CAROLI MAGNI CAPITULARIA, 169.
 293. 296. 297. 355
 CARON, 106

- CARTHAGINENSE CONC.,
a. 252 139
a. 262 109
a. 398 162.164.166
a. 418 109.110.139
- CASPARI, 16. 263
- CASSIODORUS, 233
- ◆CATECHISMUS CONC. TRID., 5. 8.
 28. 40. 44. 46. 47. 52. 64. 71. 72. 89. 90.
 110. 120. 125. 139. 164. 182. 183. 184.
 185. 186. 193. 254. 255. 257. 260. 262.
 281. 284. 311. 316. 328. 330. 340. 341.
 343. 348. 365. 366. 369. 374. 403. 404.
 405. 406
- CATECHISMUS PHILARETI, 307
- ◆CATHARI, 39. 105. 136. 139
- CATHARINUS (Ambrosius), 154
- CHANTEPIE DE LA SAUSSAYE, 249
- CHARDON, 13. 306. 360
- CHASE, 24. 263
- CHEMNITIUS, 239. 260. 263. 264. 279.
 307. 327. 338
- CHROMATIUS, 317
- CHRYSOLOGUS (Petrus), 196. 247
- CHRYSOSTOMUS, 1. 13. 38. 31. 32. 40.
 45. 83. 94. 98. 101. 128. 141. 195. 214.
 244. 269. 317. 373. 387. 388. 392. 408
- CIVILTÀ CATTOLICA, 156
- CLEMENS VI, 96. 262. 283. 306. 307. 316.
 381. 383. 392. 394. 396
- CLEMENS VIII, 262. 381. 385. 391
- CLEMENS XI, 81. 390
- CLEMENS XIII, 381. 385. 386. 391. 395
- CLEMENS ALEX., 2. 38. 83. 94. 111. 128.
 278
- CLEMENT, 16
- ◆CODEX JURIS CANONICI, 1. 37. 40.
 42. 53. 97. 111. 116. 123. 125. 126. 139.
 146. 150. 151. 159 sq. 160. 164. 173. 176.
 184. 262. 277. 285. 300. 302. 303. 306.
 319. 354. 365. 366. 367. 368. 371. 372.
 374. 381. 384. 386. 390. 391. 392. 394.
 395. 396. 402. 403. 404. 405
Can. 239, § 1, 23 386
Can. 544, § 1 371
Can. 732 354
Can. 732, § 1 97. 262
Can. 732, § 2 97
Can. 734 302
Can. 737 1.37.53
Can. 737, § 1 40.111
Can. 738, § 1 164
Can. 738-779 123
Can. 741 164
Can. 742 176
Can. 742, § 1 164
Can. 742, § 2 164
- Can.* 744 164
Can. 745, § 1 150
Can. 746 97.146
Can. 746, § 1 151
Can. 746, § 5 151
Can. 747 97
Can. 748 97
Can. 749 97
Can. 750, § 1 160
Can. 750, § 2, 1 160
Can. 750, § 2, 2 160
Can. 752 97
Can. 757, § 1 42
Can. 758 53
Can. 759 176
Can. 759, § 1 164
Can. 768 405
Can. 770 125. 139
Can. 770-772 116
Can. 772 126.184
Can. 773 184
Can. 780 277. 285. 300. 319
Can. 781, § 1 262. 277
Can. 781, § 2 262. 277. 300. 302
Can. 782 390
Can. 782, § 1 262. 386
Can. 782, § 2 262. 386
Can. 782, § 3 386
Can. 782, § 4 386
Can. 782, § 5 386
Can. 786 262. 372. 403
Can. 787 262. 365. 367. 368
Can. 788 366. 374
Can. 789 277. 300. 402
Can. 790 404
Can. 791 404
Can. 793-796 405
Can. 795, § 1 371
Can. 795, § 1 405
Can. 796, § 2 405
Can. 797 405
Can. 974, § 1, 1 371
Can. 1021, § 2 371
Can. 1079 405
Can. 1271 303
- COLLET, 210
- COLLYRIDIANI, 161
- COLONIENSE CONC. (a. 1536), 374
- COLONIENSE CONC. (a. 1860), 125
- COMMISSIO BIBLICA, 24
- COMPENDIENSE CONC. (a. 757), 167.
 170
- CONCINA, 280
- CONFESSIO ORTHODOXA PETRI
 MOGHILAE
Vide: MOGHILAS (Petrus).

- CONFESSION DE FOI . . . DES EGLI-
 SES . . . BAPTISTES, 16
 CONGREGATIO DE PROP. FIDE, 74.
 156. 285. 300. 330. 365. 368. 369 sq. 407
 CONGREGATIO RITUUM, 184. 404. 406
 CONGREGATIO S. OFFICII, 125. 154.
 156. 285. 300. 316. 330. 362. 385. 386.
 390
 CONINCK, 29
 CONSTANTIENSE CONC., 262. 265. 267.
 365. 378. 384
 CONSTANTINI ORATIO AD SANC-
 TORUM COETUM, 41
 CONSTANTINOP. CONC. I, 61. 96. 99.
 265. 326. 359
 CONSTANTINOP. CONC. II, 304
 CONSTANTINUS MAGNUS, 115
 CONSTANTIUS I (patr. schism.), 304
 CONSTITUTIONES APOSTOLORUM, 53.
 66. 162. 174. 257. 299. 388
 CONSTITUTIONES ECCLESIAE AE-
 GYPTIACAE, 287. 295. 297. 298. 299.
 322. 323. 331. 333. 345. 388. 406
 CONYBEARE, 24
 COPPENS, 261
 COPTI, 250. 320
 CORBLET, 13. 170
 CORNELIUS A LAPIDE, 100. 101
 CORNELIUS (Papa), 54. 264. 270. 286.
 295. 342. 381. 389
 CORPUS JURIS CANONICI, 283
 CREMER, 17
 CUNEO, 24
 CUTTAZ, 14
 ◆CYPRIANUS, 12. 42. 54. 55. 69. 72. 99.
 109. 110. 111. 112.115. 161. 193. 195.
 196. 197. 202.213. 215. 224. 232. 258.
 269. 271. 274.275. 287. 295. 298. 305.
 306. 313. 321.342. 343. 344. 346. 358.
 360. 361. 387
 Textus:
Epistolae (juxta ordinem Migne) :
 1 12
 10,5 196
 12,1 196
 56,6 213.215
 59,2 109.111.112
 63,8 12
 69,1 72
 69,12 54. 55
 70-76 12
 70 (ad Januarium), 1 42
 70,2 271.287.306
 71 (ad Quintum), 2 358
 72 (ad Stephanum), 1 358
 73 (ad Juhaianum) 321
 73,2 346
 73,5 72
 73,9 269.277.287
 73,17-18 69
 73,21 213. 232.
 271.287
 73,23 196
 74 (ad Pompeium), 5 72.342
 74,7 271. 287.346
 74,11 99
 74, 21 193
 75 (Firmiliani ad
 Cyprianum), 7 271. 287.387
 75,8 269
 ' 75,10 161
De Mortalitate,
 17 196
De Exhortatione martyrii,
Praefatio, 4 213
 11 224
 CYPRIANUS (Psucdo), *De Singularitate*
clericorum, 224
 CYRILLUS V (patr. schism.), 51
 CYRILLUS ALEX., 274. 290. 299. 342
 CYRILLUS HIER., 13. 40. 42. 48. 53. 65.
 94. 99. 111. 112. 184. 200. 201. 213. 247.
 260. 273. 274. 275. 285. 287. 296. 299.
 304. 306. 326. 344
 DALLAEUS, 263. 307. 327. 338. 378. 387
 DAMASCENUS, 4. 31. 53. 101. 214. 222.
 230 sq. 232
 DAMASUS I, 61. 63
 DAMIANUS (Petrus), 166. 168. 294. 297.
 343. 367
 DAUB, 264
 DAVIDSON, 101
 DECRETALIA, 98
 DENZINGER, 277. 295
 DICTIONNAIRE APOLOGÉTIQUE DE
 LA FOI CATHOLIQUE, 14. 41. 249
 DICTIONNAIRE D' ARCHÉOLOGIE
 CHRÉTIENNE ET DE LITURGIE,
 14. 72. 73
 DICTIONNAIRE DE LA BIBLE, 14.
 249. 261
 DICTIONNAIRE DE THÉOLOGIE CA-
 THOLIQUE, 9. 14. 17. 38. 42. 54.107.
 137. 159. 181. 183. 184. 207. 238. 241.
 246. 249. 250. 261. 262. 263. 264. 269.
 278. 279. 280. 286. 298. 302. 308. 322.
 360. 384
 DIDACHE, 24. 40. 55. 65. 66. 72. 89. 193
 DIDYMUS, 70
 DIEHL, 263
 DIEKAMP (Fr.), 281. 308. 310. 319. 364.
 380

- DIONYSIUS AREOPAGITA (Pseudo), 184. 185. 304. 306. 312. 322
 DÔLGER, 14. 42. 181. 261. 364. 398
 DOMINIS (Antonius de). *Vide:* SPALATENSIS.
 DONATISTAE, 96. 99. 168. 288. 361. 379
 DOROTHEUS (mctroplita Mitylensis), 384
 DROUIN, 71
 DUBLANCHY, 34
 DUCHEMIN, 16. 50
 DUCHESNE, 13. 54. 173. 360
 DUGUET, 13. 181
 DURAND, 374
 ♦DURANDUS, 71. 106. 138. 153. 177. 240. 326. 380
 DYOVUNOTIS, 163. 327. 353

 EBIONITAE, 250
 EINIG, 29
 EINSIDLENSE FRAGMENTUM (Ordo Romanus), 324
 ELIBERITANUM CONC. *Vide:* ILLIBERITANUM CONC.
 ELKASAITAE, 250
 EPHREM, 272. 275. 287. 304. 312. 343
 EPIPHANIUS, 38. 61. 96. 101. 161. 246. 265
 ERASMUS, 139. 140. 145. 146
 ERMONI, 13. 14. 261
 ERNALDUS ABBAS BONAEVALLIS, 313
 ERNST, 13
 ESTIUS, 28. 31. 32. 34. 71. 99. 133. 154. 192. 226. 280. 308. 309. 315. 323. 329. 380
 EUGENIUS IV, 319. 390
 ♦EUNOMIANI, 55. 61
 EUSEBIUS (Papa) (Pseudo), 260
 EUSEBIUS CAESARIENSIS, 23 sq. 41. 54. 61. 265
 EUTHYMIUS, 98
 EVERTS, 50

 FABIANUS (Papa) (Pseudo), 260. 293. 305. 306. 316
 ♦FARVACQUES, 62
 FESSLER, 264
 FIELD, 263
 FIRMILIANUS, 161. 269. 271. 274. 275. 287. 295. 298. 299. 387. 392
 ♦FLORENTINUM CONC., 1. 15. 21. 37. 39. 47. 52. 63. 64. 72. 76. 80. 96. 108. 109. 120. 121. 125. 139. 163. 164. 168. 257. 261. 267. 281. 284. 296. 298. 299. 302. 306. 311. 314. 316. 324. 328. 330. 333. 334. 340. 341. 348. 354. 381. 384. 390. 391. 394. 396
 FLOYD (John), 338. 346
 FORD, 16
 FRANCISCUS XAVERIUS, 57
 ♦FRATICELLI, 105
 FREERICKS, 17
 FREYBE, 16
 FRISCHE (J. du), 73
 FULGENTIUS, 111. 114. 200. 201. 202. 215. 355

 ♦GALTIER, 100. 101. 261. 279. 280. 286. 297. 298. 299. 360. 374
 GARNER, 16
 GELASIUS I, 111. 114. 166. 290. 295. 297. 306. 382. 389. 392. *Vide:* SACRAMENTARIUM GELASIANUM.
 GELASIUS II, 173. 174
 GENNADIUS, 114. 200. 201. 215. 221. 299
 GERBERT, 261
 GERSON, 106
 GIHR, 309. 310. 364. 380
 GILLMANN, 14. 72. 261
 GLOSSA, 91
 ♦GNOSTICI, 38. 61. 105. 209. 278
 GOAR, 304. 320. 357. 360
 GOBET, 261
 GOFFRIDUS VINDOCENSIS, 355
 GONET, 71
 GOTTI, 280
 GRAECI. *Vide:* SCHISMATICI ORIENTALES.
 GRATIANI DECRETUM, 356
 GRATIANUS, 166. 168. 233. 317. 403
 GREGORIUS I, 52. 53. 55. 61. 63. 74. 107. 111. 196. 243. 244. 257. 262. 290. 295. 298. 299. 302. 305. 313. 355. 359. 360. 361. 367. 381. 382. 389. 392. *Vide:* SACRAMENTARIUM GREGORIANUM.
 GREGORIUS II, 355
 GREGORIUS III, 169. 170
 GREGORIUS VII, 307
 GREGORIUS IX, 39
 GREGORIUS XIII, 390
 GREGORIUS DATHEXTENSIS, 378
 GREGORIUS NAZIANZENSIS, 2. 13. 28. 94. 111. 114. 125. 138. 200. 202. 213. 230. 232
 GREGORIUS NYSSENUS, 13. 42. 53. 61. 94. 125
 GREGORIUS TURONENSIS, 305. 312. 315
 GRETSER, 13. 261
 GROOT (De), 265
 GUALDO, 13

- GUILIELMUS ALTISSIODORENSIS, 71
 GUILIELMUS PARISIENSIS, 324
 GURY, 364
- HABERT, 279
 ◆HADRIANUS VI, 62. 193. 329. 380. 390
 HALENSIS. *Vide:* ALEXANDER
 HALENSIS.
 HALL, 263
 HARDOUIN, 13
 HEIMBUCHER, 261
 HEITMULLER, 17
 HELLMANUS, 14
 HEMEROBAPTISTAE, 246
 HENRICIANI, 136
 HERMAS, 40. 82. III
 HERMIANI, 38
 HERODOTUS, 249
 HERVÉ, 281. 309. 329. 364
 HIERONYMUS, 28. 35. 40. 45. 79. 125.
 133. 159. 165. 169. 173. 226. 239. 242.
 246. 269. 273. 274. 289. 298. 321. 322.
 387. 388. 389. 392
 HILARIUS, 45. 273. 275. 287. 322. 342
 HINCMARUS RHEMENSIS, 355. 356
 HIPPOLYTUS, 258. 270. 274. 278. 286.
 295. 296. 297. 299. 322. 323. 326. 342.
 406. *Vide:* CANONES HIPPOLYTI
 PHILOSOPHOUMENA.
 HISPALENSE CONC. II (a. 619), 282.
 297. 306. 340. 382. 389
 HODGE, 58
 HOFLING, 13
 HOFFMANN (W.), 16
 HOLLOWAY, 263
 HOLSTE, 261
 HOLTZMANN (H. J.), 16
 HONORIUS AUGUSTODUNENSIS, 260.
 402
 HOVEY, 50
 ◆HUGO A S. VICTORE, 13. 28. 34. 35.
 46. 47. 56. 62. 189. 190. 195. 198. 215.
 234. 236. 240. 254. 257. 260. 294. 299.
 309. 368. 380. 406
 HUGO A S. VICTORE (Pseudo), *Summa*
 Sententiarum, 199
 HUGON, 108. 281. 309. 329. 350. 364. 380
 HURTER, 34. 281
 HUSSITAE, 265. 267. 378
 HUYGHE, 101
- IGNATIUS (Antiochenus), 173
 ILLIBERITANUM CONC. (circa a. 300),
 163. 165. 262. 271. 274. 281. 340. 367.
 382. 389
 INNOCENTES (SS.), 215. 224
 INNOCENTIUS I, 63. 66. 68. 71. 72. 109.
 111. 114. 262. 269. 272. 274. 289. 295.
 296. 306. 321. 340. 359. 361. 374. 382.
 383. 389. 391. 392
 INNOCENTIUS II, 191
 ◆INNOCENTIUS III, 39. 63. 64. 80. 136.
 137. 138. 139 *sq.* 184. 192. 211. 216. 227.
 262. 283. 297. 299. 300. 302. 303. 308.
 311. 315. 340. 378. 381. 383. 391
 INNOCENTIUS IV, 262. 299. 306. 307.
 310. 311. 340. 383. 391
 IRENAEUS, 24. 38. 61. 82. 111. 212. 215.
 259. 270. 278. 286. 296. 305. 315
 ◆SIDORUS HISP., 2. 65. 148. 149. 167.
 168. 184. 257. 260. 269. 274. 275. 290
 297. 298. 306. 307. 321. 342. 345. 389
 IVO CARNOTENSIS, 260
- JALABERT, 41
 ◆JANSENISTAE, 62. 63. 79. 81
 JANSSENS, 261
 JEREMIAS, 105. 128
 JEREMIAS (Fr.), 249
 JEREMIAS II (patr. schism.), 268
 JOACHIM, 13
 JOANNES XXI, 383
 JOANNES XXII, 121. 390
 JOANNES DIACONUS, 318. 319
 JOANNITAE, 246
 JOB MONACHUS, 353
 ◆JOSEPH (S.), 105. 128
 JOSEPHUS FLAVIUS, 245
 ◆JOVINIANUS, 79
 JUÉNIN, 13. 280. 308
 JUGIE, 15. 16. 39. 50. 52. 75. 162. 256.
 263. 268. 277. 280. 303. 305. 307. 308.
 327. 339. 346. 353. 354. 357. 358. 360.
 374. 378. 380. 384. 390
 JUSTINUS, 24. 41. 65. 72
- KELLISON (Matthaeus), 339
 KENRICK, 13
 ◆KLEE, 106. 107. 121
 KLEINER, 13
 KNABENBAUER, 9. 26. 32
 KNOTT (Edoardus), 338. 346
 KOCH (H.), 14
 KOCH (W.), 14
- LAGRANGE (M. J.), 32. 245. 249
 LAMENTABILI (Deer.), 20. 111. 262.
 266. 267
 LAODICENSE CONC., 61. 262. 265. 282.
 340. 367
 LAODISLAUS JAGELLON, 57
 LATERANENSE CONC. IV, 39. 52. 63.
 96. 99. 136. 140. 163. 168
 LEBRETON, 24

- LEDESMA, 210. 310. 380
 LEHMKUHL, 59. 364
 LEIBNITIUS, 264
 LENOIR, 16
 LEO I, *I.* 29. 53. 99. *103.* *113.* 115. 116.
 119. 185. *201.* 203. 215. 257. *290.* 297.
 321. 342. 359. 361
 LEO X, *80.* 390
 LEO XIII, 51. 125. *127.* 139. 374
 LEONITIUS, 98
 LÉPICIER, 14. 261. 380
 LERCHER, 309. 329, 364
 ◆LIBERALES PROTESTANTES, 20. 68.
 105. 240
 LITURGIA, 8. 12
 ◆LUCIFERIANI, 238
 LUGDUNENSE CONC. I, 269
 LUGDUNENSE CONC. II, 96. 262. 266.
 281. 283. 296. 299. 383. 394
 LUGO, 380
 ◆LUTHERANI, 16. 21. 105. 264. 268
 ◆LUTHERUS, 16. 39. *61.* 79. *80.* 137. 162.
 239. 240. 263. *265.* 338. 378. 379
- MACEDONIANI, 265. 326
 MAGISTER SENTENTIARUM. *Vide:*
 PETRUS LOMBARDUS.
 MAHOMETANI, 250
 MAI, 323
 MALCHIODI, 261
 MALDONATUS, 62. 98. *117.* 360. 362
 MANDEITAE, 246
 MANGENOT, 14. 261. 384
 ◆MANICHAEI, 38. 78
 MARC, 364
 MARCHAL, 261
 ◆MARCION, 161
 MARCIONITAE, 96
 MARCOSIANI, 61
 MARONITAE, 386
 MARQUARDT, 13. 261
 MARSILIUS, 154
 MARTÈNE (Dom), 13. 55. 323. 326. 330
 MARTINI BRACARENSIS (Capitula
 Sancti), 390
 MARTINUS (S.), 115
 MARTINUS V, 262. 267
 MARUCCHI, 42
 MASON, 263
 MATHIES, 16
 MAURUS RABANUS. *Vide:* RABANUS
 MAURUS.
 MAX DE SAXONIA, 379. 386
 MAXIMUS TAURINENSIS, 12
 MEDIOLANENSE CONC. (a. 1565), 374
 MELANCHTHONIUS, 239. 263. 266. 279
 ◆MELCHIADES (Papa) (Pseudo), 255
 256. 260. 274. 275. 293. 343. 349
 MELDENSE CONC. (a. 845), 383, 389
 MENARDUS (Hugo), 323. 326
 MERKELBACH, 125. 147. 281. 309. 364
 MERLIN, 13. 75
 MESCHLER, 261
 MESOLORAS, 39. 163
 METHODIUS (S.), 83. 353. 354. 357
 MIKLOSICH, 383
 MILEVITANUM CONC. II (a. 416), 80
 109. 110. 114. 139
 MISSALE BOBIENSE, 292. 297. 322. 323.
 324.
 MISSALE GALLICANUM VETUS, 292.
 297. 322. 323. 324
 MISSALE GOTHICOGALLICANUM, 292
 297. 322. 323. 324. 342
 MISSALE ROMANUM, 8. 12. 44. *186.*
211. 276. 303
 MOCQUET, 261
 MODALISTAE, 61
 ◆MODERNISTAE. 20. 105. 111. 266
 MOEHLER, 17. 20. 263
 MOGHILAS (Petrus), 52. 258. 353. 354
 MOGUNTINUM CONC. (a. 1549), 284.
 305
 MONOD, 16. 50
 MONOPHYSITAE, 220. 378. 390
 MONTANISTAE, 68. 359
 MOREL, 14
 MORINUS, 62. 261. 357. 360. 362
 MORTATA (Edgardus), 155
 MOSCHUS (Joannes), 75
 MOZARABICAE (Liber Ordinum Eccle-
 siae), 292. 297
 MÜLLER, 364
- NATALIS (Alexander), 137
 NEPEFNY, 261
 NESTORIANI, 305. 320. 390
 NICAENUM CONC. I. 61. 63. 66. 265
 ◆NICODEMUS, 5. 9. 27. 28. 29. 40
 NICOLAI, 13
 NICOLAUS I, 62. 63. 68. *70.* 163. 168.
 170. 308. 357. 358. 383. 391. 392
 NICOLAUS IV, 390
 NOLDIN, 319
 NOURRY (N. Le), 73
 ◆NOVATIANI, 68. 71. 100. 264. 265. 282.
 326. 359. 360
 NOVATIANUS, 54. 264
 NOVATORES. *Vide:* PROTESTANTES.
- OFFICIUM (S.) *Vide:* CONGREGATIO
 S. OFFICII.
 OLIVE, 260

- OLIVI (Petrus), 138. 140
 OPTATUS MILEVITANUS, 13. 29. 98.
 99. 102. 247. 288. 296. 297. 305. 314.
 342. 355. 361
 ORDINE MANUSCRIPTI TILIANUS ET
 S. GERMANI A PATRIS, 324
 ◆ORDO ROMANUS, 305. 306. 324. 325.
 326. 331. 333. 405. 406
 ORDO ROMANUS (Fragmentum Einsid-
 dense). *Vide:* EINSIDLENSE FRAG-
 MENTUM.
 ORIGENES, 111. 112. 213. 270. 274. 278.
 296
 ORSI (Card.), 13. 71. 261. 263
 ORTOLAN, 261
 OSTIACO (Petrus David Cardinalis ab),
 330

 PACIANUS, 13. 273. 275. 288. 297. 342.
 345. 387
 ◆PAGANI, 20. 41. 249. 266
 PALAEOLOGUS (Michael), 266. 283. 383
 PALLAVICINI, 109. 193. 380
 PALMIERI, 59
 PALUDANUS (Petrus de Palude), 59. 177.
 309
 PAPAPHILUS (Theophilus), 308
 PARIENSE CONC. VI (a. 829), 382.
 389. 392
 PASSAGINI, 250
 PASSIO SS. PERPETUAE ET FELICI-
 TATIS, 213
 PAULINUS (Diaconus), 115
 PAULUS V, 57. 316
 PECTORII AUGUSTODUNENSIS IN-
 SCRIPTIO, 41
 ◆PELAGIANI, 105. 109. 114. 115. 119
 PELAGIUS 1,55. 61. 63.69
 PEPUTIANI, 161
 PEREZ, 261
 PERRONE, 34. 105. 107. 146. 170. 173.
 281
 PESCH (Chr.), 26. 29. 100. 125. 281. 309.
 329. 364. 380
 PETILIANUS, 239
 ◆PETROBRUSSIANI, 136
 PETRUS CANTOR, 62
 PETRUS CLUNIACENSIS, 136
 ◆PETRUS LOMBARDUS, 14. 27. 28. 32.
 33. 47. 56. 62. 74. 101. 107. 138. 146.
 148. 149. 189. 190. 199. 215. 227. 231.
 233. 234. 236. 238. 240. 245. 255. 257.
 260. 299. 309. 342. 343. 356. 380
 PHILARETUS, 51
 PHILOSOPHOUMENA, 38
 PHOTIUS, 163. 355. 358. 377 sq. 390
 PIUS IV, 97. 354
 PIUS V, 69. 109. 190. 193
 PIUS IX, 51. 155
 PIUS X, 111. 262. 381. 386
 PIUS XI, 277. 366
 PLATEL, 364
 PONTANUS, 13
 ◆PONTIFICALE ROMANUM, 12. 44.
 176. 277. 299. 300. 303. 306. 319. 322.
 324. 325. 330. 331. 333. 361. 385. 401.
 403. 405. 406
 PONTIFICALE ROTHOMAGENSE, 324
 PONTIFICALIS (Liber), 282. 381. 382.
 389
 PONTIUS, 261
 POURRAT, 360
 POZZY, 13
 PRAEPOSITINUS, 62
 PRAT, 101
 PRISCIANENSIS, 261
 ◆PROTESTANTES, 15. 16 sq. 19. 20. 21.
 39. 57. 61. 66. 79. 89. 96. 105. 106. 124.
 130. 136. 137. 146. 162. 189. 239. 243.
 257. 263 sq. 265 sq. 268. 269. 276. 278
 sq. 307. 327. 338. 339. 346. 347. 364.
 378 sq. 384. 385. 387. 391. 402
 PROTESTANTES LIBERALIS. *Vide:*
 LIBERALES PROTESTANTES.
 PRUDENTIUS, 290. 295. 305. 342
 PRÜMMER, 125. 329. 364. 403
 PRUSSLER, 261
 PUNIET (De), 14. 72. 73
 PUSEY, 17

 ◆QUAKERI, 19. 20. 21. 38. 105
 ◆QUESNEL, 79. 81
 QUINISEXTUM CONC. *Vide:* TRUL-
 LANUM CONC. II.
 ◆QUINTILLA, 40. 41
 QUINTILLIANI, 38

 RABANUS MAURUS, 186. 256. 293. 299.
 342
 ◆RATIONALISTAE, 19. 20. 24. 240. 266
 RATRAMNUS, 294. 299. 308. 310
 REBAPTIZANTES, 12. 15. 61. 96. 99.
 168. 353
 RENAN, 278
 RENAUDOT, 13
 RENDTORFF, 17
 REORDINANTES, 12. 353. 362
 RICHARDUS ARMACHANUS. *Vide:*
 ARMACHANUS.
 RICHARDUS A S. VICTORE, 199
 RIGGENBACH, 24
 RISI, 13
 RITUALE FOXENSIS COLLEGII TOLO-
 SANI, 324

- RITUALE PETRI MOGHILAE. *Vide:*
MOGHILAS (Petrus).
◆RITUALE ROMANUM, *l.* 12. 37. 40. 42.
52. 57. 72. 97. *III.* 115. 116. 124. 125.
126. 146. *148.* *151.* 164. 184. *185.* 255.
277. 295. 296. 302. 303. *306.* *315.* *319.*
365. *366.* 368. 401. *407*
RITUALISTAE, 264. 266
ROLANDUS, 199
ROMANUM CONC. (a. 380), 63
ROSSI (J. B. De), 42
RUCH, 14. 261
RUFFET, 263
RUPERTUS, 32. *294.* 299. 305. *310.* *313.*
314

SABATIER, 240
SABBATIANI, 326
SACCHUS, 302
SACRAMENTARIUM GELASIANIUM,
292. 295. 297. 298. 322. 323. 324. 332
SACRAMENTARIUM GREGORIANUM,
74. 75. 257. 292. 295. 305. 322. 323.
324. 332
SACRAMENTARIUM SERAPIONIS, 273.
288. 295. 296. *343*
SACRAMENTARIUM TOLOSANUM,
324
SALMANTICENSES, 364
SALTET, 359. 360
SCHANZ, 17. 29. 32. 263
◆SCHELL, 107. 109. 121
◆SCHISMATICI ORIENTALES, 15 sq.
39. 51. 52. 57. 59. 66. 75. 96. 162 sq.
257. 262 sq. 268. 277. 280. 286. 304.
307. 320. 327. 339. 345. 353 sq. 354.
357. 358. 374. 377 sq. 386. 394
SCOTISTAE, 152. 398
◆SCOTUS, 27. 29. 34. 56. 59. 62. 71. 87.
149. 154. 177. 308. 310. 329. 364. 379
SEEBERG, 17
SELEUCIANI, 38
SENONENSE CONC. (a. 1524), 406
SEVERIANUS GABALENSIS, 128
SEVERUS (Gabriel), 327
SILVESTER (Papa), 282. 297. 381. 382.
389
SIMEON THESSALONICENSIS, 16. *345.*
353
SIMON MAGUS, 38. 172. 197
SIRICIUS (Papa), *109.* 262. 359
SIRMUNDUS, 279. 300. 360. 379
SMALCIUS, *137*
SMITH (Richard), 338
SMYRNENSE CONC. (a. 1869), 385
◆SOCINIANI, 19. 20. 21. 38. 105. 117.
137
SOCINUS, 62
SOCRATES, 24
SOTO (Dom.), 34. 59. 108. 130. 210. 219.
224. 308. 309. 310. 329. 364
SOZOMENUS, 55
SPACIL, 15
SPALATENSIS (Antonius de Dominis),
263
STAERK, 15
STAKEMEIER, 14. 261
STEPHANUS I, 358. 361
STEPHANUS II, 52. *54*
STEPHANUS TORNACENSIS, 62
STONE, 17
STRABO. *Vide:* WALAFRIDUS
STRABO.
STRAUB, 319
◆SUAREZ, 29. 34. 35. 42. 47. 70. 71. *108.*
127. 139. *147.* 153. 211. 217. 219. 224.
281. 308. 309. 310. 329. 364. 380
SULPICIUS SEVERUS, 115
SYLVIUS, 210. 220
SYMBOLUM EIPHANI!, *14*
SYMBOLUM NICAENUM CONSTAN-
TINOPOLITANUM, *14.* 80. *96*
SYRI, 320
SYRIGUS (Meletius), 353

TANQUEREY, 108. 281. 309. 310. 364
TAPPER (Ruardus), 279
◆TERTULLIANUS, 2. 4. 12. 29. 32. 38.
40. 41. 42. 43. 53. 55. 65. 82. 89. 99. 102.
111. 112. 114 sq. 116. 129. 131. 133. 138.
162. 165. 169. 173. 181. 195. 196. 210.
212. 223. 224. 232. 242. 244. 247. 258.
260. 266. 270. 274. 275. 286. 295. 296.
298. 305. 306. 321. 342. 343. 345. 352
Textus:
Ad uxorem,
2 133
7 133
Adversus Gnosticos Scorpiace,
1 210
8 224
Adversus Marcionem,
1,14 270. 286
3,22 286. 296
Adversus Praxeam,
26 65
Adversus Valentinianos,
4 210
Apologeticum,
50 212
De anima,
39 133
De Baptismo,
1 38.41

- 3 40
4 41.42.247
5 41.82
6 65.345
7 53.181.258.286.
296.306
7-8 270.321
8 4.181.258
9 40
10 242.244
11 29.32
12 129.131
12-13 112
12-14 111
13 55.65
15 99.102
16 212
17 162.165.173
18 115.196
19 175.116.181
20 53.89.181
De carnis resurrectione,
8 270.286.296
De corona,
3 181
3-4 43
De praescriptione,
36 270.286
40 266
41 162
De pudicitia,
22 223
De virginibus velandis,
9 162
TESTAMENTUM D. N. J. C., 289. 295.
297. 298. 299. 322. 323. 331. 333. 388.
406
THEINER, 192. 193. 240. 383
THEODORETUS, 38. 55. 61. 265. 285.
299. 360
THEODORICI (Codex Sancti), 324. 325.
331
THEODORETUS LECTOR, 75
THEOPHILUS (Antiochenus), 259. 269.
274. 278. 286. 296. 314
THEOPHYLACTUS, 98
♦THOMAS AQUINAS. *Vide:* INDEX
THOMISTICUS.
THOMAS CANTUARIENSIS, 208
THOMASSINUS, 380
TIXERONT, 74
TOLETANUM CONC.,
a. 400 (D) 318.319.381.382. 389
a. 633 56.262.282
a. 653 (VIII) 354
a. 675 (XI) 203.262.282.340
TOLETUS, 59. 62. 71. 76. 211. 224
TOLOSANUM CONC. (a. 1590), 374
TOURNELY, 71. 105. 117. 139. 159. 170.
202. 238. 243. 256. 280. 308
TRADITIO APOSTOLICA, 286. 322. 331.
333. 345. 388. 406
TRÉSAL, 17. 263
TRIDENTINA (Acta). *Vide:* ACTA
TRIDENTINA.
♦TRIDENTINUM CONC., 15. 16. 21. 35.
37. 39. 63. 79. 80 sq. 87. 91. 96. 97.
108.109. 110.125. 137. 138.139. 140.
145. 146. 151.163. 164. 191.192. 193.
211. 219. 239.241. 257. 261.262. 263.
265. 267. 281.284. 296. 307.311. 329.
333. 339. 340.341. 354. 364.365. 380.
381. 384. 385. 390. 392. 394
Textus:
Sessio 5, de peccato originali,
can. 4 80. 108. 110. 139. 151
can. 5 80.01
Sessio 6, de justificatione,
cap. 4 35.110.192
cap. 6 139
cap. 7 81. 110. 139. 340
cap. 14 81.139
can. 11 139
Sessio 7, de sacr. in genere,
can. 1 15.21.241.339
can. 4 110.192. 364. 365
can. 6 339
can. 9 80.81.96.340.341.354
can. 10 164
Sessio 7, de Baptismo,
can. 1 15.21.241
can. 1-14 15
can. 2 15.21.39
can. 3 15. 21
can. 4 15.64
can. 5 15.108.110
can. 6 15
can. 6-10 79.81
can. 7 15
can. 8 15
can. 9 15
can. 10 15
can. 11 15.96.97
can. 12 15.125.137.140. 145
can. 13 15.81.97.137.138.
139.140
can. 14 15. 139. 140. 146
Sessio 7, de Confirmatione,
can. 1 262. 265. 267. 339.
364.365
can. 2 262. 281. 284. 307. 311
can. 3 262. 340. 381. 384

- Sessio 13, de Eucharistia,*
cap. 7 193
can. 11 193
Sessio 14, de Poenitentia,
cap. 1 87. 139. 219
cap. 2 81. 87. 97. 340
cap. 4 192. 219
can. 5-6 192
can. 6 340
Sessio 23, de Ordine,
cap. 4 341.385
can. 7 385
 TRIVELLATO, 261
 TROMBELLI, 13. 107. 130. 261
 TRULLANUM CONC. II (seu Quinisextum), 327. 359
 TURONENSE CONC. (a. 1583), 374

 UMBERG, 261. 364
 URBANUS (Papa) (Pseudo), 260
 URBANUS II, 166
 URBANUS V, 390
 URBANUS VIII, 328. 331. 338

 VACANT, 14
 VALENTIA, 71. 279. 281. 308
 VALENTINUS, 209
 VARTANUS, 378
 VASQUEZ, 34. 71. 87. 101. 130. 210
 VECCUS, (Joannes), 383
 VEGA, 139
 VERMEERSCH, 59. 397
 VICECOMES (Visconti), 13. 181. 256. 261
 VICTORIA, 309
 ♦VIENNENSE CONC., 15. 63. 80. 138. 140
 VIGILIUS (Papa), 69. 360

 VIGOUROUX, 14. 249
 VILLIEN, 13
 VITASSE, 256. 260. 261. 263. 264. 267.
 269. 278. 280. 308. 310. 315. 322. 323.
 330. 331. 339. 359. 360. 362. 364. 390.
 398
 VITRIACO (Card. Jacobus de), 210
 VOSEN, 106
 VOSSIUS, 16. 162. 239
 VOSTÉ, 248
 VULGATA, 3. 25. 26

 WADDING, 319
 WALAFRIDUS STRABO, 56. 138. 168.
 234. 293. 299. 402
 WALCH, 16
 ♦WALDENSES, 136. 140. 265. 283. 378.
 381
 WALL, 16
 WEBER, 16
 WELZ, 261
 WERNER, 16
 WERNLE, 79
 WICLEFF, 265. 378. 384
 ♦WICLEFFITAE, 265. 267. 378
 WINDISCH (Hans), 79
 WIRCEBURGENSES, 29. 281
 WIRGMAN, 261
 WOLFF, 16. 50
 WORMATIENSE CONC. (a. 868), 56

 ZACHARIAS (Papa), 63
 ZIMMERMAN, 13
 ZOZIMUS (Papa), 109
 ZWINGLIANI, 105
 ZWINGLIUS, 62. 239

INDEX ANALYTICUS

(Quoad nomina stellulis signata vide: INDEX ONOMASTICUS)

◆**ABAEIARDUS** necessitatem Bapt. ita exaggeravit ut inde vim justificativam contritionis deprimeret, 189 sq.

ABLUTIO.

Nomina Bapt. ex ablutione desumpta, 2
Notio et divisio ablutionis, 50

Ablutio est propria seu proxima materia Bapt., 46 sqq.

Error Baptistarum et Schismaticorum, 50-52

Symbolismus ablutionis. *Vide:* SYMBOLISMUS.

Vide: AQUA.

◆**ALBIGENSES.**

Negant salutarem efficaciam Bapt., 39

Negant validitatem baptismi parvulorum, 136

Reiciunt sacramentum Confirm., 265

Negata hierarchia ordinis, inferunt episcopum et presbyterum aequo jure esse ministros Confirm., 378

◆**ANABAPTISTAE.**

Negarunt liceitatem et validitatem baptismi parvulorum, 106. 137

Quidam rebaptizabant apostatas a fide, 96

◆**ANGLICANI.**

Generaliter retinent rectam doctrinam de Bapt., 17

Ritualistae reponunt Confirm., inter sic dicta sacramenta minora, 264. 266

ANTIQUUM TESTAMENTUM. *Vide:* LEX MOSAICA.

APOSTOLI.

Baptizarunt ante passionem ipso baptismo Christi, 32 sq.

Juxta S. Thomam, ante passionem baptizarunt "In nomine Jesu Christi", 71

Probabiliter susceperunt Bapt., 32. 98. 128 sq.

Potuerunt suscipere Confirm., 376

An Confirm. administraverint in unctione, 281

Juxta S. Thomam, Apostoli ex speciali potestate conferebant Spiritum S., seu

effectum Confirm., etiam extrasacramentaliter, 281

AQUA.

Nomina Bapt. ab aqua desumpta, 2

Prophetia Ezcchielis de aqua salutari, 8 sq.

Aquae salutes apud prophetas referuntur tum ad Bapt. tum ad Confirm., 9. 11 sq. 258

Aqua est materia remota Bapt., 37 sqq. Non tam chemice quam sacramentaliter accipienda est, 37 sq.

Non ipsa aqua sed ablutio est materia proxima Bapt., 46 sqq.

Contrarius error Hugonis a S. Victore, 46 sq.

Benedictio seu consecratio aquae baptismalis, 182

Haec consecratio non pertinet ad essentiam sacramenti sicut consecratio eucharistica, nec aliter docent Patres, 42-44

Symbolismus aquae baptismalis, 8 sq. 11 sq. 89 sq. 92

Aqua per contactum carnis Christi in Jordane vim sanctificandi obtinuit, 28

Calvinus docet aquam in Bapt. intelligendam esse metaphoricè, 21

Vide: ABLUTIO.

ARCANI disciplina potuit esse causa silentii antiquorum de forma Confirmationis, 321 sq.

◆**ARMENI** quidam aliquando adhibuerunt butyrum et oleum sesami ut materiam Confirm., 307

ASPERSIO.

Est materia valida et per se licita Bapt., 53 sqq.

Varii casus baptismi per aspersionem, 57

◆**AUGUSTINUS.**

De Baptismo:

Christus Bapt. instituit in Jordane, 30

Controversia inter Augustinum et Hieronymum de tempore abrogationis A.L., 35 sq.

- Forma trinitaria, 65
 Effectus, 83 sq.
 Necessitas Bapt. contra Pelagianos, 105 sq. 113. 119
 Initerabilitas, 103
 Apostoli baptismum susceperunt, 32. 128 sq.
 In baptismo parvulorum, fidem et intentionem supplet Ecclesia, 130 sq. 142
 Quo sensu S. Doctor negaverit validitatem Bapt. in utero, 147-149. 151. 152
 De quadam ejus interpretatione vocis "natus" in Joan. 3, 5, 147-149. 150 sq. 152
 Parvuli infidelium, invitis parentibus, valide baptizantur, 155
 Fructuositas baptismi parvulorum, 141
 Etiam laicus in necessitate baptizare potest, 165 sq.
 S. Doctor primus inter Patres sibi explicite proponit casum infidelis baptizantis, 166 sq.
 Vim contritionis diserte docet, nec obstant quaedam ejus expressiones de necessitate Bapt., 195. 197 sq. 200. 201 sq. 232 sq.
 Effatum "Voluntas pro facto reputatur", 233
 Efficacia martyrii, 214
 Effatum "Injuria est pro martyre orare", 214
 Effatum "Martyres non facit poena, sed causa", 208
 S. Doctor primus Bapt., contritionem et martyrium ad invicem comparat, dans originem formulae "Baptismus fluminis, flaminis et sanguinis", 232 sq.
 Baptismus Joannis, 239. 242. 247
De Confirmatione:
 Ratio sacramentalis, 273. 275.
 Materia proxima, 289 sq. 297
 Materia remota, 309. 315
 Effectus, 342 sq.
 Character, 344
 De initerabilitate, seu de quodam textu circa iterationem impositionis manuum, 356
 AUREOLA competit martyribus ac distinguitur a communi aura beatorum, 224
 ♦BAIUS necessitatem Bapt. ita exaggeravit ut inde vim contritionis et charitatis deprimeret, 190 sq. 193
 BALSAMUM.
 Compositio, 303 sq.
 Ejus usus in Confirm., apud Graecos et Latinos, 303-306
 Disputatio theologorum de necessitate balsami in materia Confirm., 308 sq.
 Convenientia usu balsami in oleo Confirm., 313-315
Vide: CHRISMA. OLEUM.
 BAPTISMUS.
 Fundamentum vitae Christianae et janua Ecclesiae, 1. 7 sq. 67. 129. 182. 251. 254
 Definitio nominalis, 2-4
 Nomen "Baptismus" ejusque multiplex acceptio, 3 sq.
 Definitio realis, 4, 254. 352
 Typi et prophetiae, 8-12
 Textus Scripturae de Bapt., 5-8
 Institutio per Christum, 19 sqq.
 Bapt. non derivatur ex caeremoniis judaicis, 26 sq.
 Tempus institutionis, 27 sqq.
 Ratio ritus sensibilis: objectiones Rationalistarum, 25 sq.
 Materia remota, seu aqua vera et naturalis, 37 sqq.
 Materia proxima seu ablutio, 46 sqq.
 Forma, 60 sqq.
 Effectus, 1. 6-8. 78 sqq.
 Initerabilitas seu unitas, 95 sqq.
 Necessitas, 104 sqq.
 Subjectum, 128 sq. 135 sqq.
 Minister, 136. 160 sqq.
 Caeremoniae, 15 sq. 181 sqq.
 De suppletivis Bapt., i.e. contritione et martyrio, 188 sqq.
 De praeparatoriis Bapt., i.e. baptismo Joannis et Circumcisione, 235 sqq.
 Habitudo et comparatio Bapt. cum Confirm., 255, 258. 337. 343 sq. 349. 350. 351 sq. 375. 388. 393
 Habitudo et comparatio Baptismi cum Eucharistia. *Vide:* EUCHARISTIA.
 Habitudo et comparatio Baptismi et Circumcisionis. *Vide:* CIRCUMCISIO.
 BAPTISMUS ANTE PASSIONEM.
 Apostoli baptizarunt ante passionem, 5
 Talis baptismus non fuit baptismus Joannis sed Christi, 32
 Nec fuit occasio ipsius institutionis Bapt., 28 sq. 31 sq.
 BAPTISMUS CLINICORUM, 54
 BAPTISMUS FLUMINIS, FLAMINIS ET SANGUINIS.
 Origo et vis hujus distinctionis, 231-235

- Descendit ab Augustino ac coepit vulgari tempore Petri Lombardi, 4. 231. 234
 Ratio trium nominum, 231
 Haec distinctio supponit martyrium habere efficaciam ex opere operato et non ex ipso opere operantis charitatis, 216
 Ex hac ipsa distinctione extollitur ipsa unitas et absoluto necessitas Bapt., 236 sq.
 Comparatio inter haec tria baptismata quoad necessitatem, efficacitatem et perfectionem, 237
 In tribus baptismatibus operatur passio Christi, 222
Vide: CONTRITIO. MARTYRIUM.
- BAPTISMUS "IN NOMINE JESU CHRISTI".**
 Juxta quosdam, ut Hugonem, Lombardum et Cajetanum, Bapt. in forma "In nomine Jesu Christi" est validus, 62. 69
 Juxta S. Thomam, Bonaventuram et Scotum, Apostoli ex privilegio baptizarunt in tali forma, 62. 71
 Sensus Patrum de baptismo "In nomine Jesu Christi", 67-71
 Variarum sententiarum theologorum de tali baptismo, 68-72
 Communis sententia modernorum est Bapt. nunquam in tali forma administratum esse, 25. 71 sq.
 Bonosiaci baptizabant in solo nomine Christi et in unica immersione, 61
- BAPTISMUS "IN NOMINE TRINITATIS"** juxta quosdam, ut Cajetanum, est validus, 62
- BAPTISMUS IN SPIRITU ET IGNE.**
 Interpretatio Patrum et S. Thomae, 4. 26. 45
 Interpretatio quorundam haeticorum, 38 sq.
- BAPTISMUS JOANNIS.**
 Fuit a Deo institutus, 243 sq.
 Distinguitur a ritibus A.L., 245
 Non habuit eandem vim ac Bapt. Christi, 21. 241. 246 sq.
 Non habuit efficaciam remissivam, 239. 244. 245 sq. 247 sq.
 Fuit ritus quidam poenitentiae, 3. 29. 31. 239. 242. 243. 244. 245. 246. 247. 248. 252. 259
 Non fuit sacramentum, sed sacramentale, 244 sq.
- Quidam theologi illum dixerunt sacramentum, 240
 Ejus habitudo et distinctio a Bapt. Christi, 10 sq. 22. 26. 30 sq. 241-243. 245 sq.
 Quidam haetici illum identificarunt cum Bapt. Christi, 238 sq.
 Quidam haetici baptismum Joannis retinuerunt, 246
 Apostoli ante passionem baptizarunt non baptismo Joannis sed Christi, 32
Vide: JOANNES BAPTISTA.
- ◆**BAPTISTAE.**
 Docent necessitatem ablutionis per immersionem, 50
 Negant validitatem baptismi parvulorum, 137
- BEATA VIRGO.**
 Probabiliter suscepit Bapt., 129
 Potuit suscipere Confirm., 376
 Apud Collyridianos mulieres consecrabant Euch., seu panem offerebant, in nomine Mariae, 161
- BENEDICTIO.**
 De benedictione aquae baptismalis doctrina Patrum, 42-44
 Ejus discrimen a benedictione seu consecratione materiae Euch., 43
 Benedictio seu consecratio chrismatis Confirm., 306 sq.
 Theologi disputant an consecratio chrismatis sit de necessitate sacramenti, 309 sq.
 Quare ecclesiastica consecratio materiae sit de essentia Confirm., non vero Bapt. et Euch., 317
 Ceterum dici potest materiam omnium sacramentorum quodammodo consecrari, quamvis diverso modo, 317
 Consecratio chrismatis in Feria V in Coena Domini, 294. 303. 306. 313. 402
 Ipsa est reservata episcopo, jure proprio et ordinario, 318
 Probabiliter competit etiam presbytero, jure extraordinario et a Papa delegato, 319
- ◆**BENEDICTUS XIV.**
 Parvuli infidelium valide sed illicite, invitis parentibus, baptizantur, 154. 155. 157-160
- BIBLIOGRAPHIA.**
 Patrum, de Bapt., 12 sq., et Confirm., 259 sq.

- Theologorum, de Bapt., 13 sq., et Confirm., 260 sq.
 Protestantium, de Bapt., 16 sq., et Confirm., 263
 Schismaticorum, de Bapt., 15, et Confirm., 262
- ◆BILLUART distincte proponit ac negat validitatem Bapt. in utero, 149
- ◆BONAVENTURA.
 Christus instituit Bapt. ante passionem cum misit discipulos ad baptizandum, 29
 Ex speciali dispensatione Apostoli baptizarunt "In nomine Jesu Christi", 62
 S. Doctor accedit ad errorem Hugonis a S. Victore circa propriam materiam Bapt., 47
 Videtur docere aliquod extraordinarium medium salutis pro parvulis praeter Bapt., 106
 Videtur reducere vim martyrii ad efficaciam ex opere operantis charitatis, in eo contentae, 210
 Videtur docere Confirm., esse stricte necessariam ad salutem, 364
 Forma Confirm., 324
- CAEREMONIAE.
 Baptismi, 181-187
 Confirmationis, 401-407
- ◆CAJETANUS.
 Valida est forma Bapt. "In nomine Trinitatis", 62
 Valida est forma "In nomine Jesu Christi", 62. 69
 Peculiaris opinio de extraordinario remedio salutis pro parvulis praeter Bapt., 106. 107 sq. 120 sq. 131
 Singulariter putat validum esse Bapt. in quo unus minister applicet materiam, alius vero formam, 177 sq.
 Ratio et vis martyrii extenditur ad parvulum in utero matris martyris, 224
 Balsamum non est essenziale in materia Confirm., 308
- ◆CALVINISTAE.
 Bapt. non est ritus efficax gratiae, 21
 Bapt. non est absolute necessarius, 117
 Simpliciter reiciunt baptismum a laico administratum ac plures illius validitatem negant, 17. 162
 Simpliciter abiciunt Confirm., secus ac Lutherani, 264. 266
- ◆CALVINUS.
 Aqua in Scriptura, ubi agitur de Bapt., intelligenda est metaphorice, 21
 Bapt. est de necessitate solius praecepti, adeoque nullo modo quoad parvulos, 106. 133
 Bapt. parvulorum est validus, 137
 Reprobanda est praxis Ecclesiae, juxta quam laicus in casu necessitatis Bapt. administrat, 162
 Calvinus vehementer impugnat Confirm., 264. 266
 Ait chrisma esse foetum romanae superstitionis, 307
 Reicit formam Confirm., 327
 Denegat Confirmationis effectum spiritualis roborationis quem tribuit Bapt., 338
 Ait reservationem Confirm., episcopis adversari Scripturae et Traditioni, 378. 391
- ◆CATECHISMUS CONC. TRID.
De Baptismo:
 Definitio, 5
 Prophetiae, 8 sq.
 De materia proxima, seu de ablutione et infusione, 52
 Non ipsa aqua sed ablutio est materia proxima Bapt., 46
 Materia remota, seu aqua, ejusque convenientia in usu Bapt., 40. 44
 In forma Bapt. exprimi debent Trinitas, actus ablutionis et subjectum, 64
 Probabiliter Apostoli ex speciali dispensatione baptizarunt "In nomine Jesu Christi", 71
 Tota poena temporalis remittitur per Bapt., 89
 Necessitas Bapt., 110
 Contritio habet vim justificativam, 193
 Distinguuntur tres classes ministrorum, ordinarii nempe, extraordinarii et necessitatis, 164
 De caeremoniis, seu consecratione aquae, statione ad fores Ecclesiae, catechismo, exorcismo, salis in os immissione, sputi linitione, signo crucis, impositione nominis, patrino, unctione in vertice, impositione vestis, traditione cerei, 182-186
De Confirmatione:
 Nomen "Confirmatio", 257
 Materia seu chrisma, 311. 316
 Forma, 328
 Effectus, 341. 343
 Necessitas, 365

- Dilatio Confirm, ad annos discretionis, 374
 Caeremoniae, seu instructio, tempus, patrinus, alapa, datio pacis, 403-406
- ◆CATHARI.
 Negarunt necessitatem Bapt., 105
 Negarunt validitatem baptismi parvulorum, 136
 Baptizabant in loco obscuro, ardentibus facibus illuminato, 39
- CHARACTER SACRAMENTALIS.
 Non confertur nisi per sacramentum, 85. 129. 207. 221 sq.
 Character Baptismi, 78. 80. 84. 93. 94. 102. 103. 351 sq.
 Character Confirmationis, 337. 338. 339. 340. 341. 342. 343 sq. 48. 349-351
 Character Confirm, indicatur verbo "signare", 256. 334. 335. 342. 343
 Ipse consideratur a Patribus ad modum unius cum caractere Bapt., 343 sq.
 Ejus convenientia et essentia, 349-352
 Comparatio characterum Bapt. et Confirm. eorumque specifica distinctio, 351 sq.
 Character Confirm, est potentia passiva, non vero activa, ut quidam putarunt, 350 sq.
- CHARITAS. *Vide:* CONTRITIO.
- CHRISMA.
 Est nomen ipsius Confirm., 256 sq.
 Ejus elementa et confectio, 302-307. 402
Vide: BALSAMUM. OLEUM.
- CHRISTUS.
 Non potuit suscipere Bapt. et Confirm., nec ullum aliud sacramentum praeter Euch., 376
 Immediate Confirm, instituit, 276
Vide: INCORPORATIO AD CHRISTUM.
- CIRCUMCISIO.
 Ratio nominis, 248
 In usu erat apud plures populos gentiles, 249
 Apud quasdam tribus etiam feminae subiciebantur operationi simili Circumcisioni, 248
 Rationes physiologicae et hygienicae in usu Circumcisionis, 249
 Ejus divina origo apud Hebraeos, 249 sq.
 Apud quasdam sectas haereticas Circumcisio retenta est, 250
 In A. T. erat verum sacramentum praeparatorium et figurativum Bapt., 251 sq.
- Delebat peccatum originale, 251
 Ejus habitudo ad Bapt., 2. 7. 10. 32. 132. 141. 142. 143. 235. 245. 251 sq.
 Convenienter instituta est tempore Abrahae, pro solo populo hebraico, pro solis masculis, in membro generationis, pro octavo die a nativitate, 252-254
- *CODEX J.C.
De Baptismo:
 Materia proxima, 53
 Materia remota, 40
 Benedictio aquae baptismalis, 42
 Initerabilitas Bapt., 97
 Necessitas, 111
 Subjectum, 150. 151
 De baptismo parvulorum, 139. 146. 150. 151
 De baptismo non differendo, 125. 126
 In quibusnam casibus possint parvuli infidelium, absque parentum consensu, baptizari, 159 sq.
 Minister Bapt., 164. 176
 De caeremoniis, seu de tempore et loco, 184 sq.
De Confirmatione:
 Materia, 277. 300
 Forma, 319
 Necessitas, 365 sq.
 Initerabilitas, 354
 Subjectum, 371. 372
 De differenda Confirm, ad annos discretionis, 374
 Minister, 386
 De caeremoniis, seu de prima manuum impositione, instructione, loco, tempore, patrino, 403-405
- COMMISSIO BIBLICA.
 De textu *Matth.* 28, 19 et *Marc.* 16, 16, 24
- CONCUPISCENTIA an auferatur per Bapt., 90 sq.
- CONFIRMATIO.
 Definitio nominalis, 256 sq.
 Nomen "Confirmatio", 256 sq.
 Definitio realis, 255. 257 sq. 337. 352 sq. 407
 Typi et allusiones Confirm, in A.T., 258
 Textus Scripturae de Confirm., 259. 267 sq.
 Documenta Ecclesiae, 261 sq.
 Patres et theologi, 259 sq.
 Haereses, 262-264
 De institutione, 264 sqq.

- Immediata institutio per Christum, 276
 Tempus institutionis, 276
 Materia proxima seu chrismatio, 277 sqq.
 Materia remota seu chrisma, 301 sqq.
 Forma, 319 sqq.
 Effectus, 337 sqq.
 Initerabilitas, 353 sq.
 Necessitas, 363 sqq.
 An susceptio Confirm., sit praemittenda
 susceptioni aliorum sacramentorum
 praeter Bapt., 371
 De subjecto, 372 sqq.
 De ministro, 377 sqq.
 Caeremoniae, 401 sqq.
 Habitudo et comparatio cum Bapt., 255.
 258. 317. 337. 338. 343 sq. 349. 350.
 351 sq. 375. 393
 Habitudo et comparatio cum Euch., 255.
 317. 348. 367. 376. 395
- CONTRITIO.**
- Sufficientia contritionis ad justificationem
 non officit absolutae necessitati Bapt.,
 127 sq. 203-205. 224 sq.
 Actus contritionis vel charitatis supplet
 Baptismum quoad principalem ejus
 effectum, 188 sqq.
 Contritio nequit supplere Baptismum
 quoad collationem gratiae sacramen-
 talis qua talis et characteris, 204 sq.
 206 sq.
 Eodem fere modo et ratione supplet
 sacramentum Poenitentiae, 189
 Id ex diversis principiis negarunt Prote-
 stantes, Abaelardus et Baius, 189-191
 Quidam theologi efficacitatem justifica-
 tivam contritionis restrinxerunt, 191
 Quidam, ut Abaelardus et Baius, ita
 necessitatem Bapt. exaggerarunt ut
 inde vim justificativam contritionis
 deprimerent, 189-191
 Quo sensu alia opera bona, praeter con-
 tritionem, dicantur justificare, 204
 Contritio non necessario requiritur in
 martyrio, 218. 226-229
- ◆**CYPRIANUS** docet parvulos quam-
 primum baptizandos, 109
- ◆**CYRILLUS HIER.**
- Praeclare agit de Confirm., quae ideo a
 Protestantibus vocata est "Chrisma
 Cyrillianum", 260. 273
 De caractere Confirm., 344
- DEFINITIO.**
- Definitio nominalis Bapt., 2-4
 Definitio nominalis Confirm., 256 sq.
- Definitio realis Bapt., 4. 254. 352
 Definitio realis Confirm., 257 sq. 337.
 352 sq. 407
- DIACONI.**
- In Scriptura leguntur baptizasse, 172
 Diaconus est minister extraordinarius
 Bapt., 173. 175 sq.
 Differentia in hoc a presbytero, 173. 175
 Licentia qua indiget diaconus est diversae
 indolis ab ea qua indiget presbyter,
 175
- DILATIO.**
- Baptismi dilatio, tam quoad parvulos
 quam quoad adultos, non convenit
 nec licet, 123-127. 144-146
 Abusus quidam in antiqua ecclesia quoad
 Bapt. dilationem, 115
 Minus recta severitas Nazianzeni et
 Tertulliani, 115
 Confirmationis dilatio, 374 sq.
- DONATISTAE.**
- Pctilianus Donatista, quem impugnavit
 Augustinus, docuit baptismum Joannis
 et Baptismum Christi esse unum, 239
- ◆**DURANDUS.**
- Bapt. Joannis fuit sacramentum A.L., 240
 Parvuli infidelium invalide baptizantur,
 invitis parentibus, 138. 153
 Forma Confirm., 326
 Negat presbyterum ex licentia eccle-
 siastica posse Confirm., administrare,
 380
- ECCLESIA.**
- Nequit mutare materiam et formam
 sacramentorum, et signanter Bapt.,
 contra id quod docent quidam theo-
 logi, 68 sq. 280. 333
 Documenta Ecclesiae de Bapt., 14 sq.
 Bapt. est janua et fundamentum Eccle-
 siae, 1. 7 sq. 129. 254
 Varia praxis Ecclesiae quoad modum
 ablutionis, 53-57
 Praxis rebaptizandi haereticos, 97 sq.
 Praxis conferendi Bapt. statutis solem-
 nioribus diebus non obstat doctrinae
 de absoluta necessitate Bapt., 115 sq.
 Praeceptui Ecclesiae subicitur non ipsa
 susceptio Bapt. sed modus illius, 123
 Ecclesia supplet intensionem et fidem in
 parvulis baptizandis, 130 sq. 142 sq.
 156 sq. 183
 Praxis non baptizandi parvulos infide-
 lium, invitis parentibus, 159 sq.
 Hi parvuli, si baptizantur, ipso facto

- constituuntur sub potestate Ecclesiae, 155 sq.
- Separatio ab Ecclesia non obstat quominus paganus baptizare possit, 171
- Pluralitas ministrorum in eodem baptismo est aliena a praxi Ecclesiae, secus ac concelebratio in Euch., 179
- Praxis non exigendi confessionem ad suscipienda quaedam sacramenta vel indulgentias ostendit persuasionem de vi justificativa contritionis, 193
- Cui persuasioni non obstat praxis quarundam ecclesiarum denegandi suffragia mortuis sine Bapt., 200 sq. 203
- Praxis differendi Confirm., ad annos discretionis, 374 sq.
- Diversa praxis apud Latinos et Graecos quoad reservationem Confirm., episcopis, 388-391. 397 sq.
- De antiqua praxi reconciliandi haereticos per manuum impositionem, 358-362
- In Confirm., validitatem intervenit usus jurisdictionis Ecclesiae, 395 sq. 398-400
- EFFECTUS.**
- Quid integraliter importet gratia regenerationis Bapt., 85-95
- Quid integraliter importet gratia plenitudinis Confirm., 347 sq.
- Peculiaris effectus Bapt. est illuminatio, a qua Bapt. dicitur *φοτισμός* et in cujus signum traditur cereus accensus baptizato, 2. 45. 83. 93. 95. 100. 186 sq.
- Peculiaris effectus Confirm., est gratia roborativa contra exteriora agentia, ex qua Confirm., definitur sacramentum militiae Christianae, 294. 295. 340 sq. 342 sq. 348. 350. 351. 368. 369. 373. 393. 395. 404. 406. 407 sq.
- Comparatio inter effectum Bapt. et effectum Confirm., 349. 352
- Gratia Bapt. et gratia Confirm., differunt specificè, 349
- EPISCOPUS.**
- Discrimen inter episcopum et presbyterum in ratione ministri Bapt. et Confirm., 173. 174 sq. 393 sq. 395
- Episcopo competit apex ministerii, 175. 393. 395
- Episcopo proprius competit officium docendi, presbytero autem baptizandi, 175
- Convenientia praxis latinae reservandi episcopis administrationem Confirm., 397
- EUCCHARISTIA.**
- Apud Collyridianos, mulieres Euch. consecrabant seu panem offerebant, et quidem in nomine Mariae, 161
- Praeceptum confessionis communioni praemittendae, 193
- Discrimen inter Euch. et Bapt. quoad materiam, 43 sq. 46. 49. 315. 319
- Discrimen inter necessitatem Bapt. et necessitatem Euch., juxta Joan. 3, 5 et Joan. 6, 54, 134
- Euch. quodammodo participat ipsam absolutam necessitatem Bapt., 134
- Convenientia inter Euch. et Bapt. quoad qualitatem ministri, 174
- Differentia inter Euch. et Bapt. quoad simultaneam administrationem plurium ministrorum, 179
- Habitudo inter Euch. et Confirm., 255. 317. 348. 367. 376. 395
- ◆**EUNOMIANI** baptizabant in unica immersione et adulterabant formam Bapt. ad inculcandam suam hacresim antitrinitariam, 55. 61
- ◆**FARVACQUES** docet in forma Bapt. non esse necessariam expressionem ablutionis, 62
- FICTIO SEU OBEX.**
- De effectu Bapt. fecte suscepti, 87 sq.
- FIDES.**
- Duo semper fuerunt media regenerationis, i.e. fides et sacramentum, 119 sq. 131
- Fides justificat per sacramentum, 119. 131
- In parvulis supplet fides Ecclesiae, 130 sq.
- Protestantes docent solam fidem justificare, 130
- Inde negant veram indolem sacramentalem Bapt., ejus necessitatem et aptitudinem parvulorum ad illum suscipiendum, 21. 105 sq. 130. 137
- ◆**FLORENTINUM CONC.**
- De Baptismo:*
- Generalis doctrina, 15
- Materia remota, 39
- Materia proxima est non aqua sed ablutio; nihil tamen Cone, explicite decernit de genere ablutionis, 47. 52
- Forma, 63. 72
- Explicite declarans validitatem formulae graecae, Cone, putat eam esse deprecativam, potiusquam declarativam, 76
- Effectus, 80

- Initerabilitas, 96
 Necessitas, 109
 Minister, 163 sq.
De Confirmatione:
 Generalis doctrina, 261
 Existentia sacramenti, 267
 Materia remota, 302. 311. 316
 Materia proxima, 284. 298 sq.
 Forma, 324
 Effectus, 340. 341
 Initerabilitas, 354
 Minister, 384
- FORMA.
 Forma debet exprimere quidquid pertinet ad speciem sacramenti, 331. 335
 Oportet ut forma sacramenti exprimat effectum; non tamen ex hoc tantum potest forma determinari sed oportet attendere ad voluntatem Institutoris, 60 sq.
Baptismi forma tria importat, i.e. mysterium Trinitatis, actum abluendi et subjectum ablutionis, 60 sqq.
 De forma "In nomine Jesu Christi".
Vide: BAPTISMUS "IN NOMINE JESU CHRISTI".
 Potuerunt Apostoli ante passionem baptizare absque formula trinitaria, 33
 Forma Bapt. est formaliter pronuntianda, nec tantum aequivalenter, ut quidam moderni volunt, 73 sq.
 De singulis verbis formulae latinae, 76 sq.
 In formula graeca explicita designatio ministri non invenitur, 75
 Formula graeca est declarativa, non vero deprecativa aut imperativa, 76
 Quidam antiquiores dubitarunt de valore formulae graecae, 76
 Comparatio inter formulam latinam et graecam, 75 sq.
 Prima mentio formulae latinae habetur in Sacramentario Gregoriano, formulae vero graecae apud Theodorum Lectorem, 75
Confirmationis forma non facile determinari potest, 320 sq. 328-330. 332
 Tentamen solutionis offertur, 332-337
 Variae formulae in Traditione, 321-327
 De formula "In nomine P. et F. et Sp. S." quae invenitur apud quosdam antiquos, 325 sq.
 Hanc quidam dixerunt esse validam, 329 sq.
 Comparatio formae Confirm, cum forma Bapt., 337
- Formula latina et formula graeca, 319 sq.
 In utraque exprimitur signatio, non vero distincta manuum impositio, 300
 Convenientia formulae latinae, 331 sq.
 Formula graeca, 320. 326 sq.
 Non inepte Orientales hanc derivant ex *2 Cor. 1, 21 sq.; Ephes. 1, 13; 4, 30, 286*
 Formula graeca est unica, ea nempe quae adhibetur in unctione, 331
 Formula graeca valida declarata est ab Ecclesia, 328. 331
 Comparatio inter formulam latinam et graecam, 336
- FRATICELLI negant necessitatem Bapt. 105
- GALTIER.
 Peculiarem proponit interpretationem textus *Hebr. 6, 4. 6*, 101 sq.
 Docet materiam Confirm, esse solam unctionem, 280. 299
- ◆GNOSTICI.
 Plures sectae cum Gnosticism© connexae, ut Manichaei, Quintilliani, Archontid, Seleuciani et Hermiani, ex principio manichaco de pravitate materiae aquam ex Baptismo respuerunt vel non necessariam dixerunt, 38 sq.
 Quidam utebantur aqua oleo commixta, 38
 Alii adustionem super aures baptizatorum efficiebant, 38
 Marcosiani adulterabant formam Bapt., 61
 Gnostici omnes negarunt necessitatem Bapt., 105
 Plures meritum martyrii reiecerunt. 209 sq.
- GRAECI.
 Ritus Confirmationis, 277
 Apud graecos habetur sola chrismatio absque distincta manuum impositione, 300
 Praxis confirmandi parvulos immediate post Bapt., 374
 Praxis confirmandi per presbyteros, 390 sq.
Vide: FORMA.
- GRATIA.
 Spiritualis regeneratio et incorporatio ad Christum, 84 sqq.
 Ex his conceptibus deducuntur omnes particulares effectus Bapt., 84

Quomodo gratiae Bapt. convenient pro-
particulares effectus Bapt., 84

Habitudo gratiae Bapt. ad gratiam
ceterorum sacramentorum, 92 sq.

◆HADRIANUS VI.

Docet validitatem Bapt. "In nomine
Jesu Christi", 62

Negat presbyterum posse ex licentia
ecclesiastica Confirm. administrare, 380

◆HUGO A S. VICTORE.

Docet ipsam aquam esse materiam
proximam Bapt., 46 sq.

Validus est Bapt. "In nomine Jesu
Christi", 62

De tempore quo lex Bapt. obligare
coeperit, 35

Contritio supplet sacramentum in voto,
198 sq.

Baptismus Joannis fuit sacramentum,
240

De necessitate Confirm., 368

ILLUMINATIO est specialis effectus ex
quo Bapt. accepit nomen *φωτισμόι* et
baptizati vocabantur illuminati, 2. 45.
93. 95. 100. 186 sq.

IMMERSIO.

Probabiles rationes quare immersio
baptismalis in desuetudinem abierit, 57

Immersio totalis non requiritur, 60

Non requiritur emersio, contra quosdam
Orientales, 59

Valida est immersio occisiva, contra
quosdam theologos, 59

De liceitate immersionis occisivae, 59

Praxis unius immersionis in ecclesia
hispanica, 51. 55 sq.

Trina immersio fuit communis praxis
usque ad saec. 14, 53-56

Trina immersio dicitur a S. Thoma
communis praxis sui temporis, 56

Error Orientalium de necessitate im-
mersionis, 51 sq.

Eunomiani et Bonosiaci baptizabant in
unica immersione, 55. 61

INCORPORATIO AD CHRISTUM fit
dupliciter, i.e. per fidem et sacramentum,
ac diversimode in triplici lege, 119 sq.
131

INFIDELES. *Vide:* PAGANI.

INFUSIO AQUAE.

Est materia valida et licita in Bapt.,
53-60

Varii casus ablutionis per infusionem
in antiqua praxi, 53-55

Ritus infusionis praevaluit saec. 15, 56

Haec praxis impugnatur a Schismaticis
et, inter Protestantes, a Baptistis, 50-52

INITERABILITAS.

Initerabilitas seu unitas *Baptismi*, 95-
104

De praxi rebaptizandi haereticos, 97 sq.

Varia doctorum expositio de textu
Hebr. 6, 4. 6, 100-102

Initerabilitas *Confirmationis*, 353-363

De quodam textu Augustini, 356 sq.

De reconfirmatione Bulgarorum sub
Nicolao P., 357 sq.

De antiqua praxi reconciliandi haereticos,
358-362

INNOCENTES (SS.).

Ecclesia eos colit ut sanctos propter
martyrium pro Christo, 215

Missa et Officium SS. Innocentium, 211

Armachanus docuit eos fuisse justificados
non ex martyrio pro Christo sed ex
Circumcisione, 210

Jacobus de Vitriaco docuit eos fuisse
justificados ex martyrio sed tanquam
ex peculiari privilegio quod non
extenditur ad alios parvulos, 210

◆INNOCENTIUS III.

De necessitate aquae in Bapt., 39

De validitate baptismi parvulorum
contra Catharos, 137. 139 sq.

De fructuositate ejusdem baptismi, 138

Contritio vel charitas supplet Bapt., 192

De vi justificativa martyrii, 210

De Confirmatione, 297

De necessitate balsami in oleo Confirm.,
311. 314. 315

De materia proxima Confirm., 283, de
ejusque effectu, 340, et ministro, 378.
383

INSTITUTIO.

Aliud est institutio et aliud obligatio
sacramenti, 33

INTENTIO.

Axioma "Voluntas pro facto reputatur",
233 sq.

In parvulis baptizatis intentio suppletur
ab Ecclesia, 130 sq. 142 sq. 145 sq. 183

Obligatio Bapt. non pendet ab accepta-
tione subjecti, 139. 145. 146

Vide: VOTUM.

◆SIDORUS HISP.

De formula trinitaria Bapt., 65

- Quo sensu negaverit validitatem baptismi in utero, 148 sq.
Speciale caput habet cui titulus "De Confirmatione", 260. 274
De materia Confirm., 290 sq.
- IXΘΣ.
- De sensu et usu hujus symboli, 41 sq.
- ◆JANSENISTAE.
Homo debet tota vita agere poenitentiam pro peccato originali, 81
In Bapt. non est necessaria expressio actionis ablutivae, 62
Vide: QUESNEL.
- JOANNES BAPTISTA.
Nomen, 3
Indoles praecursoris ejusque baptismi, 26. 238 sq.
Sanctificatus est in utero, 105. 128. 137. 147
Fuit martyr vere et proprie, 208
Vide: BAPTISMUS JOANNIS.
- ◆JOSEPH (S.) sanctificatus est in utero, 105. 128
- ◆JOVINIANUS exaggeravit effectum Bapt., 79
- JUSTIFICATIO ex opere operantis obtinetur per solam charitatem seu contritionem, 203 sq.
- JUSTITIA ORIGINALIS.
Quomodo per Bapt. restituatur, 86. 90 sq. 93
Ipsam donum integritatis per Bapt. aliquantulum restituitur, 93
- *KLEE peculiarem habet opinionem de extraordinario remedio salutis pro parvulis praeter Bapt., 106 sq. 121
- LAICUS.
Est minister baptismi validi et, in necessitate, liciti, 165 sq. 170
Nec obstat defectus characteris ordinis, 170. 171
In Scriptura laici baptizasse non leguntur, 165
Ipsi Rebaptizantes directe non negabant laicum baptizare posse, 169
- LEX MOSAICA.
Fuit figura N.L., 251
Abrogata est in morte Christi, 29. 33. 34
Prophetiae et figurae Bapt., 9-12, 22. 40
Figurae Confirm., 258. 286
- Unctio et impositio manuum in A.T., 258. 298. 301
Martyrium probabiliter justificavit etiam in A.T., 224
Baptismus non derivatur ex caeremoniis judaicis, 26 sq.
Vide: CIRCUMCISIO.
- LEX NATURAE. *Vide:* REMEDIUM NATURAE.
- LEX NATURALIS.
Providentia supernaturalis non destruit naturam ejusque leges, 156. 157 sq.
Susceptio Bapt. est etiam de necessitate juris naturalis, 122
De jure naturali parentum relate ad baptismum parvulorum, 152-160
- ◆LIBERALES PROTESTANTES.
Negant divinam institutionem Bapt., 20
Eorum interpretatio textuum *Matth.* 28, 19; *Marc.* 16, 16; *Joan.* 3, 5, 23 sq.
Vide: MODERNISTAE. RATIONALISTAE.
- LITURGIA.
Textus *Ezech.* 47, 1 sqq. de aqua salutari, 8. 12
Institutio Bapt. in Jordane, 28
Convenientia aquae ut materiae Bapt., 44
Consecratio chrismatis intra Missam Feriae V in Coena Domini, 294. 303. 306. 313. 402
Missa SS. Innocentium, 211
Missa Dominicae in Albis, 186
Missa Pentecostes, 276
Vide: RITUALE ROMANUM. PONTIFICALE ROMANUM. SACRAMENTARIA GELASIANUM ET GREGORIANUM.
- ◆LUCIFERIANI. quos impugnat Hieronymus, identificant baptismum Joannis cum baptismo Christi, 238 sq.
- ◆LUTHERANI.
Negant Bapt. habere efficaciam sanctificativam, 21
Docent quemlibet esse legitimum ministrum Bapt., 17
Retinent quamdam caeremoniam confirmatoriam, 264. 265 sq. 278 sq.
- ◆LUTHERUS.
Omne liquidum est materia valida Bapt., 17. 39
Forma non est necessaria in Bapt., 61 sq.
Baptizatus nequit damnari nisi ex sola incredulitate, 79

- Per Bapt. peccatum proprie non deletur, 79
- Baptismus parvulorum est validus, 137
- Baptismus Joannis et baptismus Christi sunt idem, 239 sq.
- De Confirmatione, 265 sq.
- Confirmatio non habet effectum roborationis, qui provenit ex Eucharistia, 338
- Reservatio Confirmationis episcopis adversatur Scripturae et Traditioni, 378
- ◆MANICHAEI negant utilitatem Bapt., 78
Vide: GNOTICI.
- MANUUM IMPOSITIO.
- Usus impositionis manuum in Scriptura, 301
- Manuum impositio est de essentia Confirm., contra aliquos theologos, 279 sq. 298-301
- Ex ipsa nomen derivavit Confirmatio, 256
- Est maxime symbolica proprii effectus Confirmationis, 402 sq.
- Quomodo ejus origo explicetur a Protestantibus, 278
- De quodam textu Augustini circa manuum impositionem, 356 sq.
- De antiqua praxi reconciliandi haereticos per manuum impositionem, 358-362
- ◆MARCION.
- Conferebat mulieribus ordinariam potestatem baptizandi, 161
- Marcionitae ter eundem hominem baptizabant, 96
- MARTYRIUM.
- Definitio et conditiones, 207-209
- Stricte loquendo martyres non fuerunt B. Virgo et S. Joannes Ev., 208
- In parvulis martyrium habet imperfectam rationem, 209
- Ad veram martyrii rationem requiritur ut mors sequatur, 208
- Milites morientes in bello sancto possunt esse martyres, 208
- Martyrium, ut opus operantis, est actus elicitus a virtute fortitudinis, 209
- Martyrium justificat ex opere operato, 215-217
- Ratio efficacitatis martyrii est ipsa conformitas cum morte Christi, 217. 228
- Sufficiencia martyrii ad justificationem non officit absolutae necessitati Bapt., 127 sq. 217. 224 sq.
- Etiam illi qui, ut Abaclardus et Baius, vim justificativam contritionis deprimerent in favorem necessitatis Bapt., vim martyrii deprimere ausi non sunt, 189. 190
- In martyrio eadem dispositiones requiruntur et sufficiunt ac in sacramentis mortuorum, i.e. intentio et attritio cum voto Bapt., 217-221
- Non requiritur perfecta contritio seu charitas, nec refert quod frequenter Patres martyrio consociant charitatem, 218. 225-229
- An etiam pro martyre urgeat praeceptum charitatis sicut pro caeteris in mortis periculo, 218
- Martyrium justificat cum voto Bapt., non proprie ex voto Bapt. sicut contritio, 219. 234 sq. 236 sq.
- Attritio in martyrio certe requiritur, nec sufficit intentio moriendi pro Christo, 219 sq.
- Sufficit ut haec intentio sit habitualis, sed probabiliter debet esse explicita, 220 sq.
- Effectus martyrii supplet et superat effectum Bapt., demptis caractere et gratia stricte sacramentali, 204 sq. 221 sq.
- In quo praeciso momento martyrium suum effectum operetur, 229 sq.
- Martyrium non est sacramentum, 224
- Effata: "Martyres non facit poena, sed causa", 208; "Injuria est, pro martyre orare", 211. 214. 216. 223; "In martyrio omnia sacramenta Baptismi complentur", 114. 221; "Baptismus sanguinis secundis maculis non inquinatur", 223
- MATERIA.
- Materia omnium sacramentorum quodammodo consecratur, 317
- Materia sacramenti praexistit a natura, dum forma est totaliter ex institutione, 27
- Materia Confirmationis est unctio et manuum impositio non distincta ab ipsa unctione, 280 sq. 294-301
- ◆MELCHIADIS PAPAE (PSEUDO) EPISTOLA.
- Est documentum apocryhum, antierius tamen saec. 8-9, 260
- Ejus auctoritas late circumfertur in medio aevo; praeclara habet de Confirm., 255 sq. 260. 274
- De materia proxima Confirm., 293, ejusque effectum, 343

MINISTER.

- Minister Baptismi, 160-176
 Pluralitas ministrorum in eodem baptismo non officit validitati sacramenti, sed non licet nec convenit, aliter ac in consecratione Eucharistiae, 177 sqq.
 Differentia inter Baptismum a pluribus administratum et Baptismum a pluribus susceptum, 180
 Minister Confirmationis, 377-401
 Minister ordinarius distinguitur ab extraordinario non ratione frequentioris administrationis, 377
 Convenientia reservationis Confirm., episcopis, 293 sq.
 Convenientia praxis latinae, 397 sq.
 Prima confirmandi facultas apud Latinos facta presbyteris ascendit ad saec. 6, 389
 De indole potestatis presbyteri ut ministri Confirm., 398-400

◆MODERNISTAE.

- Negant Christum Bapt. instituisse, 20
 Docent unicum ritum initialem divisum fuisse in Bapt. et Poenitentiam, 20
 Eorum interpretatio textuum *Matth.* 28, 19; *Marc.* 16, 16; *Joan.* 3, 5, 23 sq.
Vide: LIBERALES PROTESTANTES. RATIONALISTAE.

MULIER.

- Mulier est minister Bapt. validi et, in casu necessitatis, liciti, 166
 Nec obstat ratio sexus et subjectionis, 170 sq.
 In Scriptura mulieres baptizasse non leguntur, 165
 Primae explicitae affirmationes ministerii mulierum habentur saec. 11, 166
 Quidam haeretici, ut Marcion, conferebant mulieribus ordinariam potestatem baptizandi, 161
 Tertullianus, Const. Apost. et Cone. Carth. IV, invehuntur contra petulantiam mulierum in sacris, 162
 Quaedam famosa mulier, de qua Firmilianus, 161
 Quintilia, contra quam Tertullianus scripsit librum De baptismo, 38.41.162
 Apud Collyridianos mulieres Eucharistiam consecrabant, seu panem offerebant, et quidem in nomine Mariae, 161
 Apud quasdam tribus mulieres subiciebantur operationi simili Circumcisioni, 248

- Fragilitas sexus feminini non obstat susceptioni Confirmationis seu sacramenti militiae et pugnae Christianae, 373

NECESSITAS.

- Necessitas medii et praecepti, 104. 128. 363 sq.
 Necessitas in re vel in voto, 104. 128. 346. 370
 Necessitas *Baptismi*, 104-134
 Absolutae necessitati Bapt. non obstat vis justificativa contritionis aut martyrii, 127 sq. 204 sq. 224 sq.
 Quidam necessitatem Bapt. ita exaggerarunt ut inde deprimerent vim justificativam contritionis, 189-191
 Talis tamen defectus nequaquam continetur in quibusdam Patrum expressionibus, 200-203
Confirmatio est moraliter necessaria, non vero stricte sive de necessitate medii sive de necessitate praecepti, 363-371
 Necessitas praecepti ecclesiastici ex nullo documento probari potest, 367-370
 De culpabilitate omittendi Confirm., 370 sq.

◆NICODEMUS.

- Colloquium Christi cum Nicodemo, 5. 9
 In ipso quidam, ut Estius, reponunt Bapt. institutionem, 28

◆NOVATIANIS fortasse primus error de Confirm., tribuendus est, 264

OBLIGATIO.

- Aliud est obligatio et aliud institutio sacramenti, 33
 Conveniens fuit ut susceptio Bapt. non obligaret ante passionem, 33
 Accuratio determinatio temporis hujus obligationis et controversia theologorum de hac re, 34-36
 Controversia inter Augustinum et Hieronymum de tempore quo obligatio N. L. incoeperit, 35 sq.

OLEUM.

- Notio et usus olei in Scriptura et Ecclesia, 302 sq.
 Duplex sacramentum et plura sacramentalia in oleo conficiuntur, 303
 Chrisma est oleum mixtum balsamo ac benedictum, 303
 Convenientia usus olei in Confirm., 310 sq.
Vide: BALSAMUM. CHRISMA.

◆**ORDO ROMANUS** (anterior saec. 13) refert formam Confirmationis qualis hodie adhuc consignatur in Pontificali Romano, 324. 325

◆**PAGANI.**

Quandonam divulgatio evanglii et legis Bapt. sufficienter ad omnes populos pervenerit, 35

Parvuli infidelium valide sed illicite baptizantur, invitis parentibus, 155. 157-160

Paganus est minister validi baptismi, 165. 167-171

Nec huic obstat defectus characteris baptismalis, 171

Casus de pagano baptizante primo ab Augustino propositus est, 166

Apud plures populos gentiles in usu erat Circumcisio, 249

Rationalistae Confirmationis originem repetunt ex ritibus paganis, 266

PARVULI.

Necessitas baptismi parvulorum peculiariter impugnatur a pluribus Protestantibus, 105 sq. 124. 130. 138

Absoluta Bapt. necessitas non contradicit universali voluntati Dei salvificae, 133

Quidam theologi excogitarunt aliquod extraordinarium medium salutis pro parvulis praeter Bapt., 106-108

Parvuli valide, fructuose et convenienter baptizantur, 142-146

Liceitatem et valorem baptismi parvulorum impugnant Anabaptistae, 136-139

Parvuli in maternis uteris valide baptizantur, 150-152

Controversia theologorum de valore Baptismi in utero, 147-150

Parvuli infidelium nequeunt invitis parentibus licite baptizari, 157-160

Ecclesia supplet intentionem et fidem in baptismo parvulorum, 130 sq. 142 sq. 145 sq. 183

Sicut peccatum Adae nocuit infantibus, sic prodest eis fides Ecclesiae, 131

Non convenit differre baptismum parvulorum, 124. 125. 127. 144-146

Parvulus ad usum rationis perventus non pendet a parentibus quoad ea quae sunt divini juris, 153

In parvulis, utpote actus virtutis incapacibus, martyrium habet imperfectam rationem, 209

Martyrium parvulos justificat quamvis non sint capaces actus virtutis fortitudinis, contra quosdam doctores, 210. 211. 225

Parvulus in utero matris, in ea vel cum ea occisus in odium fidei, est martyr, 224

Aetas infantilis non obstat susceptioni sacramenti Confirm., 373

De praxi et convenientia differendi Confirmationem ad annos discretionis, 374 sq.

PASSIO CHRISTI.

Ejus symbolismus in Bapt., 2. 3. 7. 51. 58. 185. 222

Hic symbolismus fundat initerabilitatem Bapt., 102 sq.

Bapt. et Euch. diverso modo repraesentant passionem Christi, 103 sq.

Ex passione Christi provenit vis Bapt. aliorumque sacramentorum, 27. 29. 45. 89. 145. 182. 185. 222

Baptismus administratus ante passionem Christi habuit vim ex ipsa passione, quamvis post passionem obtinuerit plenioram efficaciam, 33

Efficacia passionis Christi in effectum Bapt., 89 sq.

Quare passio Christi non exprimatur in forma Bapt., 66

Conformatio cum passione Christi est propria ratio quare martyrium habeat vim justificativam, 216. 217. 222. 225. 228

PATRES.

De Baptismo:

Acceptio vocis Baptismi, 3 sq.

Opera de Baptismo, 12 sq.

Juxta quosdam Patres Apostoli ante passionem baptizarunt baptismo Joannis, 29. 32

Aqua Bapt. vim sanctificandi obtinuit cum Christus in Jordanem descendit, 28. 30

Benedictio aquae baptismalis nequaquam proponitur ut essentialis, 42-44. 46

Absoluta Bapt. necessitas signanter proponitur; nec obstat severitas Tertulliani et Nazianzeni contra convenientiam baptismi parvulorum, 111-115. 120

Patrum interpretatio textuum *Joan. 13, 10; Ephes. 4, 5; Hebr. 6, 4. 6*, 98-101

De vi justificativa contritionis et quo sensu Patres asserant hominem quam-

- tumvis bene dispositum non salvari absque Bapt, vel martyrio, 194-203
De vi justificativa martyrii, 212-215
De Confirmatione:
Opera Patrum, 259 sq.
Ante saec. 3 pauca et obscura habentur testimonia de Confirm., 259. 278
Praecipua testimonia, 269-274
De silentio Patrum graccorum circa impositionem manuum in Confirm., 299
De effectu Confirm., 275. 342-344
Patres characterem Confirm, considerant ad modum unius cum characterem Bapt., 343 sq.
- PATRINUS.**
In Baptismo, 185 sq.
In Confirmatione, 404 sq.
- PECCATUM.**
Variae sententiae de peccato irremissibili, circa textum *Hebr. 6, 4. 6*, 100-102
Vide: VENIALE PECCATUM.
- ◆**PELAGIANI** negabant absolutam Bapt. necessitatem, distinguentes inter necessitatem ad consequendum regnum coelorum et necessitatem ad consequendam vitam aeternam, 105 sq. 119
- ◆**PETROBRUSSIANI** negarunt validitatem baptismi parvulorum, 136
- ◆**PETRUS LOMBARDUS.**
Doctrina de *Baptismo*, 14
De tempore institutionis, 27 sq.
Impugnat errorem Hugonis a S. Victore circa propriam materiam Bapt., 47
Non refert explicite formam Bapt., 74
Docet validum esse baptismum "In nomine Jesu Christi", 62
Inclinare videtur in sententiam eorum qui coarctant fructuositatem baptismi parvulorum, 138
Quo sensu negaverit validitatem Bapt. in utero, 148-149
Contritio supplet Bapt. in voto, 199
Axioma "Voluntas pro facto reputatur", 233 sq.
Explicite refert ac divulgat formulam "Baptismus fluminis, flaminis et sanguinis", 231. 234
Baptismus Joannis fuit sacramentum, 240
Ita exaggerat vim baptismi Joannis ut S. Thomas in Comment, ejus opinionem dicat irrationabilem, 240 sq.
De *Confirmatione*, 256. 257. 260. 294
- Confirmatio praecellit baptismo, 256
De initerabilitate Confirm., Bapt. et Ordinis, 356
- POENA TEMPORALIS.**
Totaliter remittitur per Bapt., 88-90
Non tamen eximitur baptizatus a poena solvenda quae per judicem civilem infligitur, 79. 89 sq.
Item, poenalitates vitae et concupiscentia non auferuntur per Bapt. in hac vita, 90-92. 253
Etiam per martyrium poena temporalis totaliter aufertur, 223
- POENITENTIAE** sacramentum juxta Modernistas originem habuit per divisionem ipsius Baptismi in duplicem ritum, 20
- ◆**PONTIFICALE ROMANUM.**
De Confirmatione, 277. 299 sq.
De ejus forma, 319 sq. 322. 324. 330
De ritu reconciliationis haereticorum per manuum impositionem, 361 sq.
De caeremoniis Confirm., seu de instructione, jejunio, patrino, chrismatione cum pollice, ligatione frontis, 403-406
- PRAECEPTUM.**
Bapt. est de necessitate praecepti divini tam positivi quam naturalis, 122 sq.
Bapt. nequit esse directe de necessitate praecepti ecclesiastici, 123
- PRESBYTER.**
Est minister Bapt. magis proprie et directe quam episcopus, 175
Discrimen inter presbyterum et diaconum baptizantes ex licentia. 175 sq.
De indole potestatis presbyteralis relate ad Confirm., 398-400
- ◆**PROTESTANTES.**
De Baptismo:
Generalis doctrina et opera. 16 sq.
Negant sacramentalem rationem Bapt. seu efficaciam ex opere operato, 17
Negant necessitatem formae et invocationis SS. Trinitatis, 17. 61 sq. 68
Negant vel in dubium revocant absolutam necessitatem Bapt., saltem quoad parvulos. 105 sq. 124. 130. 137-139
Effectum Bapt. deprimunt simul et exaggerant, 79. 89
Plures, cum Luthero et Calvino contra Anabaptistas et Baptistas, admittunt validitatem Bapt. parvulorum. 137
Juxta Erasmum, parvuli usum rationis

- assecuti interrogandi sunt an baptismum susceptum ratum habeant, 139. 145. 146
- Ex praejudicio de justificatione per solam fidem negant actum contritionis supplere Bapt. in voto, 189
- Ex eodem principio identificant baptismum Joannis cum Baptismo Christi, 239
- De Confirmatione:*
- Generalis doctrina, 263 sq.
- Negant Confirm, propriam rationem sacramentalem, 263 sq. 265 sq. 278 sq.
- Lutherani retinent quamdam caeremoniam confirmatoriam, 264. 265 sq. 278 sq.
- Anglicani ritualistae reponunt Confirm, inter sic dicta sacramenta minora, 264-266
- Protestantes peculiariter impugnant materiam Confirm, tum proximam tum remotam, 278 sq. 307.
- Reiciunt formam Confirm, ut sine fundamento in Scriptura et inconueniens, 327
- Denegant Confirm, effectum spiritualis roborationis quem tribuunt Euch. vel Bapt., 338. 347
- Reiciunt omnem characterem sacramentalem, 339
- Reiciunt ipsam utilitatem Confirm., 364
- Docent reservationem Confirm, episcopis nullum habere fundamentum in Scriptura et Traditione, 378 sq.
- Reprehendunt caeremonias Confirm., 402
- Vide:* ANABAPTISTAE. ANGLICANI. BAPTISTAE. CALVINISTAE. CALVINUS. LUTHERANI. LUTHERUS.
- PROVIDENTIA.
- Deus suaviter et sapienter Bapt. instituit in aqua et ablutione, 60
- Absoluta necessitas Bapt. pro parvulis non contradicit universali voluntati Dei salvificae, 132 sq.
- Providentiae Dei valde convenit ut minister Bapt. sit quilibet homo, sicut quod materia sit quaelibet aqua et ablutio, 170
- Deus potentiam suam sacramentis non alligavit, 105. 199. 205. 346. 370
- Providentia supernaturalis non destruit naturam ejusque leges, 156. 157 sq.
- ◆QUAKERI intelligunt Bapt. metaphorice, despicientes ritum sensibilem, 20. 38
- ◆QUESNEL exaggerat effectum Bapt., 79. 81
- ◆QUINTILLA.
- Ejus error de Bapt. impugnatur a Tertulliano, 38. 41. 162.
- Quintilliani aquam Bapt. despiciebant, 38. 112
- Vide:* GNOSTICI.
- ◆RATIONALISTAE.
- Negant divinam institutionem Bapt., 20
- Eorum interpretatio textuum *Matth.* 28, 19; *Marc.* 16, 16; *Joan.* 3, 5, 23 sq. 25
- Confirmationis originem repetunt ex ritibus paganis, 266
- Renan eandem repetit et ritibus Gnosticorum, 278
- Vide:* LIBERALES PROTESTANTES. MODERNISTAE.
- REBAPTISMUS.
- Fuit in usu apud Marcionitas et quosdam Anabaptistas, 96
- De Ecclesiae praxi rebaptizandi quosdam haereticos, 97 sq.
- REGENERATIO.
- Quid integraliter importet baptismalis regeneratio, 85-95
- Ipsa fundat rationem tum necessitatis tum initerabilitatis Bapt., 102. 120
- REMEDIUM NATURAE.
- Fuit sacramentum regenerationis in statu legis naturae, 10. 119 sq. 131. 132. 235. 248
- Ejus habitudo ad Bapt., 10. 119 sq. 131. 132. 235. 248
- RES ET SACRAMENTUM Bapt. et Confirm., 78. 207. 338
- REVIVISCENTIA Baptismi, 87 sq.
- ◆RITUALE ROMANUM.
- De Baptismo:*
- Materia remota, 40
- Benedictio aquae baptismalis, 42
- De infusione et immersione, 52 sq. 57
- Necessitas Bapt., 111
- Ejus initerabilitas, 97
- De baptismo parvulorum, 151
- De ministro Bapt., 164
- De caeremoniis Bapt., seu de linitione cum sputo et impositione manuum, 184, 185
- De Confirmatione:*
- Materia proxima, 277

- Materia remota, 302. 315
 Confectio chrismatis, 306
 Forma, 319
 Necessitas, 366
 Caeremoniae: ligatio frontis, 401. 407
- SACRAMENTALIA. *Vide: CAEREMONIAE.*
- SACRAMENTARIA GELASIANUM ET GREGORIANUM.
 De ritu Confirm., 292
 De forma Confirm., 292. 322. 323. 324 sq. 332 sq.
- SACRAMENTUM in quo differat a martyrio, 224, 235 sq.
- ◆SCHELL peculiarem habet opinionem de extraordinario remedio salutis pro parvulis, praeter Bapt., 106. 107. 121
- ◆SCHISMATICI ORIENTALES.
De Baptismo:
 Generalis doctrina et opera, 15 sq.
 Varii dissensus a Latinis, 15 sq.
 Acriter impugnant praxim latinam baptizandi per infusionem, 16. 51 sq.
 Error quorundam, uti Mesoloras, de materia remota, 39
 In casu necessitatis laicus potest baptizare, dummodo sit orthodoxus, 162
 Extra casum necessitatis talis baptismus est, juxta quosdam, invalidus, 162 sq.
 Juxta quosdam russos, Baptismus a laico collatus ideo est validus quia jam cessavit hierarchia in Ecclesia, 163
 Quidam carpunt aliquas caeremonias Baptismi Latinorum, 15 sq.
De Confirmatione:
 Generalis doctrina, 262 sq.
 Ritus Confirm., 277
 Benedictio chrismatis, 307
 Sola unctio est materia proxima, 280
 Particulares quidam errores de materia remota, 307 sq.
 Forma, 320
 Particulares errores de forma, 327
 Quidam errant de existentia vel essentia characteris, 339
 Quidam effectum Confirm, exaggerant in detrimentum Bapt., 345 sq.
 Plures negant initerabilitatem Confirm., 353 sq. 357
 An ritus reconciliationis apostatarum fuerit iteratio Confirm., 357
 Unus vel alter, post Photium, videtur docuisse ministrum ordinarium non esse solum episcopum, 377 sq.
- Generatim impugnant praxim latinam differendi Confirm, ad annos discretionis 374
- ◆SCOTUS.
 Christus instituit Bapt. cum ante passionem misit discipulos ad baptizandum, 29
 Ex speciali dispensatione Apostoli baptizarunt "In nomine Jesu Christi", 62
 Scotus testatur usum immersionis fuisse rarissimum suo tempore, 56
 Immersio occisiva non est valida materia Bapt., 59
 Parvuli infidelium, invitis parentibus, licite baptizantur, 154
 De forma Confirm, nimis rigide Scotus sentire videtur, 329
 Confirm, est stricte necessaria ad salutem, 364
 Non improbabile Scotus putat reservationem Confirm, episcopis esse de solo jure ecclesiastico, 379
- SIGNATIO.
 Signatio frontis in Confirm., 294 sq.
 Signatio seu impressio characteris, 256. 334. 335. 342. 343.
- ◆SOCINIANI.
 Bapt. non est ritus sensibilis, sed metaphorice accipiendus, 20
 Juxta Socinum, forma in Bapt. non est necessaria, 62
- SPIRITUS S.
 Vox "Spiritus" in textu *Joan. 3, 5*, 25 sq. 258
 Promissio Spiritus S., descensus Spiritus S. in die Pentecostes et praecique acceptio Spiritus S. a fidelibus, referuntur ad Confirm., 258. 267. 314. 341
 Vox "Spiritus" in *Joan. 3, 5*, juxta quosdam Patres refertur ad Confirm., 258. 271. 346
- ◆SUAREZ.
 Christus instituit Bapt. cum ante passionem discipulos misit ad baptizandum, 29
 Apte jam suo tempore Suarez explicite docuit validitatem Bapt. in utero, 147
 Minus recte putat Ecclesiam posse baptismum parvulorum differre usque ad aetatem adultam, secluso mortis periculo, 127
 Putat attritionem in martyrio non

requiri sed sufficere intentionem moriendi pro Christo, 219 sq.
De forma Confirm., nimis rigide sentire videtur, 329

SYMBOLISMUS.

Aquae in Baptismo, S sq. 11 sq. 89 sq. 92
Ablutionis: Symb. passionis, 2. 3. 7. 51. 58. 185. 222, gratiae, 58. 92, Trinitatis, 58
Olei olivarum in Confirm., 248. 288. 310. 311. 313
Balsami in oleo Confirm., 284. 311. 313 sq.
Compositionis chrismatis ex oleo et balsamo, 314

◆TERTULLIANUS.

Nomen *Baptismi*, 2. 4
Apostoli ante passionem baptizarunt baptismo non Christi sed Joannis, 29. 32
Materia remota Bapt., 40. 41
Ἰχθῦς, 41
Aqua virtute Spiritus "vim sanctificandi combibit", 41
Necessitas Bapt., 111. 115
Severe judicat de convenientia baptizandi parvulos, 115. 138. 195.
Apostoli non necessario baptizari debuerunt, 129
Etiam laicus potest Bapt. administrare, 165. 169
Reprobatur mulierum petulantia in sacris, 162
Tertullianus vim contritionis exaggerare videtur ut inde dilationem Baptismi commendet, 195. 196
De efficacia martyrii, 212
Tertullianus montanista impugnat privilegium martyrum concedendi pacem lapsis, 223
De baptismo Joannis, 244. 247
De *Confirmatione*, 270, ejusque materia, 286, et forma, 321

THEOLOGI.

De Baptismo:

Bibliographia, 13 sq.
Acceptio vocis "Baptismus", 4
Theologi moderni diserte contra Ratinistas defendunt existentiam sacramenti Bapt., 19
Controversia de tempore institutionis, 27-29. 34-36
Quidam volunt Bapt. nondum esse pro omnibus populis medium necessarium ad salutem, 34 sq. 108. 121

Quidam excogitarunt ineptum aliquod medium solutis pro parvulis praeter Bapt., 106. 107 sq.

Quidam fructuositatem Bapt. parvulorum coarctarunt, 137. 138

Controversia de validitate Bapt. in utero, 147-150

Quidam efficacitatem martyrii reponunt in ipsa vi actus charitatis, 210

De Confirmatione:

Bibliographia, 260 sq.

Quidam dixerunt Confirm. fuisse a Christo institutam tantum mediate, 276

Controversia de propria materia proxima, 279-281

Controversia de necessitate balsami et benedictionis in materia remota, 308-310

Controversia, non facile solubilis, de determinata forma, 320 sq. 328-330

Quidam pauci docuerunt gratiam roborativam non esse proprium effectum Confirm., 338 sq. 346. 365

Controversia de modo necessitatis, 364 sq.

Controversia de indole antiquae praxis reconciliandi haereticos per impositionem manuum, 358-362

Quidam dixerunt reservationem Confirm. episcopis esse de solo jure ecclesiastico, 379

Variae explicationes de indole ministri extraordinarii Confirm., 398-400

◆THOMAS AQUINAS.

De Baptismo:

Baptismus institutus est in Jordane, 28. 30

Apostoli ante passionem baptizarunt baptismo Christi, 32

Lex Baptismi non obligavit ante passionem, 33

Baptismus sub diverso respectu multiplici tempore institutus dici potest, 36

Materia sacramenti praeexistit a natura sed forma est totaliter ex institutione 27

Quomodo corrumpatur aqua ad Bapt. requisita, 37 sq.

Convenientia aque ut materiae Bapt., 45. 90

Reicitur error Hugonis a S. Victore circa propriam materiam Bapt., 47

Causalitas physica sacramenti Bapt., 48

Trina immersio dicitur a S. Doctore communis praxis sui temporis, 56

Immersio non est de necessitate Bapt., 58

- Symbolismus ablutionis, 58
 Bapt. et Euch. diverso modo repraesentant passionem Christi, 104
 Sufficit immersio partialis, 60
 Ex speciali dispensatione Apostoli baptizarunt "In nomine Jesu Christi", 62
 S. Doctor putavit formulam graccam esse deprecativam potiusquam declarativam, 76
 Ex conceptu incorporationis ad Christum deducuntur omnes Bapt. effectus, 84 sqq.
 Incorporatio ad Christum fit dupliciter, per fidem nempe et sacramentum, atque diversimode in triplici lege, 119 sq. 131
 Bapt. aufert totam poenam temporalem, 89
 Non aufert tamen poenam temporalem quae infligitur a iudice civili, 90
 Item non aufert poenalitates vitae, 90-92
 Speciales Bapt. effectus sunt illuminatio et fecundatio, 95
 Initerabilitas Bapt., 103 sq.
 Necessitas Bapt., 104
 De baptismo non differendo, 124. 126
 Apostoli et B. Virgo probabiliter Bapt. susceperunt, 128 sq.
 De fructuositate et convenientia Bapt. parvulorum, 138. 142. 143 sq.
 Intentio et fides in infantibus suppletur ab Ecclesia, 130 sq. 142 sq. 146. 183
 De baptizandis parvulis, operatione caesarea extractis vel partialiter in lucem egressis, 146 sq.
 Parvuli ad usum rationis perventi non pendent a parentibus quoad ea quae sunt divini juris, ut susceptionem fidei et Bapt., 153
 Parvuli infidelium, invitis parentibus, valide sed illicite baptizantur, 157-159
 Mulier, laicus et paganus possunt valide et, in casu necessitatis, licite baptizare. 170 sq.
 Solus sacerdos est minister ordinarius Bapt., 174
 Episcopis proprius competit officium docendi, presbyteris vero baptizandi, 175
 De unico baptismo a pluribus ministris collato, 178 sq.
 De caeremoniis Bapt., seu catchismo, exorcismo, salis immissione in os, sputi linitione, unctione in pectore et inter scapulas, tempore et loco, patrino, unctione in vertice, impositione vestis, 182-186
 Contritio justificat ex voto Bapt., 205
 Contritio non supplet Bapt. quoad collationem gratiae sacramentalis quae talis et characteris, 207
 Character non confertur nisi per sacramentum, 207
 Ad rationem martyrii requiritur ut mors sequatur, 208
 Item requiritur realis occisio, nec sufficit desiderata; unde B. Virgo non fuit stricte martyr, 208
 Milites occisi pro fide in bello sancto sunt veri martyres, 208
 Martyrium ut opus operantis est actus elicited a virtute fortitudinis, 209
 Martyrium, sicut Baptismus, habet vim sanctificativam ex similitudine passionis Christi, 217. 219 sq. 222
 Divisio trium baptismorum: fluminis, flaminis et sanguinis, 222, 234
 Martyrium supplet abundantiori modo effectum Bapt., non tamen quoad gratiam sacramentalem et characterem, 221 sq.
 Parvuli ex martyrio salutem consequuntur, quamvis non sint capaces actus virtutis fortitudinis, 225
 Martyrium est a charitate imperante et a fortitudine elicente, 209, 225 sq. 227 sq.
 Exinde tamen non sequitur charitatem necessario requiri ad martyrium, 227 sq.
 Martyrium justificat ex opere operato, 217. 219 sq. 228 sq.
 De voto Bapt. incluso et operante in contritione et martyrio, 234 sq.
 Axioma "Voluntas pro facto reputatur", 234
 De baptismo Joannis S. Doctor agit in tractatu De Verbo Inc.; in Summa negat baptismum Joannis esse sacramentum. quod concesserat cum Lombardo in Commento, 240. 243 sq.
 Baptismus Joannis fuit quoddam sacramentale disponens ad Baptismum Christi, 244-246
 De Circumcisione, 248
 Fuit verum sacramentum A.L. preparatorium Bapt., 251 sq.
 Convenienter instituta est quantum ad tempus, subjectum et ritum, 252-254
De Confirmatione:
 Definitio, 257. 347. 352. 353
 Tota materia de Confirm. S. Doctor

- trahit in q. 72, per 12 articulos, 260. 264
- Convenientia institutionis, 275
- Immediata institutio per Christum, 276
- Tempus institutionis, 276
- Materia Confirm, est unctio et manuum impositio ab unctione non distincta, 280 sq.
- Convenientia signationis frontis in Confirm., 295
- Apostoli effectum Confirm, conferebant etiam extrasacramentaliter, 281
- Balsamum et benedictio sunt essentialia in materia Confirm., 308. 309
- Convenientia usus olei olivarum in Confirm., 310 sq.
- Convenientia usus balsami in oleo Confirm., 313 sq.
- Convenientia compositionis ex oleo et balsamo, 314
- Descensus Spiritus S. in die Pentecostes fuit quaedam declaratio sacramenti Confirm, ejusque materiae, 314
- Quare materia Confirm., non vero Bapt. et Euch., requirat necessario Ecclesiae consecrationem seu benedictionem, 317
- Quare benedictio chrismatis reservetur episcopo, 319
- Formula Confirm., 324
- Integra formula est essentialis, 329. 334
- Convenientia formulae latinac, 331 sq.
- Effectus Confirm., 345. 347. 348. 349. 350
- Generaliter effectus Confirm, est perfectio vitae spiritualis, 347
- Quomodo differat a perfectione quae est effectus Euch., 348
- Specialiter effectus est gratia roborativa contra exteriora agentia, 348. 350
- Gratia Confirm, et gratia Bapt. differunt specificè, 349
- Characteris Confirm, convenientia et essentia, 350 sq.
- S. Doctor non agit specialiter de necessitate Confirm., 364
- Confirm, est moraliter necessaria ad salutem, 364. 368. 370 sq.
- De ministro Confirm., 379. 380. 393 sq. 395. 400
- Presbyter est minister extraordinarius Confirm., 380
- Convenientia reservationis Confirm, episcopis, 393 sq.
- De caeremoniis Confirm., seu de consecratione chrismatis, impositione manuum, jejuniis, patrino, 401-404
- ◆TRIDENTINUM CONC.
- De Baptismo:*
- Generalis doctrina, 15
- Authentica interpretatio *Joan.* 3, 5, 21
- Materia remota, 37. 39
- Quoad materiam proximam, nihil explicitè decernit de infusione vel immersione, 52
- Forma, 64
- Effectus, 80 sq.
- Differentia inter Bapt. et Pœnit. quoad effectum, 81
- Initerabilitas, 96 sq.
- Necessitas, 110
- Baptismi parvulorum convenientia et fructuositas, 139. 140
- Minister Baptismi, 164
- Contritio justificat cum voto sacramenti, 192 sq.
- Concilium non memorat martyrium inter causas justificationis, 211
- Definit contra Protestantès baptismum Joannis habuisse eandem vim ac Baptismum Christi, 21. 241
- De Confirmatione:*
- Generalis doctrina, 261 sq.
- Confirm, est verum sacramentum, non mera ecclesiastica caeremonia, 267
- Materia Confirm, seu chrisma habet virtutem spiritualem, 284. 311
- Effectus, 339 sq. 341
- Late dicta necessitas seu convenientia, 365
- Minister, 384 sq.
- TRINITAS (SS.).
- Mysterii divulgatio, 29. 33 sq.
- Authenticitas *Matth.* 28, 19, 23 sq.
- In forma Bapt. requiritur explicita et distincta mentio mysterii, 63-72
- Apparitio Trinitatis in baptismo Christi ostendit formam Bapt., 36. 65
- De determinato modo exprimendi mysterium Trinitatis in forma Bapt., 77
- Juxta Cajetanum et Maldonatum valida est forma "In nomine Trinitatis", 62
- Formula trinitaria fuit regula unde Ecclesia judicavit de valore baptismi haereticorum, 66
- Eunomiani ad inculcandum suum errorem unitaristicum baptizabant in unica immersione, 55
- E converso Ariani Wisigothi ad inculcandum tritheismum baptizabant in trina immersione, 55
- Ad hunc vero errorem abiciendum

catholici hispani baptizabant in unica immersione, 51. 55

UNCTIO.

Multiplex usus unctionis commemoratur in Scriptura, 256. 258. 298

Unctio baptismalis, 184. 186

Unctio confirmatoria, 296-298

A quibusdam theologis unctio dicitur non essentialis in materia Confirm., 279

VENIALE PECCATUM.

Non nisi per contritionem seu charitatem directe remittitur; quomodo Baptismus et martyrium se habeant ad ejus remissionem, 86. 222

◆VIENNENSE CONC. definit ut probabilior sententiam qua docetur parvulis per Bapt. non solum peccatum originale auferri, set etiam gratiam conferri, 138. 140

VOTUM.

Effatum "Voluntas pro facto reputatur", 233 sq.

Necessitas in re vel voto, 104. 128. 346

Cone. Trid. loquitur de voto sacramenti, 192

Contritio justificat cum voto, imo ex voto Bapt., martyrium vero cum voto non ex voto Bapt., 219. 234 sq. 236 sq.

Votum Bapt. et votum aliorum praeceptorum diversimode concurrunt ad justificationem, 206

Votum Confirmationis in eo qui accipit effectum Confirm., ante ipsum sacramentum, 346. 370

◆WALDENSES.

Negant validitatem Baptismi parvulorum, 136

An negaverint ipsum sacramentum Confirm., 265

Docentes hierarchiam non esse a Christo institutam, inferunt episcopum et presbyterum aequo jure esse ministros Confirm., 378

◆WICLEFFITAE.

An negaverint ipsum sacramentum Confirm., 265

Negata ordinis hierarchia, docent episcopum et presbyterum aequo jure esse ministros Confirm., 378

Wicleff ait reservationem Confirm., episcopis provenire ex cupiditate lucri et honoris, 378